252
P93

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

To my dear Brother
Antonin O.P. Benicia
Your humble Chaplain
Fr. Jul Raymond Riveiro

CENTIFOLIUM
VERNANS FLORE, ET FRAGRANS ODORE
ROSÆ MYSTICÆ,
SEU
CENTUM SERMONES
DE
DIGNITATE, FRUCTU, AC MERITO
SACRATISSIMI
MARIANI ROSARII,
Quos
Variis Conceptibûs Sacræ Scripturæ, Sententiîs Sanctorum Patrum, doctrinâ morali, & Hiſtoriîs exornavit, & ad ſingulas Dominicas totius anni, Feſtáque præcipua diſtribuit, & in uſum haud inidoneum tum univerſorum, qui incrementum Archi-Fraternitatis Sanctiſſimi Roſarii zelant, tum quorumcunque aliorum, qui laudes Marianas prædicant, congeſſit

A. R. P. CONRADUS PRIGELIUS,
S. Ordinis Prædicatorum SS. Theologiæ Magiſter.

Pars Prima Dominicalis.

Editio Secunda.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM ET OENIPONTI.
Sumptibus JOSEPHI WOLFFII Bibliopolæ, Anno 1755.

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/centifoliumverna00conr

AUGUSTISSIMÆ
DEI MATRI,
DOMINÆ
ANGELORUM,
COELI, TERRÆQUE MAGNÆ
PRINCIPI,
VENERANDISSIMÆ SACRI ROSARII
REGINÆ.

Sancta MARIA, Mater Dei, Sanctiſſimi Roſarii Regina.

REddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, imperium eſt Regis Regum, Filii tui; & quidnî, quæ ſunt Reginæ, Reginæ? Te Reginam dicimus, veneramur, proclamamus Sacratiſſimi Roſarii, Reginam de Victoria, Reginam omnium Sodalitiorum noſtro-

acc 1930

noſtrorum, cui & Pontifices tiaras, & Reges coronas, & cuncta dominia ſua ſubmittunt ſceptra, mundúsque fermè totus humillima ſuæ devotionis defert homagia, ſuæ ſubjectionis honorem, ſuorum obſequiorum penſum. Cui ergo hos Sermones de Roſario, tanquam vectigal, & tributum ſervitutis meæ, ſacros, & dicatos velim, quàm tibi nutu proprio dicenti: *Fulcite me floribûs, ſtipate me malîs, quia amore langueo.* Et iterùm: *Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata juxta rivos aquarum fructificate?* Parùm quidem offero, quia Centifolium offero, quod ventô rapitur; & quidem ei offero, cujus beneficia centum Argi oculi perſcrutari, cujus laudes centum ora dicere, cui debitas deſcribere gratias centum Briaræi manus non ſufficiunt: Attamen, quia flores, & roſas fero, cui aptiùs eas deferam, niſi tibi, *quæ exaltata es, quaſi plantatio roſæ in Jericho, & quaſi flos roſarum in diebus vernis?* Patere ergo, ut, ubi Folium hoc tenue eſt, ſaltem placeat affectus, & ubi aliorum eximia Opera, veluti tot ſtellæ fulgentiſſimæ circumdant caput tuum, meum *Centifolium* ſit ſcabellum pedum tuorum, & tanquam luna ſubobſcura collocetur ſub plantis tuis. Dignare, ut ſit flos honoris tui, & honeſtatis, flos de radice tua aſcendens, & in atriis domûs tuæ effloreſcens, flos frondeſcens in gratiam

tui,

tui, parturiénſque in obſequium tuum & cor, & animam, & ſenſus meos: Illud in tua ſuſcipe, ne noceant dœmones. Hanc, ne damnet Filius: Senſus, ut non ſentiant, niſi te: Viſum, ut nihil concupiſcat, quàm te & ſpecioſiſſimam, & Sanctiſſimam, cujus ſpeciem Rex concupiſcit Altiſſimus, cujus vultum deprecabuntur omnes divites plebis: Auditum, ut ſit vox tua dulcis, jugitérque ſonet in auribus ejus: Odoratum, ut ſemper currat in odorem unguentorum tuorum: Linguam, ut non diſſerat, niſi laudes, & deprædicationes tuas: Manus, & pedes, ut vinculîs charitatis tuæ conſtricti trahantur poſt te. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA! Ecce pauper, & inops ſum ego à juventute mea! Dirige me, ne deviem, tene me, ne corruam, protege me, ne ſuccumbam, ſuſcipe me, ut, dum flos vitæ decidet, anima floreſcens transplantetur in hortum concluſum æternitatis.

Privilegium Cæſareum.

CUm S. Cæſarea Majeſtas Decretô Viennæ 7. Junii 1712. datô, omnibus, & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus ſub gravi mulcta ſeriò prohibeat, ne quisquam libros à Patribus Ord. Præd. editos, ac deinceps edendos intrà S. Romani Imperii, Regnorúmque ac Dominiorum Sacræ Majeſtatis Hæreditariorum fines, ſimili, vel alio charactere, aut forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi impreſſos adducere, vendere, aut diſtrahere, ſeu palàm citra Teſtimonium, aut conſenſum ſupra dictorum Patrum audeat, aut præſumat,

Ego Fr. Dominicus Joſephi SS. Theologiæ Magiſter, & per Provinciam Hungariæ Prior Provincialis harum ſerie, meique Officii authoritate concedo D. Mathiæ Wolff Bibliopolæ Auguſtani Viduæ, & poteſtatem facio, ut Opus intitulatum Centifolium Marianum, ſeu centum Sermones de Sanctiſſimo Beatiſſimæ Virginis Roſario bipartitos A. R. P. Conradi Prigelii S. Ord. Præd. SS. Theologiæ Magiſtri, & Provinciæ Hungariæ Ex-Provincialis pro bono publico imprimere liberè valeat. In quorum fidem his Officii mei Sigillô munitis propria manu ſubſcripſi. Actum Viennæ in Auſtria 17. Auguſti 1740.

(L.S.)

FR. DOMINICUS JOSEPHI,
S. Ord. Præd. Magiſter Provincialis Hungariæ.

Facul-

Facultas
Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

Nos FR. THOMAS RIPOLL SS. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum Serie, noſtríque authoritate Officii, quantùm in nobis eſt, tibi A. R. P. Magiſtro Ex-Provinciali Provinciæ noſtræ Hungariæ poteſtatem facimus typis evulgandi Opuſculum nuper à te ſtudiosè élaboratum, cui Titulus: Centifolium, ſeu Centum Sermones de Mariano Roſario, dummodò dictum Opuſculum priùs à duobus Ordinis noſtri Magiſtris in Theologia ab A. R. Patre Magiſtro Provinciali dictæ Provinciæ ſpecialiter, & nominatim ad hoc deputandis exactè reviſum, & tanquam prelô dignum approbatum fuerit; ſervatis etiam cæteris de jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Amen. In quorum fidem his propria manu ſubſcriptis Sigillum Officii noſtri apponi juſſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam Die 6. Maji. 1741.

(L.S.) FR. THOMAS RIPOLL,
Magiſter Ordinis.

Regiſtr. pag. 15.
FR. EMERICUS LANGENWALTER,
Magiſter, & Socius mppr.

Appro-

Approbatio Theologica.

FRagrantiſſimum hoc Centifolium Marianum de Sacratiſſimo Beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſario ab Admodùm Reverendo, ac Eximio Patre SS. Theologiæ Magiſtro Fratre Conrado Prigel Sacri Ordinis Prædicatorum Provinciæ Hungariæ Ex-Provinciali, & Vicario Hœdicollenſi actuali, ſingulari ſolertia, & ſagaci dexteritate compoſitum, ac inter varia tum Provinciæ, tum alia momentoſa negotia ad propagandam ſaluberrimam Sacratiſſimi Roſarii devotionem diligentiſſimè conſcriptum non ſolùm nihil Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus contrarium continet, verùm tot ſuaviſſimis redolet Roſarum Foliis, quot Concionibûs in omnes totius anni Dominicas, & potiores Sanctorum Feſtivitates, & quotquot in iis Sacræ Scripturæ Conceptibûs, Sanctorum Patrum Sententiis, ac variis, mirisque prodigiis de Sacratiſſimo hoc Beatiſſimæ Virginis Roſario inſtructum, & decoratum eſt. Quapropter Authore ſuo digniſſimum judicamus, utpote omnigenâ litteraturâ tam Theologicâ, & Scripturalî, quàm Aſceticâ, Symbolicâ, & Hiſtorialî refertiſſimum. ut ad publicam omnium utilitatem, maximè eorum, qui Sacratiſſimum hoc Beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſarium prædicant, prelo mandetur, & luce publica donetur.

Bulſani in Conventu Sanctiſſimi Nominis JESU Fratrum Ord. Præd. die 5. Septembris. Anno 1741.

FR. HYACINTHUS PEINTNER,
Ord. Præd. Magiſter, & Prior Bulſanenſis.

FR. GUNDISALVUS KALTENHAUSER,
Ord. Præd. Præſentatus, & Generalis Studii Bulſanenſis Regens.

Appro-

Approbatio Cenſoris.

CEntifolium hoc, Nomen, & Omen habens, typo digniſſimum cenſeo ad emolumentum tum Confraternitatis SS. Roſarii, tum etiam divini verbi Præconium. Auguſtæ Vindelicorum die 11. Januarii 1743.

FRANC. JOS. DE HANDL,
SS. Theol. Lic. Rever. & Sereniſſ. Princip. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnitent. & librorum Cenſor, nec non inſignis Colleg. Eccleſiæ ad S. Mauritium Can. & Parochus.

b Ad

Ad Lectorem.

CEntifolium tibi offero, quod tamen non verborum floſculos loquitur, ut elucubrata dictione placeat, ſed trivialiter veſtitum eò unicè collimat, ut pretioſum Sanctiſſimi Roſarii odorem fuſiùs diffundat. Nemo eſt, qui ignorat, Archi-Fraternitatem Mariani Pſalterii longè, latéque in Chriſtiano orbe propagatam eſſe, ita, ut vix oppidum reperire ſit, aut Parochiam, ubi locum non habeat: aſt, ùt communis eſt devotio, ſic laudis ejusdem, cultúsque amplificandi in noſtris paſſim partibus materia deeſt, ſacráque dicendi ſupellex. Ipſemet identidem audivi, Præſides, Parochos, alióſque laudis Roſarianæ Præcones ardentibûs votîs concupiviſſe, ut amplior eis hujus cultûs enuntiandi aperiretur campus, normáque ſubminiſtraretur expeditior loquendi ea, quæ ad rem faciunt. Hunc in finem, quantùm ab aliis negotiis licuit, ſtatui centum hos Sermones præpropera manu congerere, ut ſaltem ex parte piis multorum deſideriis ſatisfacerem.

Sermones ſingulos diviſi ad ſingulas totius anni Dominicas, Feſtàque præcipua, & quidem in duas ſemper diſtribuendô partes, ut ſufficere poſſint, ſi partes ſeparentur, etiam pro duobus, aut pluribus annis. In fine ſemper addidi quandam Hiſtoriam, quia verba movent, exempla verò trahunt. Citationes ex probatiſſimis Authoribus deprompſi, ad fontem tamen ſubinde adire non licuit, quia plura hinc inde in itinere, & extra Clauſtrum conſcripta ſunt. Ex Cathedra nunquam dicti ſunt: Unde & ordo figuratè loquendi, & aptior doctrina moralis, utiliter inſerenda, ad placitum relinquitur, conformiter ad id, quod & accomoda Auditorum habilitas, & locorum circumſtantiæ expoſtulare videbuntur. Tu interim, amice Lector! Centifolium, quod offero, benevola accipe manu, &, quod illi ad perfectionem deeſt, tuæ ſupple dignatione virtutis.

Elenchus

ELENCHUS Sermonum Dominicalium.

Sermo Primus.

Dominica prima Adventûs.

Thema.

Erunt ſigna in ſole, & luna. Luc. 21.

Synopſis.

Sodales Roſarii in die judicii videbunt ſigna benevolentiæ in Chriſto tanquam Sole, & ſigna patrocinii in Maria tanquam Luna.

Sermo Secundus.

Dominica ſecunda Adventûs.

Thema.

Cùm audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, Matth. 11.

Synopſis.

Roſarium eſt vinculum, quo interiùs anima Chriſto jungitur, exteriùs verò ligatur dœmon, ne noceat.

Sermo Tertius.

Dominica tertia Adventûs.

Thema.

Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Joan. 1.

Synopſis.

Synopſis.

Chriſtus, & Maria ſunt in medio cordis Sodalium Roſarii; ille confortandô, iſta conſolandô.

Sermo Quartus.

Dominica quarta Adventûs.

Thema.

Vox clamantis in deſerto. Luc. 3.

Synopſis.

Roſarium eſt vox clamans in deſerto hujus mundi, & dulciter reſonans in cœlo.

Sermo Quintus.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Thema.

Non diſcedebat de templo, jejuniîs, & obſecrationibûs ſerviens die, ac nocte. Luc. 2.

Synopſis.

Oportet Sodales Roſarii Deo ſervire die, ac nocte, de die cum aliis Roſarium in templo, de nocte autem Roſarium domi dicendo cum domeſticis.

Sermo Sextus.

Dominica prima poſt Epiphaniam.

Thema.

Invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum. Luc. 2.

Synopſis.

Chriſtus in Roſario invenitur, & à Sodalibus Roſarii in ſuam domum reducitur.

Sermo Septimus.

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

Thema.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Joan. 2.

Synopſis.

Synopſis.

Sodales Roſarii in Sponſas ſibi aſſumit Chriſtus, Beata Virgo verò in Sponſos.

Sermo Octavus.

Dominica tertia poſt Epiphaniam.

Thema.

Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora. Matth. 8.

Synopſis.

Maria in Roſario curat infirmitates. ſi adſint, & præſervat ab illis, dum abſunt.

Sermo Nonus.

Dominica quarta poſt Epiphaniam.

Thema.

Facta eſt tranquillitas magna. Matth. 8.

Synopſis.

Motus Roſariô Chriſtus imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna.

Sermo Decimus.

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Thema.

Dum dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania. Matth. 13.

Synopſis.

In agro Roſarii ſatagit diabolus inprimìs ſuperſeminare zizania tepiditatis, & deinde lolia omnium vitiorum.

Sermo Undecimus.

Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Et fit arbor, ita, ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13.

Synopſis.

Synopſis.

Ad arborem Roſarii veniunt omnis ſtatûs homines, & ibi ſub umbra Myſteriorum conſolationem capiunt, & ſecurè latitant contra inſultus dœmonum.

Sermo Duodecimus.

Dominica Septuageſimæ.

Thema.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

Synopſis.

In omni ætate, & hora homines vocantur ad operandum in vinea Roſarii.

Sermo Decimus Tertius.

Dominica Sexageſimæ.

Thema.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

Synopſis.

Corda Sodalium SS. Roſarii ſunt terra bona, in qua verbum DEI affert fructum centuplum bonorum in hac vita, & fructum centuplum gloriæ in cœlis.

Sermo Decimus Quartus.

Dominica Quinquageſimæ.

Thema.

Poſtquàm flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

Synopſis.

Infelices illi ſunt, qui Paſſionem Chriſti non meditantur; felices verò Sodales Roſariani, qui hîs diebûs Bacchanaliorum Myſteriis Mariani Pſalterii ruminandis inſiſtunt.

Sermo

Sermo Decimus Quintus.

Dominica prima Quadrageſimæ.

Thema.

Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Synopſis.

Per Roſarium Sodales aut à tentationibus præſervantur, aut in iis confortantur.

Sermo Decimus Sextus.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

Thema.

Bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus tria tabernacula. Matth. 17.

Synopſis.

Sodales Roſarii per tres Pſalterii partes ædificant ſibi tria tabernacula, in quibus bonum eſt eſſe.

Sermo Decimus Septimus.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

Thema.

Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Luc. 11.

Synopſis.

Roſariani cum hodierna muliere laudem dicunt Mariæ, & confundunt ejus oſores.

Sermo Decimus Octavus.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

Thema.

Impleti ſunt. Joan. 6.

Synopſis.

B. Virgo Maria providet Sodalibus Roſarii de neceſſariis vitæ & affectu, & effectu.

Sermo

Sermo Decimus Nonus.
Dominica Paſſionis.
Thema.

Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Joan. 8.

Synopſis.

Qui ſervaverit leges Sacratiſſimi Roſarii, liber erit à morte æterna, & mors corporis ei dulceſcet.

Sermo Vigeſimus.
Dominica Palmarum.
Thema.

Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, Matth. 21.

Synopſis.

Antiqui Sodales Proceſſionibus Sacratiſſimi Roſarii devotè interfuerunt, & hodiedum magna omnibus accreſcit utilitas, qui iis cum ædificatione intereſſe ſatagunt.

Sermo Vigeſimus Primus.
In Feſto Paſchatis.
Thema.

Reſurrexit. Marc. 16.

Synopſis.

Chriſtus Sodalibus Roſarii offert ovum Paſchale in ſignum victoriæ, & glorioſæ olim cum ipſo reſurrectionis.

Sermo Vigeſimus Secundus.
Dominica prima poſt Paſcha.
Thema.

Affer manum tuam. Joan. 20.

Synopſis

Ex Roſario, tanquam gazophylacio ſpirituali, depromuntur theſauri fidei, & charitatis.

Sermo

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Sermo Vigeſimus Tertius.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

Thema.

Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan. 10.

Synopſis.

Sodales Sacratiſſimi Roſarii ſunt veræ oves Chriſti, quas ipſe ùt Paſtor cognoſcit, & cognoſcitur ab illis.

Sermo Vigeſimus Quartus.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Thema.

Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Joan. 16.

Synopſis.

Maria videt tribulationes Sodalium Roſarii, & mœſtis citiſſimè præbet ſolatium.

Sermo Vigeſimus Quintus.

Dominica tertia poſt Paſcha.

Thema.

Arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. Joan. 16.

Synopſis

Roſarium defendit à peccato, placat Divinam juſtitiam, & ſalvat in judicio.

Sermo Vigeſimus Sextus.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Thema.

Petite, & accipietis. Joan. 16.

Synopſis.

Quia Sodales Sacratiſſimi Roſarii petunt in nomine Chriſti, & B. Virginis, accipiunt, quidquid ſalubriter petunt.

Sermo Vigeſimus Septimus.

Dominica Infra Octavam Aſcenſionis.

Thema.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Joan. 16.

Synopſis.

Per meditationem SS. Myſteriorum, & aſſiſtentiam Reginæ Sacratiſſimi Roſarii confortantur Sodales in anxietatibus ſuis.

Sermo Vigeſimus Octavus.

In Feſto Pentecoſtes.

Thema.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. 14.

Synopſis.

Roſarium eſt perquàm efficax ad impetrandum Spiritum Sanctum, & ſeptem dona ejus.

Sermo Vigeſimus Nonus.

In Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.

Thema.

Euntes ergo baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Matth. 28.

Synopſis.

Sodales Roſarii obligantur ad decantandas laudes Sanctiſſimæ Trinitati & beneficiô Baptiſmi, & beneficiô Roſarii, quod eſt veluti alter Baptiſmus.

Sermo Trigeſimus.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten.

Thema.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

Synopſis.

Sodales Roſarii vocantur ad frequentem Communionem, & per Roſarium diſponuntur ad dignam illius ſumptionem.

Sermo

Sermo Trigeſimus Primus.
Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Thema.

Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Luc. 15.

Synopſis.

Beata Virgo in Roſario quærit drachmam perditam, & eâ inventâ lætatur.

Sermo Trigeſimus Secundus.
Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Thema.

Laxate retia veſtra. Luc. 5.

Synopſis.

S. Dominicus cum ſuis erat piſcator, qui per Roſarium, ceu rete quoddam, multos deſperatos ex profundo iniquitatis eduxit, & varios titubantes deportavit ad littus firmæ ſpei.

Sermo Trigeſimus Tertius.
Dominica quinta poſt Pentecoſten.

Thema.

Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Matth. 5.

Synopſis.

Inter Sodales Roſarii debet tolli omnis inimicitia, & florere continua pax.

Sermo Trigeſimus Quartus.
Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

Thema.

Si dimiſero eos jejunos, deficient in via. Marc. 8.

Synopſis.

Maria ſolicita pro Sodalibus Roſarii, ſicut, ne deficiant in via, providit de pane ſalutis; ita in aliis petitis efficaciter movet cor Filii ad miſericordiam.

Sermo Trigeſimus Quintus.

Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

Thema.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium. Matth. 17.

Synopſis.

Roſarium diabolo, & Hæreticis, tanquam falſis Prophetis, pellem ovinam abripit.

Sermo Trigeſimus Sextus.

Dominica octava poſt Pentecoſten.

Thema.

Facite vobis amicos. Luc. 16.

Synopſis.

Maria eſt optima amica Sodalium SS. Roſarii tum in particulari judicio, tum in purgatorio.

Sermo Trigeſimus Septimus.

Dominica nona poſt Pentecoſten.

Thema.

Circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique. Luc. 19.

Synopſis.

Roſarium perquàm ſalubre eſt contra bellum, famem, & peſtem.

Sermo

Sermo Trigeſimus Octavus.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

Thema.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

Synopſis

Per Roſarium peccator ſibi Deum propitium reddit, & obtinet gratiam ſervandi mandata in poſterum.

Sermo Trigeſimus Nonus.

Dominica undecima poſt Pentecoſten.

Thema.

Apertæ ſunt aures ejus- Marc. 7.

Synopſis.

Roſarium facit, ut & Deus audiat preces noſtras, & reſpondeat voci poſtulantis.

Sermo Quadrageſimus.

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

Thema.

Alligavit vulnera ejus, infundens vinum, & oleum. Luc. 10.

Synopſis.

Chriſtus verus Samaritanus in Roſario alligat vulnera noſtra, infunditque vinum, & oleum.

Sermo Quadrageſimus Primus.

Dominica decima tertia poſt Pentecoſten.

Thema.

Cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Luc. 17.

Synopſis.

Per Roſarium perſolvuntur Deo debitæ gratiæ pro acceptis, & ad nova beneficia impetranda homo dignus efficitur.

Sermo Quadrageſimus Secundus.

Dominica decima quarta poſt Pentecoſten.

Thema.

Conſiderate lilia. Matth. 6.

Synopſis.

Sodales Roſarii ſunt lilia, & quidem lilia perquàm virtuoſa.

Sermo Quadrageſimus Tertius.

Dominica decima quinta poſt Pentecoſten.

Thema.

Noli flere. Luc. 7.

Synopſis.

Regina Sacratiſſimi Roſarii eſt Protectrix, & Auxiliatrix pupillorum, ac viduarum.

Sermo Quadrageſimus Quartus

Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten.

Thema.

Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc. 14.

Synopſis.

Roſarium dat veram humilitatem, & ſimul elevat ad magna.

Sermo Quadrageſimus Quintus.

Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten.

Thema.

Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Matth. 22.

Synopſis.

Per Roſarium diabolus, caro, & mundus ponuntur ſcabella pedum noſtrorum.

Sermo

Sermo Quadrageſimus Sextus.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten.

Thema.

Venit in civitatem ſuam. Matth. 9.

Synopſis.

Regina Sacratiſſimi Roſarii eſt Civitas refugii & in malis corporis, & in culpis animæ.

Sermo Quadrageſimus Septimus.

Dominica decima nona poſt Pentecoſten.

Thema.

Fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22.

Synopſis.

Roſarium eſt medium peridoneum ad ſervandam caſtitatem, & removenda ea, quæ caſtitati contrariantur.

Sermo Quadrageſimus Octavus.

Dominica Vigeſima poſt Pentecoſten.

Thema.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joan. 4.

Synopſis.

Parentes ſolicitam curam gerunt filiorum ſuorum, ſi eos à juventute aſſuefaciant ad preces, & geſtationem Roſarii.

Sermo Quadrageſimus Nonus.

Dominica Vigeſima prima poſt Pentecoſten.

Thema.

Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

Synopſis.

Dominus iraſcitur iis, qui Roſarium aut penitùs ſpernunt, vel in aſſumpta ejus devotione denuò tepeſcunt.

Sermo

Sermo Quinquageſimus.

Dominica Vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten.

Thema.

Cujus eſt imago hæc. Matth. 22.

Synopſis.

Veneratio imaginum Sanctiſſimi Roſarii reddit Dominæ noſtræ cultum debitum, & confundit diabolum.

Sermo Quinquageſimus Primus.

Dominica Vigeſima tertia poſt Pentecoſten.

Thema.

Ecce! Princeps unus acceſſit, & adorabat eum. Matth. 9.

Synopſis.

Roſarium dicendum eſt cum ſumma reverentia tum interna animæ, tum externa corporis.

Sermo Quinquageſimus Secundus.

Dominica Vigeſima quarta poſt Pentecoſten.

Thema.

Orate autem, ne fiat fuga veſtra in hyeme. Matth. 24.

Synopſis.

Roſarium cum attentione dicendum eſt; diſtractiones autem ſunt valdè pernicioſæ.

SER-

SERMO PRIMUS.

Dominica prima Adventûs.

THEMA.

Erunt Signa in ſole & luna. Luc. 21.

Sodales Roſarij in die judicij videbunt ſigna benevolentiæ in Chriſto tanquam ſole, & ſigna Patrocinij in Maria, tanquam luna.



NOn immeritò hodierni Evangelij lectio, in qua diei illius, quo coram ſummo Judice comparere neceſſe erit, agitur mentio, ingerit oculis fulgur, auribus tonitru, cordibus ictum. Dum enim horror ultimi judicij, ſignàque antecedentia mentem pulſant, quis non totis artubus tremulus expaveſcet? Fulgur terrificum perſtringet oculos, dum ſol, & luna, ſub obſcuro velamine caligantes, non dabunt lumen ſuum; cætera verò aſtra emotîs ſedibûs cadent de cælo, quia, teſto noſtro Alberto M. *Erubeſcent videre iniquitates impiorum, & ingratis recuſabunt virtutum ſuarum benignas influentias.* In auribus tonitru horrendum tinniet, quoniam tuba, mirum ſpargens ſonum per ſepul- N. I.

Albert. M. in c. 3. Jöel.

per gladiô adeſſe, & ictum formidabilem intentare ijs, qui criminis cujusdam commiſſi accusabantur in judicio. Planè ingens diſcrimen inter ſubditos Regis Tenis, & Regis Babyloniæ! Illos ſub jugo ferreo ſuſpirare neceſſe erat; hos amor, & manſuetudo ſemper in ſpem veniæ erexerat. Utut autem hac in parte felices dicebantur Babylonij, meliori tamen haud dubiè jure feliciores dixero Sodales SS. Roſarij. In extremo judicij die procul omni dubio peccatores penes jratum Judicem tremebundi conſpicient miniſtrum juſtitiæ ſecurim gerentem, & ictum formidoloſè ingeminantem, id eſt, conſpicient adſtare Dæmones accuſatores, ignem paratum, portas inferi apertas, omnia ſigna rigoris, & ſeveræ juſtitiæ: Sodales autem Roſariani, quia in vita ſua tot roſas collegerunt, quot Roſaria dixerunt, erectis in conſolationem animis pulcherrimam penes divinum tribunal intuebuntur roſam, quæ & iram Judicis flectat in benevolentiam, & ſpem veniæ promittat reo puſillanimi. Roſa hæc non eſt alia, niſi roſa Roſarij, cujus odor penetrat cælos, cujus decor cor emollit omnipotentis Dei, cujus arcana vis conſolidat debiles. Roſarium eſt illa roſa, quæ toties jam inhibuit rigorem juſtitiæ, quoties juſtus Judex exarſerat in peccatores, quæ torvum divini vultus horrorem mutavit in ſuavitatem, quæ intentatas pœnas vertit in ter exoptata amoris munera, reos erexit, confortavit, ſalvavit: Roſarium enim juxta Gregor. nihil eſt aliud, *quàm modus orandi à S. Dominico inſtitutus ad iram Dei placandam.* Et benè: Nam ſi olim Deus dixit ad Abraham: *Enumera ſtellas, ſi potes*, ego quidnî dicam? Enumera peccatores, ſi potes, quos roſa Roſarij reduxit ad gratiam, de ſe omni prorſus gratiâ indigniſſimos. Per Roſarium cæli ſedes impletæ ſunt, infernus evacuatus gemit, milleni ad vitam redierunt, pænitentiam agentes: Qui faucibus orci jamjam abſorbebantur, favores Judicis aucupabantur: Qui ſuis meritis diffidentes, demeritorum autem conſcij, ſuum ſibi præſagiebant interitum, benevolè ſalvabantur conformiter ad id, quod ſequitur.

Greg. XIII in Bulla: Monet Apoſtolus.

N. 4. *Pierius l. 55.*

Magis Ægiptiis, ut refert Pierius, communis doctrina erat, ad Magnatum corda captivanda, & ad Principium ineundam gratiam, efficacius nihil eſſe, quàm ſi ſupplex, dum Regi loqueretur, priús faciem ſuam oleô roſaceô lavaret, aut clam vaſculum hujusmodi liquore plenum ſeccum deferret; maximè, ſi inſuper ante in-

ingreſſum ad aulam tale roſarum libamen Diis ſuis ſacrificare præveniſſet. Addebant inſuper, ipſa experientiâ compertum eſſe, eum, qui hôc arcanô uſus fuit, nunquam ab aula regia vacuum receſſiſſe, quin voti ſui damnatus omnia impetrârit, quæ poſtſtulavit. Num hoc veritati congruat, an verò purum ſit veterum magorum ſophiſmaticum phantaſma, ignoro: In præſentiarum tamen ad dilucitationem veritatis multúm deſervit. Qui enim liquorem roſaceum, id eſt, preces Roſarij ſecum portaverit ad judicium, illùdque eâ, quâ par eſt, reverentiâ Deo ſuo obtulerit, ne dubitet, quin omnia pro voto ſuo ſit impetraturus. Roſarij roſa continet in ſe oleum miræ virtutis, nempe ſanguinem, & myſteria vitæ, paſſionis, & mortis Chriſti, quæ, cúm plena ſint divinâ miſericordiâ, non poſſunt non Regem regum, & Dominum dominatium inclinare in vota ſupplicum, & beare preces poſtulantium: Roſarium emanat à ſe oleum illud vigoroſiſſimum, de quo in Cant: *Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*, nempe dulciſſima nomina *Jeſus* & *Maria*, quæ ſuaviter inſonant auribus æterni patris, ut, dum iratus fuerit, miſericordiæ recordetur. *Cant. 1.*

Figuram hujus nobis præbet ſacra Scriptura in libro Eſther. N. 5. Rex Aſſuerus in omnes univerſi regni ſui hebræos funeſtam mortis tulerat ſententiam, jam impiæ executioni deſtinata, jam proclamata dies, jam litteræ Regis annulo & ſigillo firmatæ quaquaverſum demandatæ erant, ut in omnibus provinciis & urbibus uno tempore tota gens Judaica deleretur, hebræi necarentur omnes à juvene uſque ad ſenem. Nunquam cælum adeò denſis obductum ſquallet nubibus, nunquam ita terrent multiplicata in aëre fulgura, mugiunt tunitrua, ùt tunc triſtia in Judæos omni ex parte portendebantur omina. Thronus Regius atrîs obvolutus tenebrîs extremas minitabatur miſerias, in vultu regio exarſit jra, & ignis egrediebatur ad internecionem innocentis populi, Aſſuerus inſtar tonantis Jovis vibrabat jacula. Non erat niſi triſtis violentæ mortis imago. Intereà Regina Eſther, intús viſcera miſericordiæ in populum induta, ad extra verò circumdata gloriâ ſuâ, & ornata decore ſuo regio, ingreſſa eſt ad Regem, & ſuplicem pro gente ſua porrexit ſedenti in Throno libellum. Et ecce! Non tam ſubitó diſpulsîs nebulîs ſol ſerenat aërem, quàm Eſther iratam Aſſueri exhilaravit faciem: Ad ſup-

plices Reginæ præces, innuente S. textu, convertit Deús ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus exiliens â ſolio ait :
Eſther, 15. *Quid habes, Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta.* Hìs dictis in toto regno funeſta mortis edicta ociús fuerunt revocata, abſoluti, qui erant condemnati, in gratiam recepti, qui paulò ante erant abominabiles Regi. Sed quæ ſubitaneæ hujus mutationis cauſa? Sané non alia, quám roſeus Eſther Reginæ vultus (ipſa enim teſte S. Pagina : *Roſeo colore vultum perfuſa* intravit ad Regem) roſe in genis rubentes oderem dederunt, & traxerunt cor Regis in vota ſupplicantis: Liquor roſeus in oculis lachrymantis Reginæ collectus, & propemodúm per faciem defluens emollivit duram mortis ſententiam, & inclinavit cor Regis ad miſericordiam.

N. 6. Quod olim in figura, id nunc quotidie manifeſtum fit in luce. Aſſuerus, teſte *S.* Damas. S. Anſel. *S.* Bern. & aliis denotat Regem cæli & terræ, maximum totius temporis Monarcham: Divinus iſte Aſſuerus jam dudúm in peccatores omnes rigidam tulit mortis ſententiam, paravit ignem diabolo, & aſſeclis ejus. Edictum exiit ſub ſimilitudine arboris fici: *Succide eam, ut quid terram occupat.* Omnis arbor, quæ non fert fructum ſuum, excidetur, & in ignem mittetur. Nunquam non in eos, qui malè agunt, exardeſcit ignis divinæ ponitionis, multiplicantur fulgura minarum, triſtis pœnarum aſpectus in delinquentes. Aſt ſi Eſther aliqua roſeo vultu perfuſa interveniat, id eſt ſi anima aliqua, Roſario addicta, ſiſtatur coram myſtico Aſſuero, mox atra diffugiunt nubila, vultus terribilis mutatur in amabilem, furor in gtatiam, læta undequaque in ſole juſtitiæ ſeſe diffundunt ſuperni ſolatij omina. Aſſurgit quaſi divinus Aſſuerus, & ait: *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta.* Chriſtus ſe nominat fratrem Sodalium SS. Roſarij, quia illi ſunt filij B. Virginis. Chriſtus autem eſt *Primogenitus in multis fratribus.* Chriſtus negat legem mortis pro Roſarianis poſitam eſſe, quia illi ob roſeum vultum gaudent Privilegiô exemtionis. Unde doctus Carthagena ex Ordine Minorum : *Qui fuerint ſcripſi in libro Archifraternitatis SS. Roſariis documenta ejus implentes, divinam ultionem non ſuſtinebunt, ſed miſericordiam Dei conſequentur.*

S. Damaſ. S. Anſelm. S. Bernard. Luc. 13. Rom. 8. Carthag.

Aſt

Aſt non ſolúm in ſole ſigna benevolentiæ, ſed etiam in luna ſigna Patrocinij exorientur Sodalibus SS. Roſarij in extremo judicio. Maria luna eſt; & quidem ſemper plena, quæ nunquam deficit patrociniis ſuis, ait Sinaita. Maria luna eſt præ omnibus Sanctis velociſſimo gyrata motu, ut indigentibus opituletur hominibus: Maria luna eſt præfecta nocti peccatorum, ut, quando oppoſita nube peccati ſol juſtitiæ occidit, ipſa luce auxilij ſui illuminet hominem. Tenebræ factæ ſunt per univerſam terram, ſol in meridie Ecclypſim paſſus occidere videbatur, ubi Salvator noſter à peccatoribus in crucem actus in monte Calvariæ mortuus eſt. Aſt decidente ſole luna dedit lucem ſuam: Maria Mater ſtabat juxta crucem; & quidem non ad dexteram, ùt ingerit ordinarius pictorum ſtylus, qui D. Virginem ad dexteram Crucifixi, Joannem verò ad ſiniſtram ſtatuunt; ſed ad ſiniſtram crucis, ait S. Bernardus, ita, ut Chriſtus in cruce faciem tenuerit ad orientem, Virgo verò ad ſiniſtram, id eſt, ad aquilonem. Fundat hanc ſuam opinionem S. Bernardus in illo Dividis vaticinio. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me.* Ubi Chriſtus conqueritur ſuam à dextris omnimodam deſolationem. Sed quare Maria in monte Calvariæ ad ſiniſtram? quare oculi pientiſſimæ Matris verſûs aquilonem? Siniſtra denotat juſtam Dei jram, ſeveram punientis Judicis juſtitiam: In ſiniſtra olim collocabuntur reprobi, ubi ſub ſimilitudine hædorum ſeparabuntur ab ovibus, & audient horribilem illam ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ab aquilone autem juxta ſcripturam *Pandetur omne malum*, & ingruet homini omnis neceſſitas. Maria ergo juxta crucem non ad dexteram, ſed ad ſiniſtram ſtabat, ait noſter *S.* Antonius, quaſi medians inter filium ſuum, & peccatores, ut illos favorum ſuorum luce bearet, quibus radiorum ſolis divinæ gratiæ ſpes nulla ſuper: Maria ſiniſtram elegit, ut movendo dilectum Filium ad ſe benignè reſpiciendam, ſimul obligaret ad pium peccatorum à parte ſiniſtra ſimul ſubſiſtentium miſericordiæ intuitum: Maria oculos ſuos vertit ad aquilonem, ut admirabili viſûs ſui virtute omne malam averteret, & delictorum tenebras ſuo lumine diſſiparet: Maria veluti luna expandit jucunda patrocinij ſigna ubi ſol juſtitiæ negato lumine minitabatur peccatoribus omne malum.

N. 7. *Sinait l. 6. contempl.* *Luc. 23.* *S. Bern.* *Pſalm. 141* *Jerem. 1.* *Sabb. 3. Quadr.*

Quod

N. 8. Quod idem nunc experiuntur Clientes Mariani de die in diem. *S*i ingens peccatorum multitudo turbat, ſi conſcientiæ turpitudo confundit, ſi horror Judicis terret, ſi radij divinæ gratiæ ſeſe abſcondunt, ſi nox deſperationis ingruit, Maria veluti luna apparet in cælo, illucet peccatoribus, & jucundîs affulget patrocinij ſignîs præſertim Sodalibus SS. Roſarij. Hoc exinde manifeſtum relinquitur, quia amor non eſt otioſus, ſed magna operatur in eos, in quos juſto pondere inclinatur. Unde, ut cæca gentillitas amoris vim explicaret, pinxit Numen oculîs undique plenum, ſimùlque per diem & noctem apertîs, ne quod malum adamato ſuperveniret, aut interturbaret dilectum. Ponebatur hoc Numen Amoris â latere ſupremi Deorum, ut, ſi contingeret iratum Jovem fulmina fruroris vibrare, Numen Amoris mox adeſſet, tela ſubriperet, manum punientis cohiberet, ictui ſe opponeret; & hoc eò citiùs, eò ſtudioſiùs, quò pro diverſitate dilectionis amor magìs, vel minùs ponderoſus in unum vel alterum ferebatur. Ipſiſſima hæc veritas liquet in Beatiſſima Virgine Maria. Materno viſcere dilligit totum genus humanum, vertit ſuos miſericordes oculos ad omnem partem, diu noctùque irrequieta ſollicitudine intendit ſaluti hominum, aſſiſtit, ait S. Bernardus, coram tremendo Judice, ut, ſi manus terribilis gladium iræ ſuæ vibret ſuper nos, accurat, manum pro nobis objiciat, pœnam avertat; hoc tamen magìs & minùs pro diverſitate amoris, quo fertur in magìs & minùs meritos. O ergo quàm læta patrocinij omina Sodalibus Roſarij in luna Mariana? Vos eſtis, *S*odales SS. Roſarij, vos eſtis, quos præ omnibus plùs diligit auguſtiſſima cæli Regina: Vos eſtis, quibus totus dilectæ Matris videtur amor eſſe dedicatus: Vos eſtis, qui totum Mariani cordis affectum vobis vendicatis. Magnus eſt amor, qui Sponſum inter & Sponſam mutuîs nutritur incitamentîs: Aſt longè eſt major amor, quô B. Virgo amplectitur Sodales SS. Roſarij, teſte B. Alano de rupe, his verbis: *Plùs amat B. V. pſallentem in hoc Pſalterio, quàm facere poſſent tot mulieres amantes ſponſum, quot ſunt ſcintillæ ignis.* Magna amoris vis ipſa natura, ab identitate uteri materni, in ſita eſt germanis fratribus & ſororibus: Aſt intenſior eſt amoris affectus, quô B. Virgo inclinatur in Sodales SS. Roſarij, teſte præcitato Roſarij Apoſtolo B. Alano: *B. Virgo plùs diligit pſallentem, quàm poſſent, diligere*

S. Bernard in deprec. ad B. Virg.

Part. 4. c. 24.

B. Alanus.

tot

tot ſorores fratrem proprium, quot ſunt arœne maris, poſitô, quod quælibet amaret eum, quantùm unquam Thamar amavit fratrem ſuum Abſalonem. Magnus eſt amor parentum in filios ſeipſos ſpernentium, ut filij ſint felices: Aſt præeminet amor B. Virginis inclientes Pſalterios addictos. Ita denuò B. Alanus loc. cit. *Plùs amat B. Virgo quemlibet pſallentem in Roſario, quàm poteſt facere totus mundus patrum & matrum habentium unicum Filium, tantùm dilectum à quolibet patre, quantùm unquam mater filium proprium naturali amore amaverat.* Confirmat hoc dilectiſſimus Mariæ ſponſus B. Alanus, & ex variis revelationum teſtimoniis plus ultra progreditur in declarando amore, quô ſe in Roſarianos ferri ipſa B. Virgo teſtata eſt. Verba authoris hæc ſunt: *Ipſa Domina noſtra Virgo Maria aliquoties revelavit, tantum ſe amare quemlibet peccatorem ſibi in Pſalterio deſervientem, ut ipſa, quantùm in ſe eſt, vellet dimittere gloriam ſuam usque ad finem mundi, & pro ipſo agere pœnitentiam in hoc ſæculo;* imò, *ut vellet pati pœnas omnium animarum, quàm relinquere aliquem damnandum.* Quis igitur neget tritum illud: Verus amor nullum novit habere modum.

Idem l. cit.

Idem.

N. 9. Si igitur juxta menſuram affectûs amor ſe oſtendit operoſum in exhibitione operis, ubi excedens eſt menſura amoris, an non & ſuper effluent opera miſericordiæ? Si vis amoris non ſinit amantem eſſe otioſum, quin ſuper amatum indefeſſè vigilet, quis dubitet, quin materna Mariæ viſcera irretortô oculô invigilent ſaluti Roſarianorum? Si Numen amoris juxta gentiles dominabatur in ipſum Jovem, & diſperſis fulminibus læta ſpopondit omnia, quis B. Virginem pro Roſarianis ambigat aſtare omnipotenti Deo, ut avertat mala, loquatur bona, impetret ammiſſam gratiam? Quis in Luna Mariana non jucunda ſibi auguretur ſigna, & amoris phænomena?

N. 10. Augurij hujus duplex fundamentum habetur in ipſo naturali rerum ordine. Imprimìs naute maris malaciam, ventorum ſilentium, propitiam ſibi lunam, & aſtra ominantur tunc, ubi vident avem alcyonem in littore maris nidificare, & ova fovere. Avis hæc, teſte Plinio, partus ſuos non niſi in littore maris edere ſolet, & tempus pariendi deputatum habet in medio fermè hyemis. Maximè autem mirabile eſt illud, quòd per integros quatuordecim dies, quibus indiget ad excludenda ova, & nutriendos

Plin. l. 19. c. 32.

endos pullos, mare ſemper ſoleat eſſe pacatum, & tranquillum. Hinc & nautæ hos dies, utpote certæ ſerenitatis indices, ſpecialiter obſervant, vocántque alcyonidas; Poëtæ verò exinde ſumpſerunt anſam fabulandi, quòd alcyon fuerit filia Æoli, qui in gratiam filiæ, dum illa in littore ova fovet, ventorum impetum compeſcat, & optima quæque omina in cælo exhibeat.

Pierius l. 15. Alcyoni aptè comparavero Sodales Mariani Pſalterij. Nidificant hi penes littus maris illius, quod & à mari vocatur Maria, & mare gratiarum interpretatur: Nidus alcyonis juxta Pierium mirô artificiô ex piſciculorum oſſiculis, & ſpinulis contexitur, cuilibet gladio impenetrabilis. Pari modo Roſariani nidum ſuum conſtrunt ex oſſibus & ſpinis piſcis illius, in cujus ore totum humanum genus cum divo Petro invenit pretium ſolutionis debiti ſui, id eſt, ex myſteriis vitæ, Paſſionis, & gloriæ Chriſti, quæ nullus condignè penetrare poteſt: Roſariani ſunt filij non Æoli, ſed Reginæ cœleſtis, qui, ſicut alcyon teſte Plinio loc. cit. compartem ſuam jugiter ad cantum provocat, ita ſe invicem alter alterum ad pſallendum B. Virgini indefeſſè invitant. Quid igitur mirum, ſi, alcyone tali myſtica in Roſario nidificante, læta in cælo exoriantur omina, Regina Roſarij impetum omnis contrarij venti compeſcat, & non niſi jucundiſſima in Luna Mariana ſeſe patrocinij ſigna prodant, quilibet, dum ex hac vita enavigat ad æternitatem, tranquillum, & pecatum maris hujus ſibi promittat tranſitum?

N. 11. Secundum proſperi augurij fundamentum præbet notiſſimum illud adagium, quo dicitur: *Nocte rubens cælum cras indicat eſſe ſerenum.* Dum enim, ſole recedente, cælum coloratur roſîs, & pellucidîs rubet nebulîs, ruſtici in agris, paſtores in ſylvis, cives in urbibus ſerenum de nocte ſperant aërem, copioſos lunæ illuceſcentis favores, lætáque nocturnorum luminarium munera. Idipſum ego dixero in ſenſu morali. Si, dum dies hominis ad finem vergit, & atræ mortis tenebræ ingraveſcunt, rubent in anima roſæ, id eſt, ſi homo SS. Roſarij meritîs eſt præditus, nihil obeſt, quin ſibi ter optatum præſagiat agonem, felicem vitæ exitum, millenos Marianæ Lunæ favores, ſereniſſima in æterni-

S. Bernard. Serm de Aſſumpt. tate tempora. Unde S. Bernardus: *Si ingenti tuorum peccatorum multitudine turbaris, Mariam invoca: Si conſcientiæ turpitudine confunderis, Dei Matrem accede, & ſerenaberis: ſi Judi-*

cis

ris horror te timidum reddit, Deiparam invoca, & habebis fiduciam. Erit tibi fideliſſimus ductor ad ſalutis portum. Et rurſus: *Iraſcatur Dæmon, imperverſetur in nos Deus: Maria ab omnibus interceſſione ſua nos liberat, & defendit.* *Idem ſerm. 3. in Cant.*

Hiſtoria.

DIe 28. Maij Anno 1641. Magiſtratus urbis Villingen, inter Briſacum, & Conſtantiam ſitæ, captivari fecit viduam quandam, Annam Morgen, de arte magica accuſatam: Quæ poſt acerbam torturam confitebatur, ſe ſeptenniô cum dæmone, ſibi ſub ſpecie adoleſcentis, quem ante matrimonium ſuum amaverat, apparente commercium habuiſſe. Itaque Magiſtratus ad diem tertiam Junij eam morti adjudicavit, interim cautæ vigilantiæ cuſtodis carceris demandatam. Quæ fingens ſe frigore moleſtari, cuſtodem rogavit, ut ei afforis frigus arceret. Vix autem ille foras egreſſus erat, miſerabilis maga, etſi pedibus, manibúsque ligata, diaboli operâ (qui ei etiam cultrum adminiſtraverat) ingentes duas inciſiones ſibi fecit in gutture. Unde perfuſa ſanguine, capite deorſum è lecto pendente, omni ſpiritu vitali privata videbatur, adeò, ut duo jurati chirurgi, qui à Magiſtratu ad caſum explorandum deputati fuerant, nec pulſum arteriæ, nec aliquem alium motum vitæ adinvenire potuerint, nec punctionibus acicularum ullum ſignum vitale ſit deprehenſum. Unde Magiſtratus ordinavit, ut corpus pro mortuo habitum per carnificem ex urbe traheretur, & in loco debito cremaretur. Adeſt carnifex cum miniſtris ſuis. Corpus trahunt ex lecto, & vili involutum tegumentô, ligatúmque ex feneſtra proijciunt, ad altitudinem quinque pedum in currum, quem ſuptùs carcerem ideò collocaverant, illùdque, ubi ad locum ſupplicij venerunt, ſtrui impoſuerunt. Intereà, maga, ubi igne jamjam incenſo calorem percipiebat, ſe movere cœperat, & exclamans: Ach! Ach! cadebat in terram; ſed reſumpta per carnifices, ligantes caput, & pedes ferratîs clauſtrîs, in ſtruem ardentem denuò inijcitur. Maga autem vim ignis doloroſiùs perſentiens, voce contentiore exclamavit: JEſus, & Maria; & iteratò decidit in terram, igne incenſa, combuſtîs capillîs, facie, collo, & corpore propemodùm toſto. Accurrentes ergo quidam de populo eandem interogabant, ſi ſacerdotem habere deſi-

deraret ad confitendum? Qua affirmante mox carnifex equô conſcensô properavit ad urbem, & conſentiente Magiſtratu confeſſarium adduxit, cui peccata ſua magna contritione fuit confeſſa, ſupplicans, ut etiam recipere poſſet Sacramentum Dominici Corporis. Quia autem ſacerdos judicavit, id præſtare differi in diem Dominicam proximam, & quòd interim reduceretur ad civitatem, oſtendit & pœnitens, id ſibi placere, contentáque ſe mori die lunæ ſequenti. Poſtea Sacerdos, ubi ſcire cupiît, quid eam tam inſenſibilem reddiderit ad tot puncturas acicularum, & ad projectionem è loco tam alto in vehiculum, illa vehementer obſtupuit, immemor omnium eorum, quæ facta eſſent, hæc duo confitens: Imprimìs, quòd diabolus ei cultrum dederit, illúmque manum mulieris admovendo gutturi infixerit. Deinde, quòd mox fuerit ab Angelo ad tribunal Dei deducta, ubi JEſus in præſentia Matris ſuæ exprobravit ei, quòd nunquam fuiſſet confeſſa magiam ſuam, è qua potuiſſet primitùs facilè liberari; ſed non ideò æternaliter fore damnandam, potiùs verò redituram ad corpus, ut confiteri poſſet, & ſatisfacere pro peccatis. Hunc autem favorem ei concedi ob interceſſionem glorioſæ Deiparæ, cujus Roſarium quondam recitâſſet, ad ejus adſcripta Sodalitatem. Accepta ergo ſacra Communione die ſequenti mortem excepit, & animam tradidit Creatori ſuo. P. Philippus Polinus in faſciculo Roſarum. p. 2. Roſ. 2.

SER-

SERMO SECUNDUS.

Dominica ſecunda Adventûs.

THEMA.

Cùm audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti. Matth. 11.

Roſarium eſt vinculum, quô interiùs anima Chriſto jungitur, exteriùs verò ligatur dæmon, ne noceat.

NOverunt, qui vineas colunt, primos inter labores attendendum eſſe, ut palmites vitis, antequam folia & fructus pullulent, validîs vinculîs ligentur ad fulcrum ſuum, ne deinceps ventis in ludum cedant, inordinatè diſſipentur, diſſipatè paulatim frangantur. Vineæ paſſim comparatur Eccleſia, in qua vinea vitis eſt Chriſtus, palmites ſunt juſti; ut veritas ipſa teſtatur: *Ego ſum vitis vera, vos palmites.* Vincula, quibûs hos palmites oportet ligari ad fulcrum, ſunt præcepta legis, ait Dionyſius Carthuſianus, quia horum ope contra turbines tentationum roboratur juſtus, Chriſto jungitur, & illæſus conſiſtit in vigore ſuo. Hujus hodie in Evangelio veridicum teſtem agit Joannes in vinculis, cujus animus, quia præceptîs legis, veluti fortiſſimîs vinculîs, agglutinatus erat Deo ſuo, adeò eluſit omnem impetum, excitos motus, & tentaminum turbines furentis Herodis, ut nec latum unguem dimoveri potuerit à ſuo ſuſtentaculo. Joannes homo ſanctiſſimus, Deo perfamiliaris, Pontificis Zachariæ filius, deſerti incola, eremitarum decus, virtutis imago, pœnitentiæ ſpeculum, Meſſiæ præcurſor, regum terror, angelus humano incluſus corpori, hodie ſedet in vinculis, inſtar homicidæ ſquallet in carcere, ferrô gravatus, manibus, pedibúſque ligatus. Inno-

N. 1.

Joan. 15.

Dionyſ. Carth. Serm. de S. Petro ad vinc.

Innocentia illa, quæ tam ſanctè vixit in ſolitudine, quaſi nocens arctâ cingitur cuſtodiâ: Lingua illa, quæ præclarum de Meſſiæ divinitate perhibuit teſtimonium, obmuteſcit in tenebris: Manus illa, quæ digitô ſuô demonſtravit filium Dei in carne: *Ecce Agnus Dei;* vinculîs conſtricta obrigeſcit: Ille, qui paulò antè Jordanis aquîs Salvatorem mundi abluerat, proprio brevì ſanguine tortoris manu abluendus erit. Aſt fruſtra hæc omnia. Joannes ridet inanes irati Herodis conatus, veluti flamina invalida, mens imperturbata adhæret Deo ſuo, quidquid in contrarium attentaverit aulicorum ventorum vis. Unde ipſe Chriſtus hodie de Joanne: *Quid exiſtis in deſertum videre, an arundiram ventô agitatam?* Arundo in omnem partem eſt mobilis, vix aurâ contingitur, & flectitur ad omnem motum, deſignans, ait S. Gregorius, carnalem animum, qui mox, ut favore, vel detractione tangitur, in partem quamlibet inclinatur. Quid ergo, inquit Chriſtus, exiſtis in deſertum videre, an arundinem ventô agitatam? Sanè ejusmodi arundo Joannes non eſt, fortior eſt Joannes, quàm ùt ab humana aura flecti queat: Fortior eſt, quàm ut à fulcro ſuo mobilis ſit; fortiſſimus palmes eſt, non arundo, quem à ſtatûs ſui rectitudine nulla vis dejiciet. Inſigne de Joanne teſtimonium! Utinam idem in omnem mortalem caderet! Nunc autem non abſonè loquitur Paulus à palatio, dicens: Arundines ſumus omnes mortales, qui ex Adam naſcimur, & juxta verba Domini calamus quaſſatus, aut palmites facilè ad omnem auram mobiles. Inſurgunt venti tentationum, & movemur in omnem partem, frangimur, & dejicimur à vite noſtra vera, areſcentes in omni opere bono: Inſtat ab extrinſeco diabolus, injicit miſeris vincula, & veluti in faſciculos aridorum palmitum alligatos in ignem mittit æternum. Huic malo obviaturus dicam hodie, Roſarium eſſe vinculum, quô interiùs anima jungitur Chriſto, exteriùs verò ligatur dæmon, ne noceat.

Joan. 1. — *In caten. aur.* — *Paul. à Palat.*

N. 2. Quòd palmes ligari debeat viti divinæ, ut fructum afferat, declarat ipſe Chriſtus his verbis: *Manete in me, & ego in vobis, ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſinè me nihil poteſtis facere.* Ligamen hujusmodi non eſt aliud, quàm oratio juxta illud Chryſoſtomi: *Benè novit vivere,* *qui*

Joan. 15. — *Chryſoſt.*

qui benè novit orare. *Oratio*, ait Joannes Climacus, *eſt conjunctio hominis & Dei.* *Oratio*, ait S. Auguſtinus, *eſt conjunctio ſancti Spiritûs.* *Fide*, ait S. Ambroſius, *ſponſa invenit ſponſum, oratione conſtrinxit.* Quemadmodùm enim nervìs veluti vinculîs corpus cohæret, currit, vivit, ſtat, & compactum ſe movet, adeò, ut, ſi nervos incideris, univerſam corporis harmoniam diſſolveris, ita anima hominis per preces ſibi conſtat, virtutibus compingitur, & cum Chriſto capite ſuo unum corpus efficitur, veluti palmes in vite uberrimos fructus proferens. *Joan.Clim.* *S. Aug.* *S. Ambroſ.*

Id in primo noſtro proto-parente manifeſtum fit. Adam pulcherrimi inſtar palmitis germinare cœpit in horto voluptatis, ornatus copioſis donorum naturalium foliis, affatim dotatus fructu interno virtutum theologicarum & infuſarum, arctè conjunctus Deo ſuo per profundam rerum omnium intelligentiam, per millena beneficia, per voluntatem rectam, & unicè absque omni rebellione appetitûs ſenſitivi in bonum propenſam. Aſt ſurrexit levis ventus vanæ gloriæ, ſibilus ex ore ſerpentis, ſonus de ore mulieris; & ecce palmes de ſtipite ſuo facilè movetur, turpiter diſſipatur, infeliciter frangitur. Quare? Vincula deerant. Adam juxta SS. PP. per orationem non erat ligatus Deo ſuo, ſed potiùs propriis viribus confiſus Dei gratiam, qua mandata ſervaret, orare neglexit. Nullibi in tota hiſtoria Adam in Paradiſo conſtitutus legitur orâſſe; & ideò ſolutus à vite immaturè exaruit. David hac in re prudentior erat proto-parente ſuo, optimè ſibi perſpectam habuit impotentiam ſuam ad bonum, conſideravit multiplicata humanæ vitæ pericula, probè cognovit ſterilitatem naturæ ſibi ipſi relictæ, & per ſubtractionem gratiæ à Deo diſtinctæ, ideò identidem clamavit: *Salvum me fac, ut cuſtodiam mandata.* Cum Davide hodiedum ſacerdos orat in Miſſa: *Fac me tuis ſemper in hærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas.* N. 3. *Pſalm.118.*

Si ergo omnis oratio vinculum eſt, quô anima Deo conjungitur, quantò magìs id de Roſario affirmare licet? Sanè Roſarium vinculum eſt tot funiculis contextum, quod eidem *Pater* & *Ave* inſerta ſunt, & myſteria ad meditationem immiſcentur. Oratio eſt duplex, vocalis, & mentalis, hæc corde, illa ore peragitur; & utramque continet Roſarium, ut vis unita ſit fortior; mentalem, ubi continuam exigit myſteriorum contemplationem, N. 4.

onem, per quæ ſalus noſtra effecta eſt; vocalem verò, ubi centum quinquaginta Salutationibus angelicis quindecies interponit Orationem Dominicam. Oratio Dominica eſt funiculus adeò
Carth.in c. 6. Matth. fortis, ut illius efficaciam, teſte Carthuſiano, nemo capere poſſit, vel eloqui, ut per ſeptem petitiones ſeptem peccatîs mortalibûs religatîs animam ſemper Deo unitam ſervet, divinum nomen ſanctificet, regnum Dei advenire faciat, voluntatem Patris per omnia præcepta adimpleat, det panem quotidianum quaſi ſuccum nutritium myſtico palmiti neceſſarium, debita dimittat,
S. Bonav. in c. 6. Mat tentationes arceat, à malo liberet, & denique, teſte S. Bonaventura, ſeptem donîs ſpiritûs ſancti deſuper attractîs in vite vera virere faciat, & vegetativè vivificari. Oratio Dominica funiculus eſt, quô Chriſtiani longè feliciùs Deo ſuo conjuncti ſecuriùs quieſcunt, quàm olim Epheſini ſub auſpicijs Dianæ protectricis ſuæ. Contigit Epheſum à Rege Cræſo arcta obſidione cingi, & ſucceſſivè ad eas anguſtias compelli, ut ſpes nulla ſuper, & urbs jam certa videretur hoſtium præda. Defecerat annona, ceciderat miles defendens, rimas aperuerant mænia, omnia proximum minitabantur exitium, unica Diana urbis Dea protectrix refugium ſupererat deſolatis. Quare mæſti cives conſilium in arena capiunt, arreptô oblongô funiculô circumcingunt muros, portas, domos, & turres, tandémque hôc funiculô columnæ Dianæ circumpoſitô, & extremitatibûs manui Dianæ inſertîs credebant ſe invincibiles, ridentes conatus hoſtium, & ſpernentes machinamenta obſidentium. Aſt Epheſinis hac in parte longè feliciores ſunt Sodales SS. Roſarij, ſi vinculo Orationis
S. Auguſt. Dominicæ ſeſe alligent ad Deum ſuum: *Oratio hæc*, ait S. Auguſtinus, *eſt animæ ſanctæ præſidium, diabolo ſupplicium, ſpes cer-*
S. Chryſoſt *ta ſalutis: Oratio*, ait S. Chryſoſtomus, *jam dudum bella compoſuit, prælia removit, tempeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit.* Impoſſibile eſt, ut prævaleat ventus tentationis, quamdiu per devotam Orationem Dominicam palmes animæ manſerit in vite ſua.

N. 5. Paulò minoris roboris eſt ſecundus funiculus in vinculo Roſarij vocalis, ſcilicet Salutatio angelica, centum & quinquagin-
B. Albert. M. S. Ambroſius. ta vicibus repetita in Pſalterio Mariano. *Angelica Salutatio*, ait noſter Albertus M. *eſt fortitudo Martyrum, quâ cuncta ſupplicia devicerunt: Eſt fides Apoſtolorum*, ait S. Ambroſius, *quâ mira*

ſunt

ſunt operati: Eſt puritas Virginum, ait S. Hieronymus, *quâ in vinculo amoris ſequuntur agnum ſponſum, quocunque ierit.* S. Hieron. Hôc funiculô adeò felici ſeſe Deo innexuit modò illuſtriſſimum Ordinis noſtri jubar Divus Thomas Aquinas, ut per totam vitam nullo unquam gravi peccato ab eo fuerit ſeparatus, imò vix levi peccamine deordinari ſe paſſus fuerit. Cùm enim eum ùt infantulum nutrix vellet abluere, reperit chartulam è terra ſublatam adeò validè manu ejus compreſſam, ut acriter flenti nec potuerit, nec voluerit importuniùs eripere. Res tota matri indicatur, quæ, ægrè tandem manum infantis aperiens, chartam, in qua Salutatio Angelica ſcripta erat, abſtraxit: Is verò eam ploratu & geſtu repetens, mox redditam deglutivit, tanquam primum alimentum illius giganteæ fortitudinis, quam poſteà ſanctitas ejus declaravit. Hôc eôdem funiculô inſigne itidem decus Dominicanæ Familiæ ſeſe ſponſo ſuo junxit S. Catharina Senenſis. Hæc, quoties per ſcalas domûs ſuæ aſcendere, vel deſcendere neceſſe erat, ad quemlibet gradum repetiît Salutationem Angelicam, exinde quaſi unum cor cum ſponſo ſuo effecta; apparens enim Chriſtus aperto dilectæ latere cor proprium poſuit ad locum cordis Catharinæ, quô deinceps ardentiùs poſſet amare ſponſum. Hôc funiculô mille alij tanquam palmites Chriſto viti veræ conſtricti ſunt, ut in ijs dimovendis omnes ſemper tentationum turbines irriti fuerint, & inanes. Unde benè Thomas *Thom. Kemp.* Kemp. *Dum dico Ave Maria, torpor evaneſcit, cor ex amore liqueſcit, creſcit devotio, oritur compunctio, ſpes proficit, augetur conſolatio.*

Major accedit vis vinculo Roſarij per tertium, quô conſtat, N. 6. funiculum, videlicet per contemplationem quindecim myſteriorum, quæ orationi vocali interponi oportet per ſingulas decades. Vim hanc ejuſmodi contemplationis ipſe Chriſtus olim explicavit noſtro Joanni Thaulero, eximio Theologo. Sciſcitanti enim, quis fructus ex meditatione myſteriorum vitæ & mortis Salvatoris accreſceret homini, novem ejuſmodi recenſuit Dominus ſervo ſuo Joanni. Inter alios, quòd per talem meditationem homo plurimùm confortetur ad reſiſtendum adverſarijs, triumphaturus, quoties ab ijs fuerit acriùs impugnandus. Secundò, quòd in dictis myſterijs ſingularis energia lateat ad heroica opera præſtanda, ad altiſſimas virtutes acquirendas. Tertiò, quòd

in recogitatione vitæ Salvatoris anima ſemper cum fœnore renovanda ſit in gratia, ſemper fortiori nexu conjungenda fini ultimo, in qua libenter commoretur ille, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum.

N. 7. Virtutem hanc præ alijs experta eſt S. Maria Magdalena. Hæc poſtquàm tanquam ramus inutilis denuò inſerta eſt viti divinæ, & copiosîs pœnitentiæ lachrymîs irrigata in domo Simonis revireſcere cœpit ad frugem, per inſigne miraculum ex Judæa transplantata in Galliam, & in crypta ad ſumendum majus incrementum abſcondita, ab initio converſionis ſuæ variîs tentationum ventîs impetebatur, & in propoſitis ſuis ſinè intermiſſione magno impetu concutiebatur. Superbia inflabat, ambitio perturbabat, venuſtas formæ alliciebat, luxus veſtium arridebat, luxuria titillabat, gula irritabat, tota vita anteacta ſenſus occupabat, & cogitatus, ſuadens redire ad ſæculum: Aſt fruſtra. Vinculum, quo Magdalena Chriſto adhærere cœpit, rumpi non potuit. Apparuit ei Archangelus S. Michaël, crucem pulcherrimam in aditu ſpeluncæ conſtituit, in cujus contemplatione animus pœnitentis ſtetit immobilis, progerminavit vinum virginum, & fructum centeſimum retulit in patientia: Vita, Paſſio, & mors Salvatoris ſui ſæpiùs recogitata ita vinciebat animam Magdalenæ ad lignum Crucifixi, ut in vanum ceciderint contrarij motus, excitati inſultus.

Theodoret. Id hodiedum experiuntur Sodales Roſarij in contemplatione myſteriorum, quia, teſte Theodoreto, *Dum ſancta mens vitam Chriſti ex omni parte conſiderat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat. Contemplatio myſteriorum Roſarij intellectum illuminat*, ait Arias Montanus, *voluntatem movet ad totam legem implendam, quæ eſt finis, ad quem hæc myſteria ordinantur.* Contemplatio vitæ, Paſſionis, & mortis Chriſti univit Deo Martyres in tormentis, anachoretas in eremis, Religioſos in clauſtris, trahens omnes ad imitationem præeuntis Ducis ſui.

Arias Mont.

N. 8. Si ergo tantum robur in ſingulis funiculis, quantum erit in integro vinculo Mariani Pſalterij ex tot funiculis contexto? An-

Cant. 4. non cum Sponſa dicere poterunt: *Dilectus meus mihi, & ego illi, tenui eum, nec dimittam?* Sed unde tanta in diligente confidentia? Inde, quòd audire meruerit à Sponſa: *Sicut vitta coccinea labia*

labia tua, eloquium tuum dulce. Unde autem tanta tenendi vis in labiis, & vitta coccinea? Vitta coccinea, exponit Cornelius â Lapide, eſt oratio, tunc enim labia animæ ſanctæ ſunt inſtar vittæ coccineæ, cùm ardentem ad Deum effundunt orationem: Per hanc vittam quaſi per funem anima ad ſe trahit Deum, & dum trahit, & ipſa trahitur ad Deum. Major adhuc tenendi vis inerat labiis Sponſæ exinde, quia aſſimilabantur roſis, ubi enim dilectus alloquitur dilectam: *Labia tua ſicut lilia diſtillantia*, multi legunt: *Labia tua roſæ.* Et roſeis his labiis confiſa Sponſa audenter dixit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, tenui eum, nec dimittam;* nexus perpetuus erit inter nos, vinculum indiſſolubile junget me illi, & illum mihi. Labia roſea rubent in Sodalibus SS. Roſarij, roſas loquuntur, quoties Roſarium dicunt, tot roſîs exuberant, quot *Pater* & *Ave* proferunt. Quid nì ergo doctus Romanius omnes adhortetur? *Si tu Chriſtiane intimè Deo tuo uniri cupias, Roſarij nunquam obliviſcaris.*

Cornel. à Lap. in 4. Cant.

Roman.

N. 9. Sed quid cum Joanne video? *Et ecce*, inquit aquila Apocalypticus, *& ecce vidi angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſumentur mille anni, & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.* Per draconem unanimi calculo SS. PP. intelligunt draconem illum, qui nunc ſub pedibus ſui triumphatoris victus jacet, olim autem in cœlo bellum commiſit cum Michaële, & angelis ejus, quaſi fulgur cecidit de cœlo, & tertiam ſtellarum partem ſecum traxit ad interitum. Draco iſte ſeduxit gentes, adeò, ut venenatô ſibilô primùm in paradiſum irrepſerit, proto-parentibus noſtris eſum fructus vetiti fraudulenter ſuaſerit, poſteà usque ad adventum Meſſiæ magna poteſtate dominatus fuerit univerſo orbi. *Et ecce*, ait S. Auguſtinus, *deſcendit angelus magni conſilij de cœlo, id eſt, Chriſtus dominus de ſinu patris, habens claves abyſſi, id eſt, claves vitæ & mortis, habens catenam magnam virtutis divinæ, & myſteriorum ſecum agendorum, & apprehendit diabolum, & miſit eum in abyſſum dempta dominatione, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni.* Sed quid poſt mille annos factum eſt? Variæ ſunt hac in re Doctorum opiniones. Ad noſtrum intentum appoſitè dicere

Apoc. 20.

S. Aug. L. 20. de Civit Dei c. 7.

licet, quòd poſt mille annos alius angelus de cœlo miſſus fuerit, qui ſolutum ad modicum tempus infernalem draconem denuò apprehendit, vinciit, & in abyſſo alligavit ad ignem æternum, ne noceret ampliùs. Annis à nato Chriſto mille transactis redibant ſæcula peſſima, mores perditiſſimi, impietas execranda: Virtus fermè omnis exulabat, fervor fidelium extinguebatur, chriſtianiſſimus labeſcebat; econtra vitia regnabant impunè, hæreſes diſſeminabantur, errores & ſuperſtitiones ſuper arenam maris multiplicabantur, infernalis draco venena ſua liberè ubique ſpargebat ſeducens populos. Et ecce, & vidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, & miſit in abyſſum, ut non ſeducat ampliùs gentes. Poſt milleſimum annum pauco tempore intermedio naſcitur ſanctus Patriarcha Dominicus, angelo ſimilior, quàm homini, quia juxta plurimorum teſtimonia inſtar Jeremiæ Prophetæ in veteri, inſtar Joannis Baptiſtæ in novo teſtamento jam in utero materno fuit juſtificatus, & à labe originali mundatus in ortu ſuo, potiùs angelum præſentavit, quàm hominem. Ejusmodi angelum poſteà exhibuit ſemper in vita ſua, in moribus purus, in actione totus ſpiritus, volitans per medium cœli veluti angelus ille Apocalypticus, & clamans voce magna dignos pœnitentiæ fructus. In manu ſua habebat claves abyſſi, id eſt, poteſtatem claudendi, & aperiendi, ligandi, & ſolvendi peccata, tanquam Miſſionarius, Pœnitentiarius, & primus Apoſtolici Palatij Magiſter. Præter has claves in manu gerebat catenam magnam, id eſt, Pſalterium Marianum, quæ catena, teſte B. Alano, tot annulis conſtat, quot *Pater* & *Ave* continet, qua devinctum dæmonem ligavit in abyſſo, quâ veluti rudentibus inferni detraxit in tartarum ſolutum dæmonem, & cruciandum tradidit reſervatum in judicium, ut dicitur 2. Pet. 2. Vix ſanctus Dominicus Roſarium prædicare cœperat; & paſſim dæmones ex obſeſſis clamabant: *Væ nobis, væ nobis, ab angelis per vim Pſalterij catenis ignitis religamur, & procul hoc ab orbe religamur in barathrum.*

B. Alanus de Rupe 1. p. c. 20.

N. 10. Nec mirum: Nemo enim Roſario vim ligandi dæmonem denegare poteſt, ut ex eo liquet, quod legitur in Annalibus Eccleſiaſticis. Petrus Exorciſta in odium fidei à Præfecto Artemio carceri mancipatus arcta tenebatur in cuſtodia, ut metu pœnarum

Annal. Ecclеſ. ad diem 2. Julij

rum conſilium mutaret, verum Deum abjuraret, idolis thus adoleret. Quadam die Artemius cum conjuge ſua, & filia nomine Paulina, quæ à diabolo obſeſſa variè divexabatur, ad prandium ſedebat. Et ecce! nemine cogitante ſiſtit ſe prandentibus Petrus, & vinculîs ruptîs adſtat imperterritus. Poſtquàm enim ad Deum oravit, ut ad modicum tempus compedes ſolverentur, & ſic inimicis veræ fidei virtus divina per miraculum oſtenderetur, quos ratio non convincebat, mox catenæ ceciderunt de manibus & pedibus ejus, Petrúsque ex carcere in cœnaculum translatus, opere, & verbo veritatem orthodoxæ doctrinæ prædicare cœpit. Aſt, ut non invitatus, ita & ingratus iſte hoſpes erat in prandio. Vix enim tartareus Paulinæ inquilinus Petrum præſentem adverterat, gemere auditus eſt, & ejulare dicens: *Virtus Chriſti, quæ eſt in te, ô Petre! me ligat, atque expellit.* Hisque dictis Paulinam reliquit, Artemio & Candida uxore ad pedes beati Exorciſtæ proſtratis, gratias Deo vero agentibus, & paulò poſt pro fide Chriſti glorioſum martyrium obeuntibus.

Eodem modo S. Patriarcha Dominicus, eodem modo nunc devoti Roſariani dæmones torquent, ad præſentiam Mariani Pſalterii ejulantes & dicentes: Virtus Chriſti, quæ eſt in vobis, nos ligat atque expellit. In Pſalterio abſcondita latet tota virtus Chriſti nati, Chriſti patientis, Chriſti glorioſi; & hæc vincula injicit malignis ſpiritibus, hæc ligat poteſtates tenebrarum, hæc coarctat draconem ſubterraneum, ne noceat. Hæc virtus Chriſti nati ligabat dæmones, ùt ipſi lamentantes faſſi ſunt: *Quid nobis, & tibi JEſu fili Dei: Veniſte ante tempus torquere nos?* Hæc virtus Chriſti patientis ligavit hoſtem inviſibilem, ubi vicit, & vinciît eum in ligno crucis, qui priùs vicerat in ligno paradiſi: *Sæviendo enim in Chriſtum, ſuum principatum diabolus deſtruxit, qui antiquæ fraudis jura non perdidiſſet, ſi à Domini JEſu ſanguine continuiſſet. Sed malitiâ nocendi avidus, dum irruit, ruit, dum capit, captus eſt, dum proſequitur mortalem, incidit in ſalvatorem.* Hæc virtus Chriſti glorioſè reſurgentis ligavit dæmonem; in reſurrectione enim, ait Apoſtolus, *expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſeipſo.* Ibi abſcondita erat fortitudo ejus, & verificabatur illud: *Ante faciem ejus ibi mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* In reſurrectione impletum eſt vaticinium Davidis: *Draco iſte, quem*

N. 11. *Math. 8.* *S. Leo. de Paſſ. Dom.* *Ad Coloſ. 2* *Habac 3.* *Pſalm. 103*

 for-

formâſti ad illudendum illi, tu contriviſti capita draconum. Hæc virtus copiosè diffunditur, & dilatatur in myſterijs SS. Roſarij, quorum præcipuum meditationis objectum eſt Chriſtus natus in prima Pſalterij parte, Chriſtus patiens in ſecunda, Chriſtus glorioſus in tertia. Hæc virtus torquet in, & per Roſarium, ligat, in vinculis tenet Draconem tartareum, ne noceat, illigat laqueos ubique parantem, coarctat inſidias omnibus ſtruentem.

N. 12. *Plutarch.* Hinc non erravero, ſi Sodales SS. Roſarij comparavero in antiquis gentilium hiſtorijs famoſiſſimo illi belliduci, de quo Plutarchus; in fabulis autem generoſiſſimo Herculi. Primus debili ſatis exercitu à republica Athenienſi olim juſſus eſt tribus hoſtibus, & tribus exercitibus obviam ire, & urgentem neceſſitatem à Patria arcere. Ardua hæc erant juſſa, eventus rei non ſolùm dubius, ſed penè deſperatus, ideóque Apollinis Delphici oraculô vel maximè indigus. Et ecce! dum bellidux ſolito Dei ſui intenderet ſacrificio, clypeus ferreus in caput ejus incidit, depictos habens tres pulcherrimas coronas cum Lemmate: *In hoc vinces.* Quibus excitatus bellidux animum reaſſumpſit, generosè pugnavit, gloriosè vicit, & procul à patrijs ditionibus hoſtem repulit. Secundus, ſcilicet Hercules, fortitudinem ſuam ſingulari encomio commendabilem reddidit in inferno. Dum enim quadam die loca inferiora addiîſſet, & ad portas inferni canem rabidum inveniſſet, arte & viribus adniti debuit, ut ſeſe ab inſultibus indemnem ſervaret. Canis iſte erat Poëtis ille celeberrimus Cerberus, qui triceps ad fores Tartari cuſtodias agit ne illuc ingreſſis reditus pateat ad terras, aut viventes illuc acceſſum moliantur pro liberandis damnatis. Cerberum hunc mox generoſo auſu aggreſſus eſt Hercules, & injecto triplici fune adeò ligavit tricipitem, ut deinceps nocere poſſet nemini. Heroibus iſtis ſimillimi ſunt Sodales SS. Roſarij; his à cœlo clypeus non ſolùm ferreus, ſed invincibilis ſubmiſſus eſt, id eſt, Pſalterium Marianum, in tres coronas, ſeu partes diviſum, cum Lemmate: *In hoc vinces.* Hoc clypeo animati contra tres potentiſſimos hoſtes, contra tres diſtinctos exercitus, videlicet contra mundum, carnem, & dæmonem in aciem procedunt, animosè dimicant, gloriosè triumphant, procul arcentes omnem contrariam poteſtatem, ne noceat. Roſariani ad inſtar Herculis triplicem funiculum, & ideò difficulter rumptibilem, in mani-

manibus gerunt, hócque tricipitem Cerberum adeò vinciunt, ut irretitus & conſtrictus audaciam deponat, vires amittat, ferociam exuat.

Sed dicet aliquis : Subintrat hìc S. Auguſtinus : *Si alligatus eſt dæmon ; quare adhuc tantùm prævalet, ut vix pauci ejus rabiem evadant? Verum eſt*, reſpondet Auguſtinus ſibi ipſi, *multùm prævalet ; aſt tepidis ſolùm, negligentibus, & Deum in veritate non timentibus : Alligatus eſt ſiquidem dæmon ; aſt ſicut canis innexus catenis, qui, etſi neminem poſſit mordere nolentem, poteſt tamen mordere volentem, qui ſe ei mortifera ſecuritate conjunxerit.* Canis ligatus latrare poteſt, terrere poteſt, ſollicitare poteſt, aſt nocere non poteſt, niſi ſpontè, & incautè accedentem : Pari modo diabolus tentare poteſt Roſarianos, inſidiari poteſt, illudere poteſt, aſt prævalere non poteſt, niſi tepidis, & negligentibus in orationibus ſuis, qui ſeipſos tueri non ſatagunt, vincula Roſarij abijciunt, ſpontè in fauces Draconis tartarei irruunt. Multi quidem, dum malè agunt, excuſantes ſe in peccatis ſuis dæmonem tentantem accuſant; aſt contra hos jam dudum dæmon ad pedes Antonij Magni projectus conquerebatur dicens : *Cur mihi maledicunt homines? Sibi imputent, ſi cadant; ego enim nihil poſſum, niſi ipſi ſpontè ſe mihi ſubdant.* A fortiori ejusmodi querelas eructabit ſerpens antiquus in Roſarianos, ſi aliqui tentationibus ſuccumbentes accuſare præſumerent tentantem; his enim nec poteſtas deeſt, nec vinculum, quo ligent appropinquantem adverſarium, arceant inſidias diaboli, triumphent inſultus inimicorum.

N. 13. *Auguſt. ſerm. 197. de temp.*

Hiſtoria.

TEmpore, quo Sanctiſſimus Patriarcha Dominicus in Italia Ordinis ſui fundamenta jaciebat, & ſalutem animarum indefeſſè promovens in vinea Domini ſedulum vinitorem agebat, quo peccatores, veluti ſurculos turpiter à ſtipite ſuo reſciſſos, divinæ viti readſtringeret, Comes quidam, qui in varia ſcelera ſolutus in copioſas excreverat labuscras, ad eum acceſſit, conſcientiæ ſuæ maculas digna confeſſione abſterſurus, & ruptîs peccatorum vinculîs in libertatem filiorum Dei ſeſe vindicaturus. Transacta exomologeſi vir Dei ſollicitus erat, ne reſipiſ-

cens

cens ad vomitum rediret, & in cautus denuò in prædam cederet diabolo, avulſus à Deo ſuo, cui firmiter propoſuerat per vincula præceptorum impoſterùm adhærere. Quare paternè adhortabatur Comitem, ut in Pſalterio ſpem ſuam poneret, eóque quotidie dictô ſeſe firmaret in propoſitis ſuis, confidens, quòd tali modo fixè eſſet immobilitandus in bono, & diabolo violentas manus injecturus, ne noceret unquam tentato. Placuit hoc conſilium ſaniora cogitanti, brevique tempore ope Mariani Pſalterij adeò forti nexu junctus fuit Deo, ut de virtute in virtutem aſcendens eò ſanctior ſubitò evaſerit, quò priùs in omni malitiæ genere erat nequior. Diſplicuit hoc diabolo. Unde omnem lapidem movit, ut nexum hunc ſolveret, tenerum virtutis palmitem à vite divina, cui per gratiam indies magìs inſerebatur, per peccata diſſolveret, & in primo virore arefaceret. Diu noctúque tentationibus phantaſijs, illuſionibus inſtabat, ſemper tamen incaſſum laborans, quia fortius erat vinculum animæ Comitis Roſarium, quàm ut rumpi poſſet; imò ipſe tentator incidit in laqueum, quem alteri paraverat. Contigit aliquando, ut devotè dicenti Roſarium adfuerit malignus ſpiritus, & oranti variîs nugîs gravis fuerit, ac importunus. Comes intereà occaſione uſus injicit in collum inſidiantis Roſarium, ligat nolentem, & ridet illudentem: His non contentus Comes magna vi hoſtem proſternit ad terram, conculcat pede, nec priùs dimittit, niſi habitîs promiſsîs quòd deinceps non vellet ampliùs moleſtus eſſe oranti. Sic prævalens Comes ulteriùs progreſſus eſt ad experiendam Roſarij virtutem in religando dæmone. Caſtellum illi erat inhabitabile, & incultum, eòquòd ſpectris & immundis ſpiritibus adeò infeſtaretur, ut nullus in eo auderet domicilium ponere. Jubet ergo dominus caſtelli, ut in ſingulis muris pingeretur Roſarium ad terrorem illius, qui protervè perrexerat terrere inquilinos. Et benè; quot enim Roſaria picta erant, tot quaſi erecta ſunt vincula, quibus ligata fuit poteſtas dæmonum. Ab illo enim tempore ceſſavit omnis tumultus & horror ſpectrorum, nec quidquam moleſtiæ accidit habitantibus in caſtello. B. Alanus p. 4. c. 42.

SER-

SERMO TERTIUS

Dominica tertia Adventûs.

THEMA.

Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Joan. 1.

Chriſtus, & Maria ſunt in medio cordis Sodalium SS. Roſarii; ille confortando in tentationibus, iſta conſolando.

SUbtiliter advertit noſter Purpuratus Hugo, quòd Chriſtus ſpecialiter ſibi complaceat, & providè locum ſibi conquirat medium. Infans in ſtabulo naſcitur, dum nox medium curſum teneret; natus in præſepio reponitur, medius inter tuo animalia bovem, & aſinum; perditus in Jeruſalem cum gaudio à patre & matre invenitur in templo in medio Doctorum; ductus in montem Calvariæ operatur ſalutem noſtram in medio terræ; moriens in cruce exſpirat animam medius inter duos latrones: Immortalis reſurgens à mortuis ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit eis: *Pax vobis.* Joannes in ſua Apocalypſi vidit eum in medio candelabrorum aureorum; tandem ipſe vivæ vocis oraculo promiſit diſcipulis: *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et quidnî medium ſibi vendicet locum, qui ſecundùm Divinitatem eſt medius inter Perſonas, ſecundùm humanitatem eſt mediator inter Deum, & hominem, ſecundùm officium unit ima ſummis, & facit utraque unum?

N. 1. *Hugo Card. in c. 1. Apoc.* *Pſal.* 73. *Luc.* 24. *Apoc. c.* 1. *Matth.* 18.

In hodierno Evangelio miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? an Elias es tu? an Propheta? an promiſſus in lege Meſſias? Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt: Non ſum Elias, non ſum Propheta, non ſum ego Chriſtus. Ego ſum vox clamantis in deſerto: Ego baptizo in aqua: *Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* In medio quidem Judæorum morabatur Chriſtus, illis colloquebatur, comprandeba, coambulabat, concurſabat; attamen, quia ſe gerebat ùt plebejum, ùt fabri filium, ùt humilem Nazarenum, abſque manifeſtatione ſignorum ignotus latebat, peregrinus erat ab oculis eorum, oculi illorum tenebantur, ne
Luc. 24. eum agnoſcerent. Contigit autem Judæis id, quod poſt reſurrectionem contigiſſe legimus duobus diſcipulis euntibus in Emaus. Ipſe JEſus appropinquans ibat cum illis, dulces miſcebat ſermones, incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis de omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant; ardens erat in illis cor, dum loqueretur in via, aperiret eis ſcripturas. Intravit cum ipſis in caſtellum inclinata jam die, recubuit, cœnavit cum cœnantibus; & tamen ante fractionem panis diſcipuli magiſtrum non cognoverunt, quia teſte ſacra pagina oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Idem contigit Judæis, antequàm piiſſimus Salvator ſeipſum manifeſtavit per opera, quæ nemo faciebat: Medius ſtetit inter illos, quem tamen apertìs oculìs neſciebant. Idipſum hodiedum accidit Sodalibus SS. Roſarij. Cùm tentantur, & anguſtiantur, Chriſtus, & clementiſſima Mater ejus verſantur in medio cordis tentatorum, ipſe confortando, ne ſuccumbant, iſta conſolando, ne deficiant, & nos neſcire videmur. Hoc erit argumentum hodierni ſermonis.

N. 2. Neceſſe eſt, ut in hac lachrymarum valle tentationes veniant, & tribulationes, teſtante id ipſa natura, quæ in prima nativitate hominis nihil aliud novit, quàm flere anxietates, labores, & procellas, quas plurimas devorare oportet in mortali vita.
Job. c. 6. Unde Job: *Homo naſcitur ad laborem*, id eſt, ait S. Auguſtinus,
S. Aug. in ad tribulationem, quia vita iſta tribulatio eſt, *ſicut avis ad volatum.*
Pſ. 137. Avi tum ad proprium bonum, tum ad pullorum educationem neceſſarius eſt volatus: Tribulatio & tentatio homini neceſſaria

eſt

eſt tum ad propriam ſalutem, tum ad ſtatum Chriſtiani inchoandum. *Si enim*, clamat Auguſtinus, *putas te nondum habere tribulationes, nondum cæpiſti eſſe Chriſtianus. Et ubi eſt vox Apoſtoli: Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur? Si ergo non pateris cum Chriſto ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Chriſto rectè vivere.* Aſt ſurſum corda, Sodales SS. Roſarij, ſurſum animos, eſtote viri fortes, in medio cordium veſtrorum adeſt, qui confortat debiles, conſolatur mæſtos, erigit eliſos: Quem foris quæritis, intùs latet: Sponſa in Canticis digitô monſtrat, quem lamentantes in anguſtijs veſtris abſentem flebili voce inclamatis. Abſconderat ſe dilectus à ſociabus ſponſæ ſuæ, & dum fugit ex oculis, ardentia in ſe deſideriorum vota reliquerat in nobili ex millibus electo gynecæo: Aberat paululùm, & aderat in corde omnium ingens eum videndi, & alloquendi cupido. Unde præproperæ ad dilectam acceſſerunt dicentes: *Quò abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum! quò declinavit dilectus tuus, & quæremus eum?* Sponſa nolens afflictis addere afflictionem non diu morabatur indicare latentem, ſed mox prodidit, quem ipſa jure ſponſaliorum ſciverat, ubi deliteſceret, dicens: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ut ibi paſcatur in hortis, & lilia*, alij legunt, *& roſas colligat.* Hoc frequenter in nobis experimur. Multi gemunt, lachrymantes, mille concidunt lamentis, ſe totos à Deo eſſe derelictos; tribulantur de die, tentantur de nocte, fugit ſomnus ab oculis, premunt anguſtiæ, multiplicantur curæ, accumulantur miſeriæ, quocunque ſe vertunt, triſtis occurrit deſolationum imago. Quod potiſſimum eſt, ille, qui ſolus per omnipotentiam & infinitam ſapientiam ſuam juvare poſſet, nullibi apparet. Curritur de Eccleſia ad Eccleſiam, inſtituuntus devotiones, prolongantur preces, emittuntur vota, inviſuntur imagines tavmaturgæ; aſt ubique abſconditus latet, qui quæritur. Gementes & dolentes interrogant ſeipſos: Quò abiit dilectus, quò declinavit, & quæremus eum? Verùm ſiſte gradum, ô Roſariane! Quæſitum ſatìs, intùs latet, quem foris indagas, in medio cordis pedem fixit, quem ad extra conquiris. *Dilectus tuus deſcendit in hortum ſuum, ut ibi paſcatur in hortis, & roſas colligat.* Hortus, ait Cornelius à Lap. *Eſt anima ſancta, quæ crebrò in areola aromatum, id eſt, in Vita & Paſſione Chriſti meditando verſatur.* Ad hunc hor-

Cant. 5.

In c. 6. Cant.

hortum deſcendit dilectus, ubi ibi paſcatur, & roſas colligat. In te, ô Roſariane! dum tentaris in medio cordis tui, dum tribularis, inhabitat dilectus tuus, ut congaudeat, dum in tentationibus Roſaria multiplicas, dum in tribulationibus Vitam & Paſſionem ejus meditaris: Intra te confortat te, quem quæris extrà te juvantem te.

N. 3. Rei hujus teſtem agit S. Catharina Senenſis Roſario devotiſſima. Hæc poſtquàm à inventute ſupremîs abundabat deliciîs, illuſtrabatur viſionibus, Seraphicis colliqueſcebat ardobus, ſubitò carcere cœpit omni interna ſpiritûs dulcedine, deſolatio, & ariditas indies magìs & magìs accreſcebant, & tanta erat omnis devotionis ſterilitas, ut miſerrimè contabeſcens tulerit agones omni morte amariores. Continua illi erant certamina cum dæmonibus, & quidem, quibûs duriora non dantur, vehementiſſima certamina caſtitatis. Domi, foris, in Eccleſia, in lecto, ubicunque impurîs vexabatur cogitationibûs, illudebatur phantaſiîs, moleſtabatur objectîs, adeò, ut de ſeipſa deſperans totam ſe crediderit à Deo derelictam, ſpiritibus immundis traditam. Macerabat corpus jejuniîs, vigiliîs, ciliciîs, mortificationibûs, & omnis generis, quas excogitare poterat, aſperitatibûs. Dies & noctes integras inſumebat precibûs, clamor cœlos penetrabat, Deus & Sancti in auxilium vocabantur. Sed fruſtra. Tentatio non ceſſabat, lucta non minuebatur, donec tandem in viſione aliqua Chriſtus denuò deſolatam recreavit, puſillanimem conſolidavit. Gratiſſima erat hæc, tam diu deſiderata, Sponſi præſentia, & inprimis ex eo amantiſſima Sponſa ſcire deſiderat dicens: *Ubi ergo tam diu fuiſti, dum adeò turpibûs cruciabar moleſtiîs?* Reſpondet Chriſtus: *In medio cordis tui ſpectator aderam, & vires reſiſtenti tribui, ne conſentires unquam.* Idem tibi, ô Roſariane! contingit. Ubi tentatio urget, tribulatio pungit, Chriſtus eſt in horto animæ tuæ, ut roſas, id eſt, Roſaria colligat, ex roſis vivificum Vitæ & Paſſionis ſuæ ſuccum in meditatione exprimat, quô pugnantem inungat, inunctum corroboret, corroboratum victoriâ condonet.

N. 4. *Luc. 19.* Corda Roſarianorum hac in parte aptè æquiparantur urbi Jericho, de qua S. Lucas ſic: *Ingreſſus JEſus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus; & hic erat Princeps publicanorum & ipſe dives, & quærebat JEſum videre, quis eſſet, &*

præ-

præcurrens aſcendit in arborum ſycomorum, ut videret eum, quia inde erat tranſiturus. Zachæus erat vir perditæ vitæ, famoſus in urbe peccator. Inprimìs enim dicitur à Scriptura Princeps publicanorum. Secundò, dum eum ſuſpiciens JEſus juſſerat feſtinanter ex arbore deſcendere, & ſe non invitatus invitaverat ad domus ejus, murrurabant omnes, dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet. Tertiò, ipſe Zachæus malè ſibi de bonis alienis conſcius dimidium bonorum ſuorum poſteà diſtribuit pauperibus, ut, ſi quem defraudâſſet, redderet quadruplum. Ad hunc ergo peccatorem convertendum, ad debilem hunc in via virtutis confortandum non ſufficiebat pientiſſimo Salvatori, ut benè advertit S. Petrus Chryſologus, ingreſſum fuiſſe urbem, ſed inſuper perambulabat Jericho, ibat, & redibat, de platea in plateam moras trahebat, diu in urbe morabatur, ut tentato ſuccurreret, pia deſideria in inchoante perficeret, inchoantem in perfectione melioris vitæ conſolidaret. Qua autem de cauſa, quæſtionem movet noſter Albertus M. tam diu JEſus morabatur in Jericho? Qua de cauſa tam valida in Jericho diviſit gratiæ auxilia, ut in momento ex injuſto juſtum, ex peccatore diſcipulum, ex publicano creârit ſanctiſſimum Epiſcopum, qualem poſteà in Zachæo venerabantur fideles? Ideò, reſpondet B. Albertus, quia in urbe Jericho videre erat roſas ſpecioſiſſimas, roſas centum & quinquaginta folia habentes, roſas odore, & decore venuſtiſſimas. Roſæ iſtæ ſiſtebant greſſum obambulantis Salvatoris, rapiebant oculos, detinebant transeuntem, usquedum ſuſpiciens miſertus eſt Zachæi, lapſum erexit, & jacentem reddidit fortem in bello.

Petr. Chryſol.

Albert. M.

N. 5. Non minùs hodiedum obambulat Salvator noſter clementiſſimus in cordibus Roſarianorum, in illis moras nectit, & diſpertit munera ſua. Ratio eſt, quia in his, ſicut in Jericho, multiplices vernant roſæ, omnes habentes folia 150. id eſt, Roſaria, quorum centum & quinquaginta *Ave Maria* ſunt veluti tot pulcherrima folia; odor eorum eſt odor filij, quaſi agri pleni, quia in Roſario meditamur unigeniti Dei filij myſteria, qui quaſi ager plenus impinguatus rore cæli, & pinguedine terræ frumentum dicitur electorum? Roſarum harum venuſtas & lepor eſt tantus, ut & in terris, & in cælis excreſcat in flores honoris, & honeſtatis. In his ergo roſis, dum exurgunt in cordibus Roſariano-

rum, ſe tardans detinet piiſſimus Salvator, ibi cubat, ibi paſcitur, ibi roſas colligit, ibi ſuſpiciens miſeretur tentati, & confortat certantem.

N. 6. Fatendum quidem eſt, quòd id quaſi non raró noſtris temporibus repetatur, quod legimus Matth. 8. Aſcendit Chriſtus in naviculam, & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Ex improviſo motus magnus factus eſt in mari, ita, ut navicula operiretur fluctibus; ipſe verò dormiebat. Ingraveſcebant fluctus, tumebant aquæ, ſpumabat mare, pericula augebantur, diſcipuli deſpondentes animum timebant vitæ ſuæ. Tandem accedunt ad magiſtrum, & ſuſcitant dormientem dicentes: *Domine, ſalva nos, perimus. Et dicit eis JEſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Simile quid nobiſcum frequenter agitur, quamdiu in mari magno & ſpatioſo hujus mundi navigamus. Inſurgunt motus tentationum, intumeſcunt amari fluctus tribulationum, concutitur navicula animæ noſtræ variîs inſultibûs, ita ut jam ſubmergi videatur: Omnipotens autem adjutor dormire ſe ſimulat, non audit preces clamantium, ſurdus eſt ad vota invocantium. Aſt, ô Roſariane! non cadas animô, intrà te eſt Salvator tuus, accede confidenter, ſuſcita dormientem voce Roſarij, ſurgens imperabit ventis, & mari, & fiet tranquillitas magna. Quid timidi eſtis modicæ fidei? Ubi ad Pſalterium Marianum confugitis, non poteſt abeſſe ille, qui facit nobis in tentationibus proventum. Ipſi gentiles firmiter ſibi perſuadebant, ibi Deos ſuos eſſe præſentes, ubi pſaltæ in citharis ſuis ludebant. Ita Ovidius his verſibus:

Matth. 8. *Ovidius.*

Phœbus adeſt, ſonuêre lyre, ſonuêre pharetræ;
Signáque nôſſe Deum per ſua Phœbus adeſt.

Et nos Roſariani dubitabimus de præſentia Dei noſtri, ubi tanquam Pſalte Mariani in Pſalterijs ludimus coram altiſſimo? Nos dubitabimus, ubi preces Roſarij, velut voces pſallentium in cithari ſuis, in cælo ſuaviter reſonant, & jucundè in terris intonantur? Nos dubitabimus, qui magno in numero choros agimus, una voce, concordî harmoniâ, junctîs viribûs laudes pſallimus cæli Monarchæ? Sanè non dubitandum eſt, ait doctus Romanius, dum Oratione Dominica & Angelica Pſalterium virgineum ſonat, facili negotio argumentari licet, ibi JEſum & Mariam

Roman. L. 4. c. 2. Sect. 5.

riam adeſſe, quos tam frequenter in Salutatione Angelica nominamus. Adeſt ſanè JEſus, ut roſas colligat, & confortet debiles.

Sed & adeſt B. Virgo Maria, ut conſoletur mæſtos. Commune quidem elogium eſt matris miſericordiæ, quòd ſit conſolatrix afflictorum, & quidem aptiſſimè; ſicut enim in terris officium ipſius erat proprium conſolari mæſtos, ita & nunc in cælum aſſumpta advocatam agit afflictorum, & tentatorum. De Maria in terris degente ſic fatetur S. Brigitta. *Aſcendente in cælum filio mater in mundo remanere permiſſa eſt ad bonorum conſolationem, & errantium correptionem. Erat enim magiſtra Apoſtolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confeſſorum, clariſſimum ſpeculum Virginum, conſolatrix Viduarum, & conjugio viventium ſaluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectiſſima roboratrix.* De Maria in cælum aſſumpta concordant omnes SS. PP. quòd ſit conſtituta theſauraria cæleſtis, advocata miſerorum, auxiliatrix tentatorum, adeò, ut, teſte S. Bonaventura, non ſit adeò miſer in hac vita, cui non impetret ſalutarem miſericordiam, ſi ad ejus declinaverit regimen.

N. 7.

In Revel. c. 17.

S. Bonav.

Præ alijs tamen adeſt B. Virgo in tentationibus conſolans Sodales SS. Roſarij, cujus figuram invenire eſt in lib. Regum: *Spiritus* tunc *Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam.* Non erat Saul ulla requies, diu, noctúque à malo ſpiritu vexabatur, movebatur, intorquebatur, diſturbabatur, defatigabatur, moleſtabatur, ad mortem uſque angariabatur, donec tandem Proceres, miſerrimæ ſorti regis ſui miſerti, adduxerunt filium Iſai, ſcientem pſallere citharâ, qui ſolus compeſcere potuit furorem mali ſpiritûs, ubi invadebat Saul. Ait enim ſacer textus: *Quandocunque ſpiritus malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Quod regum infeliciſſimo in corpore, idem in anima nobis obvenit peccatoribus. Exagitat nos ſpiritus nequam omni tempore, tentat nos in ſomno, in vigilia, in cibo, in potu, in domo, in via, in foro, in templo, in laboribus, in otio, in divitijs, in paupertate. *Nunc*, ait S. Ambroſius, *avaritia ſtimulat, nunc accendit libido, nunc irracundia exagitat, nunc ambitio movet, quaſi quibûsdam terræ motibûs quatitur mobilis animi nutantis affectus.* Ipſe Apoſtolus flebili voce deplorat ſortem ſuam: *Video aliam legem*

N. 8.

1. Reg. 16.

L. 9. in Luc c. 21.

Ad Roman. 7.

legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Peſſimum eſt, quòd ingruente tentatione mox omnia membra parata & prompta ſe offerant ad peccarum ponendum. Sic v. g. dum ira vindictam exquirit, in promptu eſt manus, os, lingua, enſis, ſaxum, jaculum, bipennis, & quæ ſunt id generis alia furoris inſtrumenta. Si libido titillet, pedes ſtant parati, ut celeri curſu ferant ad loca vetita, oculi in nictus prohibitos ſeſe effundunt, aures aperiuntur impuris jocis, & cantilenis, totum corpus illicito pruritu eò inclinatur, quò illecebroſa turpitudinis voluptas vocat. Si ventriculus latret, ſtomachus pruriat, gula invitet, ad manum ſe offerunt loculi, qui ſumptus orexi obvios ſuppeditant, menſam lautiſſimam exſtruunt, infarciunt ventrem, & cibîs ad nauſeam usque ſubonerant. Si blaſphemia, ſi murmuratio, ſi ſcurrilitas, ſi invidia, ſi rei alienæ cupiditas, ſi odiæm vel leviter nos impetat, mox ſummam in nobis violentiam patimur, rebellant interni affectus, inſtar arundinis in omnem partem agitamur. Unde ergo in his miſerijs ſolatium? unde in tantis motibus auxilium? A Roſario veſtro, Sodales Mariani, à Roſario veſtro omne bonum vobis provenit. Pſalterium Marianum, cujus figura erat Davidis Pſalmodia, dum ſive in veſtris, ſive in aliorum Confratrum manibus inſonat, potentiam tentantis dæmonis conſtringit, inſidias maligni ſpiritus præcavet, internos motus, & tumultum rebellantium paſſionum reprimit, ſolatium affert miſeris. Ad ſonum hujus Pſalterij Regina cæli ad corda veſtra trahitur, ut vos in tentationibus veſtris conſoletur, ſpiritum vexantem recedere cogat. Ita dilectus Mariæ Sponſus, & magnus Mariani Pſalterij zelator B. Alanus his verbis: *Intemerata Dei genitrix diabolum expellit, ſicut David per citharam à Saule dæmonem expellebat.* Dum Mariani Clientes angelicum *Ave* intonant, ſacra myſteria Chriſti pia mente recogitant, tollunt Pſalterium ſuum, refocillantur mæſte corda, leviùs habent tentati, & recedit ab eis, ſicut à Saul, ſpiritus malus. *Sathan fugit, infernus contremiſcit*, ait cum Thoma Kemp. B. Alanus, *cùm dico: Ave Maria. Abſcedit triſtitia, venit nova lætitia, cùm dico: Ave Maria. Torpor evaneſcit, cor ex amore liqueſcit, cùm dico: Ave Maria. Creſcit devotio, oritur compunctio, ſpes proficit, augetur conſolatio, cùm dico: Ave Maria. Cælum gaudet, ſtupet omnis terra, cùm dico: Ave Maria.*

Alan. de Rupe.

Nec

Nec mirum. Si enim in Pſalmis David, per cytharam decantatis, vis latebat occulta comprimendi ſpiritum malum, dum exagitabat Saul, cur non eadem vis attribuatur Pſalterio Mariano? Inquirunt cauſam Eucherius cum Venerabili Beda, unde paſtoritiæ Davidis citharæ tantum acceſſerit privilegium, ut eô aſcitô mox in Saul obmutuerit ſpiritus malus, & ligata nocendi poteſtate coactus receſſerit. Ingens ſanè erat poteſtas, quam Apoſtoli ab ipſo Chriſto acceperant ſuper dæmonia; ſic enim illis Chriſtus promiſit: *In nomine meo dæmonia ejicient - - ſerpentes tollent - ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt:* Nihilominus, dum pater filium dæmoniacum ad Apoſtolos adduceret, nemo erat, qui rabiem inhabitantis dæmonis in hoc miſero compeſcere poſſet. Triſtis erat rerum facies videre, quomodò infelix iſte à ſuo peſſimo inquilino divexatus fuerit; nunc terræ allidebatur, nunc dentibus ſtridebat, nunc ore ſpumabat, nunc furioſi inſtar per avia & devia rapiebatur, nunc mille alijs diſcruciabatur tormentis, ita, ut omnes, qui eum viderant, præcipuè Apoſtoli, ad compaſſionem moti fuerint, quin tamen ſuppetias ferre potuerint miſero. Unde ergo citharæ Davidicæ tanta virtus, ut mox ad ſonum ejus Saul leviùs haberet? Exinde, reſpondent præcitati Patres. In cithara Davidis decantabantur Pſalmi, in quibus Propheticè tota vita Chriſti, Paſſio, & Reſurrectio continebatur, & ex his tota vis reprimendi dæmonem citharæ acceſſerat. O Sodales SS. Roſarij! In veſtro Pſalterio Vita, Paſſio & Reſurrectio Chriſti non ſolùm Propheticè prædicta concluditur, ſed jam peracta, & in executione poſita continetur; vos non ſolùm, ùt David, Chriſtum naſciturum, Chriſtum paſſurum, Chriſtum reſurrecturum in ſpiritu contemplamini, ſed apertîs oculîs Chriſtum in ſtabulo natum, in Calvariæ monte crucifixum, ex ſepulchro glorioſè reſurgentem in Pſalterio veſtro intuemini: Quid ergo mirum, ſi Mariâ ad corda veſtra per preces Roſarij advocatâ, ſi inſonante Pſalterio veſtro ſileat infernus, cum tentationibus ſuis recedat ſpiritus malus, allevietur triſtitia, ſuccedat conſolatio?

N. 9.

Eucher.
Beda.

Marc. 16.
Matth. 17.

Hoc ex ipſo B. Virginis teſtimonio confirmatur, quo olim apud B. Alanum hæc promiſit Roſarianis ſuis: *Quò certiùs filij mei præſidium, meúmque patrocinium conſtet Pſaltis meis, ego ero illis mater:* Quàm fideliter autem mæſtis mater aſſiſtat filijs, ne- N. 10.
2. p. c. 17.

mo eſt, qui neſciat. *Egreſſus JEſus ſeceſſit in partes Tyri & Si-*
Matth. 15. *donis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine Fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur, qui non reſpondit ei verbum.* Aſt major erat matris hujus filiæ dilectio, quàm hoc agendi modo ſe à Chriſto repelli paſſa fuerit. Inſtat vehementiùs precibûs ſuìs, ita, ut ipſi diſcipuli apud magiſtrum pro ſupplicante interceſſerint dicentes: *Dimitte eam, qui clamat poſt nos.* Aſt nec diſcipuli in vota precantis flectere potuerunt cor magiſtri, quin potiùs reſpondens ait: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domûs Iſraël.* Aſt nec hâc negativâ acceptâ mater ceſſavit rogare pro ſalute filiæ ſuæ, ſed potiùs reaſſumptô animô denuò JEſum acceſſit, & adoravit eum, dicens: *Domine, adjuva me.* Adhuc autem durius ad has preces ſequebatur Chriſti reſponſum. Reſpondens enim ait: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed nec ſic matris pro filia ſollicitudo inhiberi potuit, pergit orare Dominum dicens: *Etiam Domine: Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Sicque tandem matris vota benevolè exaudita ſunt, ſanata eſt filia, & dereliquit vexatam dæmon. Materna ejusmodi viſcera gerit quoque Maria in Roſarianos ſuos, Maria juxta propria promiſſa eſt illis mater, & cùm illos à dæmone vexari, tentari, angariari conſpicit, citato gradu ad filium ſuum properat, & rogat, dicens: *Miſerere mei, filius meus, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Videtur quidem ſæpiùs ob demerita, & indignitatem peccatoris non exaudiri ſupplicatio pientiſſimæ matris, audit quaſi iratum ſibi filium reſpondere, quod reſpondit mulieri Chananææ: O dilecta mater! Non eſt bonum, panem filiorum, gratiam & gloriam, mittere ingratis illis canibus, impijs peccatoribus, qui tot divina à me in illos collata beneficia aſpernati ſunt. Sed non deſiſtit Maria, quaſi dicens: O clementiſſime Domine! Eſto hic infamis peccator tuam non mereatur miſericordiam, qui illam toties à te oblatam protervè contempſit, miſerere tamen mei, matris tuæ, quæ novem menſibus te in utero portavit, puriſſimo lacte ſuo te potavit. O Domine! Glorioſum eſt, & divinâ tuâ clementiâ prorsùs dignum, etiam catellos, id eſt, obſtinatos peccatores, de micis cæleſtibus gratiæ tuæ ſatiare. Et quid ad hoc reſpondere poterit aliud pius filius, niſi quod reſpondit Chananææ: Magna

eſt

eſt fides tua, magna eſt potentia tua: *Fiat tibi, ſicut vis.* Unde Richardus: *Maria eſt mulier Chananæa, quæ clamat ad Deum pro filio, id eſt, pro peccatoris anima, cujus etiam perſonam in ſe miſericorditer transformat dicens: Miſerere mei fili David. Et cui miſericorditer reſpondet Dominus: Mulier! magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut vis.* Quidnì ergo, ô Roſariani! dum malè à dæmonio tentante vexamini, in matrem veſtram confiditis? Quidnî Mariam in Roſario invocatis? Si veſtra merita digna non ſunt, ut exaudiantur, merita matris pro vobis efficaciter intercedunt. *Ad memoriam Mariæ* matris veſtræ, ait S. Bonaventura, *dæmones contremiſcunt, & eam omninò ſuſtinere non valent.*

Richard. L. 6. De Laud. D. Virg.

S. Bonav. in vig. Nativ.

Hiſtoria.

IN Lombardia erat Eremita in nullo diſſimilis primis illis eremi cultoribus, quos olim Ægyptus admirabatur, Deo in extrema vitæ aſperitate, in celebri virtutum progreſſu, in continuo prolixarum tentationum conflictu ferventiſſimè inſervientes. Cibô aliô non utebatur, quàm pane, & aqua, legumina rariſſimè adhibens. Lectus illi erat dura humus, cervical gibboſum ſaxum, domus perſæpè rupes concava. Orationes protrahebat à ſummo mane usque ad veſperam, diei ſubinde adnectens integras horas noctis. Maximè autem addictus erat devotioni SS. Roſarij, quieti priùs non dans corpuſculum, quàm integrum Pſalterium ſumma animi devotione indies perſolviſſet. Utcunque autem fama hæc virtutum & in cælo percrebuit, & in terra, dæmonem tamen à ſolitis ſuis tentationibus deterrere non potuit, quin potiùs omnes vires adhibuerit in pervertendo hoc eremita, eo fermè modo, quo pyratæ navibus magìs onuſtis plures inſidias ſtruunt. Bellandi nunquam erat finis, diabolo novas identidem larvas, & formas effingente, & ſicut olim Antonium magnum, ita & hunc eremicolam terrente. Nunc grunniebat ut ſus, nunc rugiebat ut leo, nunc ſibilabat ut ſerpens, nunc blandiebatur ut mulier, nunc ſyrenis inſtar ſuaviter cantabat, nunc omnia emovebat elementa, totúmque univerſum ſimulabat ſusque deque vertere; & hoc præcipuè orationis tempore, ut vel orantem diſtraheret, vel concupiſcentiæ illicitos motus cieret, vel

nauſeam ſolitudinis ingereret. Aſt fruſtra; quò enim vehementiùs tentatio urgebat, eò fortiùs eremita orationi inſtabat, omnem ſpem ſuam reponens in virtute Roſarij. Et benè: Nam Chriſtus, & Maria ſemper in medio cordis ejus aderant, ille confortando tentatum, iſta conſolando, ille roſas colligendo, hæc Pſalteriô ſuô ſpiritum malignum reprimendo. Id una maximè confirmabatur die, qua ſolitô inſolentiùs totus quaſi orcus irruebat. Cælum undequaque densîs ope dæmonis obtegebatur tenebrîs, turbines magno impetu mugiebant per aëra, cadebant grandines, micabant fulgura, ruebant fulmina, tantus erat tempeſtatis horror, ut præ timore, quò ſe verteret, eremita non inveniret. Jam eò res erat, quòd ignis jam actu cellulam, quam pro tunc inhabitavit vir Dei, corripuerit, & flammîs voracibûs depaſci cœperit. Unicum Roſarium reſiduum erat, per quod miſer auxilium ſperabat à Deo, hoc indeſinenter in manu tenebat, hoc recitans Mariæ patrocinium continuò inclamabat; & quidem effectu ter exoptato. Etenim dum extrema videbatur neceſſitas inſtare, apparuit ſuo Clienti Regina Sacratiſſimi Roſarij, conſolabatur mæſtum, erigebat puſillanimem, & afferebat à ſuperis Roſarium tantæ virtutis, ut illud juxta monitum pijſſimæ matris in ignem projectum mox flammas aſcendentes ſuppreſſerit, aërem ſerenaverit, dæmones ita in fugam egerit, ut ex poſt facto ad præfatum eremicolam appropinquare auſi non fuerint. B. Alanus de Rupe p. 4. operis redivivi cap. 27.

SER-

SERMO QUARTUS.

Dominica quarta Adventûs.

THEMA.

Vox clamantis in deſerto. Luc. 3.

Roſarium eſt vox clamans in deſerto hujus mundi, & dulciter reſonans in cælo.

EXigua videtur eſſe laus magni illus Præcurſoris, Prophetæ inter natos mulierum maximi, Joannis Baptiſtæ, dum tota hodie contrahitur ad illud, quòd ſit *Vox clamantis in deſerto.* Quid enim poteſt excogitari minus, aut vilius voce, quæ ſimul, ubi incipit eſſe, deſinit, primóque in ortu ſuo evaneſcit in auras? Quid eſt vox, niſi ſonus tranſiens, & res tenuiſſima, cujus totum eſſe eſt aëreum, cujus ſubſtantia eſt mera ſpiratio, cujus ſubſiſtentia eſt leviſſima aëris commotio? Et voci comparatur hodie magnus ille Joannes? Joannes, qui erat ſchola virtutum, magiſter vitæ, ſanctitatis forma, norma juſtitiæ, virginitatis ſpeculum, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum dux, & ſalus: Joannes major homine, par angelis, legis ſumma, Apoſtolorum clangor, ſilentium Prophetarum, lucerna mundi, Præcurſor judicis, Salvatoris teſtis. Ita de Baptiſta loquitur S. N. 1.

Hom. 16. in Matth. Chryſoſtomus. Et voci comparatur magnus ille Propheta, qui erat tuba cæli, præco Chriſti, arcanum patris, filij nuntius, organum Spiritûs ſancti, ſignifer ſummi regis, Judæorum correctio, vocatio gentis, legis, & gratiæ nervoſa fibula. Ita de ſancto Joanne ſentit Iſidorus. Et tanti viri qualis laus, quantus honor, quale ecomium, quòd ſit *Vox clamantis in deſerto*? Non laus exigua, reſpondet Didacus Stella, non honor vilis, non encomium tenue; per hoc enim inuitur, quòd, quidquid in Joanne erat, non niſi vox fuerit. *Veſtis, manus, caput, lingua, totus Joannes vox erat, clamans, & dicens: Pœnitentiam agite. Ejus ibus, potus, lectus, cilicium, inedia, os denique, & facies vox erant prædicantis in deſerto.* Et quidem vox illa, quam in ſpiritu prævidit, & ita præviè deprædicavit David hîs verbîs: *Vox Domini in magnificentia;* quia Joannes præ omnibus alijs Chriſti laudes glorioſiùs extollebat, digitò eum demonſtrans: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Vox erat Domini confringentis cedros;* quia doctrinâ ſuâ depreſſit elatos Phariſæorum animos, & confregit tumentem Judæorum ſuperbiam, dicens: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Vox* erat *Domini intercidentis flammam ignis;* quia Joannes incœſtuoſum concupiſcentiæ ignem in aula Herodis extinguere non deſtitit. *Vox* erat *Domini præparantis cervos:* quia impigros, & celeres venturo Redemptori præparavit, & præconſtituit diſcipulos, & ſectatores. *Vox* denique erat *Domini concutientis deſertum;* quia ad prædicationem Joannis tota reſonuit terra, & ad eum veniebat omnis populus, adeò quidem, ut ad vocem Joannis ad ipſis quoque cælis audiretur altiſſima Echo reſonare, ubi unigenitus Dei filius, ſicut ipſe laudabatur à Joanne, ita quoque Joannis laudes enuntiavit, eum vocans Angelum, Prophetam, & plusquàm Prophetam, imò inter natos de muliere virum maximum. Simili voci, ſi hodie Roſarianos comparavero, fortè non errabo, quia & ipſorum vox ita inſonat in terra, ut jucundô quoque jubilô reboet in cælis.

S. Iſid. Serm. 9. — *Didacus Stella.* — *Pſalm. 28.* — *Joan. 1.* — *Luc. 3.*

N. 2. Vox clamans in deſerto ſunt Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij. Quidnî enim illis adſcribatur Lemma, quod jam dudùm Bartholomæus de Rubeis attribuit philomelæ: *Vox, prætereáque nihil.* Philomela, utcunque avicula exilis, corpore debilis,

bilis, colore obſuſca, indole timidiſſima, voce tamen adeò ſonora per naturam donata eſt, ut in amænitate cantûs ſui facilè omnibus avibus palmam præripiat. Quod maximè mirum eſt, avicula hæc, ut experientia docet, adeò indefeſſa eſt in cantu ſuo, ut illum nedum à veſpere protrahat in plures horas noctis, ſed & ſummo denuò manè ſeſe erigat, vocem ſuam extollat, & ad morem aliarum avium ſub aurora, aliîs velociſſima, incipiat laudare Deum creatorem ſuum; & hoc tanta alacritate, tanto virium conniſu, tantâ vocis energiâ, ut pænè, teſte S. Vincentio Ferrerio, eviſcerari, & diſrumpi credi poſſet. Præter amænitatem cantûs illud quoque in philomela præcipuè annotatur, quòd præ cæteris volatilibus non niſi loca deſerta ſibi eligat, non niſi ſylvas, & valles inhabitare amet, & plerumque in dumetis, & denſis arbuſtis moretur, quodammodò ſuavitate vocis ſuæ integra deſerta reddens pergratè reſonantia. Hinc ei aliud iterùm Lemma apponit eruditus P. Henricus Engelgrave hîs verbîs: *Deſertum facit eſſe diſertum.* Hac de cauſa inprimìs per philomelam in ſenſu morali Sanctus noſter Vincentius Ferrerius nihil alliud intelligit, quàm omnem animam devotam, quæ &, dum nox tribulationum ingruit, non ceſſat indeſinenter laudare Deum ſuum, & in ſolis ortu, id eſt, readveniente conſolationis tempore, mox in gaudia diffunditur, ſeſe alacriter erigit, os in gratiarum actiones reſolvit, mentem ad Deum elevat, & quaſi tota vox laudis divinæ efficitur. In ſenſu tamen ſtrictiori per philomelam aptiſſimè denotantur Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij. Si enim à mellifluo Bernardo omnes illi philomelæ comparantur, quorum ex ore frequenter auditur Salutatio angelica; nónne quot Sodales, tot dulciſſimè canentes philomelas numeramus? Roſariani plures noctis horas inſumunt in laudanda Deipara in Pſalterio ſuo: Roſariani ſummo manè evigilant, & in laudes Marianas hilari voce effunduntur: Roſariani diu, noctúque multiplicatis Salutationibûs angelicîs venerantur matrem, & Reginam ſuam cæleſtem, hoc in puncto haud diſſimiles myſterioſis illis animalibus, quæ olim diſcipulo, quem diligebat, JEſus, oſtendebantur in raptu. *Et ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuper eam ſedens, & qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis - - & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante,*

Vincent. Ferrer. ſerm. 1. Dom. Palm.

S. Bernard apud Alan. rediviv. p. 2.

Apoc. 4.

ante, & retrò - - & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c. Per ſedem, ſeu thronum poſitum in cœlo communiter à ſanctis Patribus intelligitur glorioſa Dei genitrix, utpotè ſedes divinæ, & incarnatæ Sapientiæ. Per eum, qui ſedebat in throno, intelligitur divina Majeſtas inſtar jaſpidis fulgens, & fulgurans in gloria. Per animalia autem, thronum cingintia, convenientiſſimè intelligendi veniunt Fratres, & Sorores SS. Roſarij. An non enim hi pleni ſunt oculîs ante, & retrò, ubi meditando ſanctiſſima myſteria gaudioſi, & doloroſi Roſarij retrocedunt ad ea, quæ in vita Salvatoris jam dudùm acta ſunt; meditando verò myſteria glorioſa eò ſuîs pîîs cogitationibûs anteveniunt, Chriſtum, & B. Virginem in cœlum aſcendentes comitando, quò ſolutò hujus corporis ergaſtulô ſeſe venturos ſecurè confidunt? An non hi diu, noctuque irrequieti ſunt, & dicunt laudem Deo, ejúsque matri glorioſæ? Veſpere lecto ſe non accingunt, quin dixerint Roſarium: De nocte non evigilant, quin cum angelo ſalutent cœli Reginam: De manè vix lecto ſe proripiunt, & in genua procumbentes ſæpiùs devota mente repetunt dulciſſima verba: *Ave Maria:* De die hora non abit, pulſus horæ non auditur, quin eadem verba dulciſſima ruminando laudes decantent Deiparæ. Ita B. Maria Oegniacenſis aliquando intrà diei & noctis ſpatium millies & centies genuflectens ſalutabat Deiparam. B. Margarita Ungarica, filia Belæ regis, in ſingulis Feſtis B. Virginis, ac infra Octavas, offerebat B. Virgini mille Salutationes angelicas, & ad ſingulas earum proſtrationes faciebat. Venerabilis Idda Virgo Ordinis Ciſtercienſis per longum tempus diebûs ſingulîs mille ducentîs vicibûs genua flectabat, & Deiparam ſalutabat. S. Catharina Senenſis quinquennis edocta Salutationem angelicam, illam, aſcendendo, aut deſcendendo per gradus ſcala in domo paterna, ad quemlibet flexo genu perſolvebat. An non his, iiſque ſimilibus convenit Lemma philomelæ: *Vox, prætereáque nihil?*

Surius in vita. *Bolland. 28. Febr.* *Idem 13. April.* *In vita.*

N. 3. Et hoc à fortiori, quia & aliud philomelæ elogium Roſarianis haud diſconvenit, dum *deſertum facit* quemlibet *eſſe diſertum.* Seligunt enim Roſariani ſibi loca ſolitaria, ubi, remoto tumultu ſæculi, minùs in ſuis orationibus diſtrahuntur, & aptiùs

vaca-

vacare queunt ſuæ devotioni. Iſaac domum egreſſus accingebatur *ad meditandum in agro.* Moyſes oraturus montis cacumen aſcendit. Elias vaſtam ſolitudinem incolens divina oracula percepit. Chriſtus *aſcendit in montem ſolus orare.* De ſeipſo teſtatur magnus Auguſtinus: *Solitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur.* Eodem modo devotiores Roſariani ſolitudinem amant, inſtar philomelæ in ſolitudine ſuaviùs ſuas preces decantant, velut alter Orpheus & montes attentos reddunt, & colles, per montem intelligo Chriſtum, per collem intelligo B. Virginem Mariam. O quàm ſuavis eſt vox Roſarij inprimìs in auribus Chriſti! Ipſe in Canticis Sponſam alloquitur: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Sponſa eſt anima, vox Sponſæ ſunt preces, & ſuſpiria cujuslibet animæ orantis; omnibûs hîs vocibûs oblectatur, & recreatur Chriſtus vel maximè. Aſt præ cæteris dulcis ipſi eſt vox orantium Roſarium; iſti enim per meditationem ſacrorum myſteriorum morantur ùt columbæ in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, id eſt, in Vulneribus Chriſti, ùt interpretatur S. Auguſtinus, S. Hieronymus, Niſſenus &c. Adhuc ſuaviùs inſonat vox Roſarij in auribus B. Virginis Mariæ, ipſa teſte ad S. Mechtildem, ut refert Landſpergius. S. Mechtildis, dum die quadam Sabbati Miſſæ ſacrificio de B. Virgine aſtitiſſet, & audiret introitum: *Salve ſancta parens;* adeò mirô ſalutandi Virginem exarſit deſideriô, ut in hæc verba prorumperet: O Regina cœlorum! ſi ea ſalutatione dulciſſima ego te venerari poſſem, quam unquam humanum cor excogitare valeret, id ego verè perquàm libenter in tui gratiam præſtarem. Hæc meditandi illicò B. Virgo præſens aderat, Salutationem Angelicam aureîs litterîs in pectore exaratam oſtentans, eámque ita alloquens: Mortalium nemo hactenùs ad hujus Salutationis perfectionem attigit, nec ullus unquam me dulciùs ſalutare poterit, quàm ille, qui me ſalutat eâ reverentiâ, qua me Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſalutavit illîs verbîs: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Ita in montibus & collibus, in Chriſto & B. Virgine reſonat vox Roſarij, auditúrque cantus philomelæ in deſerto.

Gen. 24. v. 60. Exod. 24. v. 18. 3. Reg. 19. v. 9. Matth. 14. v. 23. S. Auguſt. Cant. 2. v. 14. Landſpergius l. 1.

Sed reſtat & tertium Lemma Roſarianis applicandum, quod philomelæ appoſuit doctiſſimus Præſul Picinelli. Teſtatur hic, N. 4.

philomelam ejus eſſe indolis, ut parituræ ſuæ conjugi vicinam ſe ſtatuat, eámque ſuaviſſimo cantu demulceat, hanc apponens ſyngraphem: *Parituræ modulatur.* Idem Roſarianis ſacro hoc Adventûs tempore congruit. In confinio ſumus Virginis parituræ, propiùs inſtant Feſta Natalitia Domini. Acclamat nobis S.
Levit. 20. Scriptura: *Sanctificamini hodie, & eſtote parati, die enim craſtina videbitis majeſtatem Dei in vobis.* Vel maximè Roſarianos decet, ut Virgini parituræ, glorioſiſſimæ Roſarij Dominæ, appropinquent, ſuíque ſuavitate cantûs parituræ applaudant. Aſt qua ratione? quo modulamine? quibus vocibus? Sanè non aliîs, quàm voce Roſarij. Vox hæc Mariæ eſt gratiſſima: Vox hæc clamans in terra pertingit usque ad Bethleem, & adeò demulcet aures Virginis parituræ, ut in comparatione ejus nihil valeat vox corvi illius, qui Romæ olim venditus legitur pretiô mille florenorum. Si enim corvus iſte tanti æſtimabatur, quia articulatim ſalutabat Cæſarem hîs verbîs: *Ave Cæſar;* quò altiori in pretiò habebuntur Fratres & Sorores Roſarij, quibus continua vox in ore eſt:
S. Bonavent. in ſpec. B. V. *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Hæc ſiquidem vox eſt, ad quam per Spiritûs Sancti obumbrationem fæcundata fuit, ad quam præparata fuit ad partum, ad quam electa fuit in matrem Salvatoris. Hæc vox *Ave* à cœlo delapſa, à Patre æterno dictata, ab angelo pronuntiata ita clamat in deſerto mundi, ut eam audiens B. Virgo mox reſalutet ſalutantes ſe, reſpondeat invocantibus ſe, beneficiîs, & gratiîs accumulet accedentes ad ſe.

N. 5. Sed quid audio? Dum vox Roſarij clamat in deſerto, videtur, quaſi eadem perſonet cœlos, Echóque cœleſtis repetens dicat: *Ave Maria.* Suîs ipſe auribûs audire hoc merebatur B. noſter Alanus, Sponſus B. Virginis dilectiſſimus, & zelator Roſarij ardentiſſimus. In Feſto Aſſumptionis glorioſiſſimæ Reginæ Roſarij in extaſim raptus videbatur ſibi, quaſi intereſſet jucundæ illi Feſtivitati, quæ cœlitum turmæ ſuam comitabantur Dominam ad ſedes Beatorum. Omnes cœlites pulchro ordine obviam ibant adventanti cœlorum Dominæ, & cœlum ipſum pro brevi mora relinquebatur. Præibant angeli, ſequebantur Patriarchæ & Prophetæ, adjungebant ſe Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, totúsque chorus animarum, quæ pro tunc cœleſtibûs fruebantur gaudiîs. Quod viſu jucundiſſimum erat (ſunt verba

for-

formalia B. Alani) *Nullus cœlitum videbatur absque Pſalterio muſico.* Putares, in cœlo tunc idem contigiſſe, quod olim contigiſſe refert S. Pagina. Paratô tabernaculô illuc inferebatur magno apparatu arca Domini: Aderat omnis Iſraël, omnes Principes populi, & tribuni, omnes Sacerdotes, & Levitæ: Levabatur arca de domo Obededom, & ab omni populo deducebatur in templum *in jubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis & Cymbalis, & nablis, & citharis*, ita, *ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ.* Arca fœderis denotat B. Virginem, ait S. Bonaventura, hæc in Feſto Aſſumptionis levabatur de domo Obededom, id eſt, de hoc mundo, & transferebatur in cœlum. Quid igitur mirum, quod ad condecorandam hanc ſolemnitatem convenerit totus populus cœleſtis, arcámque deduxerit in Jeruſalem cœleſtem in jubilo, & ſonitu, in tubis, cymbalis, & citharis, quisque ſuô accinctus Pſalterio muſicô. Sed nondum ſatis. Vidit ulteriùs B. Alanus in medio Paradiſi maximæ molis inſtrumentum muſicum: Continebat hoc 150. Pſalteria minora, & horum quodlibet ſubdividebatur iterum in 150. fiſtulas minuſculas. Ludebat in hoc inſtrumento Archangelus Michaël, & reſonabat undequaque in excelſis ſonus lætitiæ; & quidem nil aliud, ùt atteſtatur B. Alanus, quàm dulciſſima illa verba: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Michaëli correſpondebat totus Chorus cœleſtis, effuſus in gaudia, & dicens: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Necdum finem habebat viſio. Dum B. Alanus totus raptus in gaudio huic ſupernæ auſcultabat muſicæ, acceſſit ad eum unus, eíque penitiorem hujus muſices rationem declaravit hîs verbîs: *Omnis mundus per hoc eloquium eſt redemptus, rex cœlorum incarnatus, & reparatæ angelorum ſunt ruinæ. Ea de cauſa angelici Spiritus hoc novum canticum Deo reſonabunt in æternum.* Tandem vidit B. Alanus centum quinquaginta angelos accedere ad B. Virginem jam in throno gloriæ collocatam, qui flexo poplite eam venerantes ei ſua præſentabant inſtrumenta muſica, dicta Pſalteria. Sícque ceſſabat viſio. En, dilectiſſimi! quomodò vox clamans in deſerto in ore Roſarianorum eadem audiatur in cœlo, & quaſi per cœleſtem Echo reduplicata, ùt in terris, ita tota perſtrepat regnum Beatorum. In terris Fratres & Sorores identidem ingeminant ſua can-

1. Paralip. c. 15.

S. Bonav.

cantica: *Ave Maria, gratia plena &c.* In cœlis eadem procedunt de ore Sanctorum. In terris Pſalterium Marianum componitur ex centum & quinquaginta Salutationibus angelicis; in cœlis inſtrumentum muſicum centum & quinquaginta continebat fiſtulas, & Pſalteria. Unde benè S. Germanus: *Salutem tibi angelicam, ô virgo! decantant omnes incorporeæ legiones, chori Patriarcharum, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & agmina juſtorum univerſa.*

S. Germanus.

N. 6. Verùm enimverò, dum putabam cum Beato Alano angelicam me audire melodiam hoc ipſo momento, quo nos parati adſtamus recitare Roſarium, ſilentium factum eſt in cœlo, & vox noſtra clamans in terris deſinit audiri in cœlis. Quaſi idem mihi accidit, quod accidit Joanni Apoc. 7. & 8. In primo loco refert viſionem ſuam Joannes hìs verbîs: *Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni - & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes. Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.* Aſt mox ſcena fuit verſa. In octavo enim Capite ſtatim in primis verſibus ait Joannes: *Factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi mediâ horâ.* Quid hoc rei? An in cœlo ſilentium? An non Angeli ſunt illi adminiſtratorii Spiritus, qui diu, noctúque throno Omnipotentis adſtant, & dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus?* An non Angeli ſunt muſici Dei, teſte Sophronio, quorum officium eſt, ut in templo ejus omnes dicant gloriam, & laudent Creatorem ſuum in omnes æternitates? An non cœli inhabitatores Spiritus teſte S. Bernardo ſunt illi montes, & colles, de quibus Iſajas: *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem*, ad ſimilitudinem illorum animalium, quæ requiem non habebant die ac nocte, ut darent gloriam, & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum? Quomodò ergo altum in cœlo ſilentium, quies in remiſſione vocis? Quæ hujus ſilentij cauſa? Forſitan iſta, quia, dum Fratres & Sorores Roſarium dicunt in terris, ad brevem temporis morulam tacent angeli in cœlis. Mos eſt noſtræ SS. Archifraternitatis, ut, dum Roſarium alta in templo voce recitatur, Fratres, & Sorores mutent vices, alternatímque ſuum Marianum perſolvant penſum:

Apoc. 7. & 8.

Iſai. 6.

Sophron.

S. Bern. ſerm. 53. in Cant.

Iſai. 55. v. 12.

Apoc. 4.

Dex-

Dextro choro orante, tacet ſiniſter; dum chorus dexter in medio Salutationis angelicæ deſinit, mox inchoat chorus ſiniſter, ut primo tacente ab hoc compleatur totum *Ave Maria.* Eodem fermè modo haud incongruè explicari poterit ſilentium factum in cœlis. Angeli, & Beati quodammodò cum Roſarianis mutant vices ſuas, ubi Marianum alternant Pæan. Primò intonant cœlicolæ: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Et mox ſilent omnes, ut in terris Fratres Roſarij junctîs viribûs incipiant dicere: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis. Amen.* Te, te, Sanctiſſima Virgo, exclamat Sanctus Athanaſius, beatam prædicant in cœlis angelorum Hierarchiæ, ſuáſque attollentes voces benedicunt tibi, jucundè cantantes: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Te, te,glorioſa Dei genitrix, invocant in terris hominum turmæ: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.* Teſte Didaco Mucillo, Sanctus Apoſtolus Jacobus non ſemel, ſed ſæpiùs in Sacello B. Virginis Cæſar-Auguſtano audivit cantilenam cœleſtem, angelicóſque Spiritus feſtivè concinentes verba illa dulciſſima: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum &c.* Nobîs omnibûs teſtibûs, in hac lachrymarum valle, in toto, quà latè patet, orbe terrarum non eſt regnum ullum, in regnis ulla civitas, in civitatibus vix ulla domus, ubi non continuò audiuntur præcinentibus angelis correſpondere exules filij Evæ alteram ſtropham Salutationis angelicæ: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis. Amen.* In cœlis vidit Evangeliſta, quòd omnes Beati, *Habentes ſinguli Citharas, cantabant canticum novum.* Quia verè novum eſt, addit Sanctus Auguſtinus, filium Dei hominem fieri, & mori, & reſurgere, & in cœlum aſcendere. In terris hoc idem canticum repetunt Roſariani, tenentes in manibus Pſalteria ſua, quia continuò contemplantur myſteria nova Incarnationis, myſteria nova Paſſionis, & mortis, myſteria nova Reſurrectionis, & glorioſæ in cœlum Aſcenſionis unigeniti Dei filij.

S. Athanaſ vol. 1. Tom 3.

Mucill. in Hiſt. de Sacello B. V. Cæſar-Auguſtan-

Apoc. 5.

S. Auguſt.

N. 7. Unde benè concludit, ſicque ad perpetuum cordium noſtrorum ſolatium loquitur Richardus: Digna ſanè eſt angelica Salutatio, ut à chriſticolis creberrimè, & devotiſſimè recitetur

Richard. l. 1. c. 8.

in terris, cùm à cœlicolis, ut piè creditur, frequenter recitetur in cœlis. Imò non duntaxat piè creditur, ſed potiùs veritas ipſa eſt omnibus abundè manifeſtata per revelationem auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ, ita de laudibus Pſalterij loquentis ad noſtrum B. Alanum de Rupe: *Beati in gloria irremiſsè Pater & Ave miris gaudiis decantant, gratias agentes Deo pro gloria data, & orantes pro mundo.* Et iterùm de uſu Pſalterij hîs verbîs: *Pſaltæ mei in mundo id agunt, quod Beati in cœlis ſemper faciunt.* Illi Pſalteria ſua tenentes non ceſſant hîc in terris Mariam laudare in Roſarijs ſuis: Hi, habentes ſinguli citharas, non deſinunt cantare canticum novum, id eſt, ait B. Alanus, Salutationem angelicam, per quam ruina angelorum fuit reparata, Deus homo factus, & janua cœli omnibus Sanctis reſerata.

Alan. de Rup. c. 18.

Idem c. 19.

Hiſtoria.

ETiam in hac vita non rarò devotis Mariæ ſervulis datur portio quædam viſionis beatæ deguſtanda. Anno 1431. Treviris Carthuſianus quidam, vir magnæ Sanctitatis moriebatur, qui inter reliquia ſua ſcripta hæc reliquit, videlicet ſuo tempore vixiſſe quemdam ſui Ordinis Religioſum (multi putant, quòd de ſeipſo loquatur) qui ſpeciali devotione addictus erat Beatiſſimæ Virgini in Roſario. Una die, dum peculiari alacritate Roſarium dicere cœperat, ſubitò raptus in extaſim, & deportatus ad cœlum multa de illis arcanis, quæ non licet homini apprehendere, & vidit, & audivit. Vidit imprimìs Regem regum in ſolio ſublimi conſiſtentem; dein verò omnes ſanctos Patriarchas, omnes Prophetas temporis elapſi à tempore Adæ usque ad nativitatem Chriſti, ſimúlque cum illis omnes Apoſtolos, omnes Martyres, & univerſim omnes Sanctos usque ad ſua tempora glorioſè in cœlum aſſumptos accedere ad thronum Dei, ſuáque proſtratos in genua adorare omnipotentem Deum, matrémque unigeniti Dei filij venerandiſſimam, quæ inexplicabili ſplendore præornata irradiabat. Omnes igitur ante regis ſolium advenientes voce ſuaviſſima pſallere cæperunt prælibatum Roſarium, usque ad verba illa Salutationis noſtræ Angelicæ:

gelicæ: *Ora pro nobis peccatoribus.* Quoties ſuaviſſimum Virginis Mariæ nomen pronuntiabant, continuò vultu demiſſo capita ſua humiliter ſubmittebant: Quoties verò nominabant ſanctiſſimum nomen JEſu, illicò flexîs genibûs ſummâ, qua decet, reverentiâ illud adorabant. Finita autem Salutatione angelica, ſubjungendo articulum, ſive verſiculum dominicæ Paſſionis, ſeu de vita Chriſti, addiderunt *Alleluja*, quod idem ſignificat ac *Laudate Dominum*, quia alter alterum animare perrexit in decantandis laudibus Deo, & Beatæ Virgini. Cùm autem ſic ingentî cordis jubilô Roſarium percantâſſent, gratias Deo egerunt pro omnibus bonis de præfato Roſario provenientibus in cœlo, & in terra. Deinde illud obtulerunt pro omnibus hominibus adhuc in terra degentibus, & ſpecialiter pro Fratribus, & Sororibus Sanctiſſimi Roſarij, ut Deus ter Optimus Maximus eis digneter conferre gratiam, hîc in terris ſic vivendi, & bonis operibus proficiendi, ut cum omni ſocietate cœleſti vitam olim poſſideant ſempiternam. B. Alanus. 5. p. oper. redivi cap. 46.



SER-

SERMO QUINTUS.

Dominica infrà Octavam Nativitatis Domini.

THEMA.

Non diſcedebat de templo jejuniîs, & obſecrationibûs ſerviens die ac nocte. Luc. 2.

Oportet Sodales Roſarij Deo ſervire die ac nocte, de die cum alijs Roſarium in Templo, de nocte autem Roſarium domi dicendo cum domeſticis.

N. 1. DUm in hodierno S. Evangelij contextu mentio fit, quomodò puer JEſus à Simeone Sacerdote, & Anna Prophetiſſa exceptus, & agnitus fuerit, dubitare non licet, quin amborum merita coram Deo fuerint altiſſima, quibus Salvatorem in carne videndi data eſt gratia, quem dum ipſe Patriarcha Abraham in ſpiritu ſolùm videre meruit, & tamen gavi-
Joan. 8. ſus eſt; ut ipſa veritas atteſtatur: *Abraham pater veſter exultavit, ut videre diem meum, vidit & gaviſus eſt.* De meritis quidem Simeonis pauca hodie allegat Evangeliſta; plurima tamen in laudem Annæ Prophetiſſæ hîs verbîs: *Et erat Anna Prophetiſſa*

tiſſa Filiâ Phanuel de tribu Aſer, hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua: Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, jejuniîs & obſecrationibûs ſerviens die ac nocte. Quot verba, tot momentorum pondera. Exprimitur inprimis nomen proprium: *Et erat Anna;* ut, ſicut Anna interpretatur gratia, ait S. Bonaventura, ita Prophetiſſam hanc perpetuum fuiſſe gratiæ divinæ habitaculum noſcamus: Additur ſecundò: *Hæc proceſſerat in diebus multis;* ut innueretur, explicat noſter B. Albertus M. eam procedentibûs annîs ſemper quoque proceſſiſſe in bonis operibus, perrexiſſe de virtute in virtutem. Tertiò: Anna commendatur à caſtitate viduali, à morte viri usque ad ſenium laudabiliſſimè continuata: *Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor.* Quia ſicut valdè difficilè eſt ob continuas tentationes, & recordationem præteriti matrimonij, ait S. Ambroſius, perfectè ſe continere; ita opus heroicum reputatur, ſi juvenes viduæ in viduitate ſanctè vixerint: Quartò denique: Inſigne Annæ encomium eſt, quòd non diſceſſerit de templo, jejuniîs & obſecrationibûs ſerviens die ac nocte. Unde aliquorum opinio eſt, Prophetiſſam hanc fuiſſe de numero illarum mulierum, quæ, ùt legitur: continuò ad portam Tabernaculi vigilâſſe dicuntur: Dionyſius tamen Carthuſianus alterius eſt ſententiæ, ideò ſcilicet de Anna ſcriptum eſſe, quòd non diſceſſerit de templo, non quaſi continuò in templo ſeſe detinuerit, ſed quia frequenter de die, ſummo manè, & vix non omni hora, & ſimiliter redeunte quocunque veſpere ad templum venit, ibique ſuas preces coram Altiſſimo effudit, eo fermè modo, quo noſtris temporibus de eo, qui frequenter moratur in Eccleſijs, dicimus: *Hic homo ſemper eſt in Eccleſia.* AA. Ex fonte hujus Evangelij occaſionem ſumo, quomodò ad exemplum Annæ Prophetiſſæ Sodales SS. Roſarij Deo ac B. Virgini ſervire debeant die ac nocte, de die cum alijs congregatis Confratribus in templo, de nocte Roſarium domi recitando cum domeſticis.

S. Bonav. *Albert. M.* *Exod. 38. & 1. Reg. 2.* *Dionyſ. Carth.*

N. 2. Primò Sodales SS. Roſarij ad exemplum Annæ Prophetiſſæ Deo ſuîs obſecrationibûs ſervire debent, de die properando ad Eccleſiam, quando in ea à congregatis Confratribus Roſarium unitîs, & altîs vocibûs recitatur, non duntaxat ideò, quia omnes

legitimè non impediti ad hoc ipsîs ſuîs ſacrîs aſtringuntur legibûs, ſed propterea vel maximè, quia oratio in Eccleſia facta & majori mentis devotione communiter pertractatur, & intentum exauditionis effectum longè certiùs conſequitur.

N. 3. Major mentis devotio in Eccleſia ex varijs eruitur motivis. Inprimìs ex eo, quia Eccleſia eſt locus ſacer, de ſe pios affectus inducens, locus ſpecialiter ad orationem deputatus juxta illud: *Matth. 21.* *Domus mea domus orationis vocabitur.* Locus remotus à tumultu ſæculi, à curis domeſticis, ab occupationibus negotiorum, quæ domi identidem oculis obverſantur, & mentem ad diverſa diſtrahunt, quas diſtractiones, ut ipſe Dominus noſter declinaret, exire conſuevit in montem orare, ùt de eo legimus in qua- *Gen. 28.* tuor Evangelijs. Imò quia de Eccleſia dicitur: *Terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Ipſe dæmon non audet illuc tam facilè accedere, & ſuis tenta- *S. Chryſoſt. in Pſalm. 133.* tionibûs interturbare orantes, ùt obſervat S. Chryſoſtomus. Secundò: In Eccleſia multùm devotionem excitat ipſa in Sacramento altaris realis præſentia Dei Salvatoris, qui pro nobis homo factus, paſſus & mortuus eſt, qui judicaturus adveniet vivos & mortuos, bonos præmiandô, malos mittendô in ignem æternum. Et hac præſentia efficaciter ad mentem redacta quomodò non exardeſcamus in cordibus noſtris? Multi dicunt: O ſi mihi Chriſtum in carne videre, & adorare licuiſſet, qua mentis teneritudine, quàm ardentibûs præcordiorum affectibûs, quàm ignivomo charitatis fervore eum venerari voluiſſem! Ecce hîc in tabernaculo eſt præſens: Ecce hîc in tabernaculo tu ipſum vides, & ipſe tuis attendit precibus. Tertiò: In Eccleſia oculis orantium exponuntur variæ ſacræ imagines, & Reliquiæ Sanctorum, quæ virtute ſua intrinſeca pias affectiones voluntatis, jucunditatem, & exhilarationem animi, promptúmque in anima ad divinas laudes cauſant ſpiritum. Maximè autem pium eſt credere, Reginam SS. Roſarij, in cujus cultu Sodales congregantur in Eccleſia, & Patronum principalem, in cujus honorem ſpecialiter eſt conſecrata Eccleſia, ſingularem habere curam eorum, qui illuc conveniunt, ſicut quilibet Princeps ſingulariter curat eos, qui in ſuis ſervitijs occupantur, & ad loca ſui dominij pertinent, ad eáque regem venerandi cauſâ confluunt. Quartò:

Fide-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Fide certum eſt, ipſos angelos orantibus in Eccleſia aſtare gaudentes, & multùm delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione, in jubilo deferendo preces ad thronum Dei & B. Virginis juxta illud: *Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: Et data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu angeli coram Deo.* *Apoc. 8.*

Quid mirum proinde, quòd Jonas in ventre ceti adeò ingemuerit pro gratia denuò revertendi ad templum ſanctum Domini, ibique ſuas perſolvendi preces, ùt ipſe teſtatur: *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum: Uti veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum: In voce laudis immolabo tibi: Quæcunque vovi, reddam pro ſalute Domino.* Quid mirum, quòd vir æthiops Evnuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas ejus, nec ad diſtantiam locorum, nec ad moleſtias viarum, nec ad ſumptus itineris, nec ad curas domeſticas reſpexerit, quin tamen Jeruſalem proficiſceretur, ut in templo ſancto adoraret Dominum, ibique penſum orationis præſtaret Altiſſimo. Probè enim & Jonæ, & Evnucho perſpectum erat, quàm utile foret homini in templo, in loco ſacro, in ipſa domo orationis preces exſolvere. N. 4. *Jon. 2. c.* *Act. 8. c.*

Verùm enimverò ô quàm latum diſcrimen inter templum antiqui, & inter Eccleſias novi Teſtamenti! In illis non niſi umbras & figuras cernere erat, non niſi fructus terræ, & hortorum aromata prunîs ardebant, ſola pecora in ſacrificium offerebantur: In his verò ipſe Deus eſt præſens, ipſi Patri æterno æternus Filius immolatur, ipſe Spiritus Sanctus in pœnitentes uberrimas effundit gratias, oſſa Martyrum pavimento conferunt ſanctitatem, & cineres Confeſſorum ſcintillant ab altaribus. Si ergo Jonas gratiâ templi Jeroſolymitani exultavit in utero ceti; ſi ſatrapa Candacis relictâ aulâ tantîs viarum ambagibûs venit ad templum, ut in eo adoraret; quantò magìs convenit Sodalibus Marianis ſtudioſos eſſe, ut tempore ſtatuto ſiſtant ſe in Eccleſijs, ibique ſumma, qua poſſunt, animi devotione ſimul cum alijs Confratribus ſuis recitent Roſarium? N. 5.

Præſertim ſi advertant, preces Marianas in Eccleſia unitim, & alta voce cum alijs peractas non ſolùm communiter devotiores N. 6.

eſſe, ſed etiam longè efficaciores ad impetrandum effectum in oratione præintentum. Hoc videtur ipſa æterna Veritas nobis innuere hìs verbìs: *Iterum dico vobis, quia, ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.* Quid ergo ſperandum, ubi non ſolùm duo, ſed universi Sodales SS. Roſarij publicè in Ecclesia congregantur, ſumma attentione intellectûs, & pia intentione voluntatis conſentiunt in recitando Roſario, quaſi corde uno, & anima una conveniunt ad laudandum Deum, & beatam Virginem? Demus enim, in tanta multitudine aliquos etiam adeſſe, qui de ſe meritum non habent, ut exaudiantur à Deo, quidnî tamen dicere licebit, eos exaudiendos fore ratione illorum, quibus ſeſe adjungunt? Quidnî dicere licebit, Deum miſericordiſſimum, quod uni fortè negaret, omnibus congregatis & orantibus non fore denegaturum? Sicut frequenter in clauſtris fieri aſſolet, in quibus etſi Superior huic & illi in particulari deneget recreationem, ſi tamen tota communitas hanc petat, de facili, & ſinè urgenti motivo negativam vix dabit. Nec deſunt ad hujus rei evidentiam exempla S. Scripturæ.

Matth. 18.

N. 7. *Cùm ingrederetur JEſus in quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè, & levaverunt vocem dicentes: JEſu præceptor, miſerere noſtri.* Inter hos decem leproſos, ut benè notat Eſcobar, vix dubitandum, quin aliqui fuerint peccatores, & indigni, ut exaudirentur; lepra enim in antiquo Teſtamento frequenter erat pœna peccati. Sic Maria ſoror Moyſis, quia murmuravit contra fratrem ſuum, percuſſa eſt leprâ. Sic puer Eliſæi Giezi, quia egit contra mandatum Prophetæ, adhæſit ei lepra Naaman. Hoc tamen non obſtante, quia omnes decem leproſi ſimul elevaverunt vocem ſuam, & unitìs precibûs ſupplicârunt, omnes exauditi ſunt. Dixit enim illis JEſus: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, dum irent, mundati ſunt.* Iratus Deus decrevit juſtìs pœnìs animadvertere in impium populum Sodomorum, totámque urbem evertere: Nihilominùs ad interceſſionem Patriarchæ Abrahæ promiſit illi remiſſionem, ſi in civitate quinquaginta, quadraginta, triginta, viginti, imò decem juſtos Domino Deo præſentârit Abraham. Et quis ambiget inter Fratres & Sorores SS. Roſarij, ubi ad invicem in Ecclesia

Luc. 17. Eſcobar. Tom. 1. mir. chr. l. 4. ſect. 3. Num. 12. 4. Reg. 5. Gen. 18.

cleſia congregantur, plusquàm decem, viginti, & quinquaginta juſtos reperiri? Herodes omni crudelitate deſæviebat in Chri- *Actor. 12.* ſtianos. Jacobum fratrem Joannis occidit gladiô, & videns, quòd per hoc placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet & Petrum, quem apprehenſum miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt paſcha producere eum populo, & occidere. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenîs duabûs, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini aſtitit, dormientem excitat, catenæ manuum ſpontè ſuâ diffractæ cadunt, & Petrus illæſus ad ſuos redit. Quare hoc? Ideò, ait ſacra pagina: *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo.* *Loc. cit.* Omnes fideles tunc temporis congregabantur, unitîs vocibûs ad Deum orârunt pro ſalute Petri, & Deus hoc modo illis nihil denegare potuit. Verum enim eſt illud: *Vis unita fortior.* Et ſic oportet Deo ſervire de die conveniendo cum alijs in Eccleſia, quando publicè dicitur Roſarium, & Marianæ laudes unanimi Fratrum, & Sororum ore decantantur in conſuetis congregationibus noſtræ Archi-Fraternitatis.

De nocte autem recitando Roſarium cum domeſticis. Ita N. 8. ipſa beatiſſima virgo teſtatur de prioris hujus almæ Archi-Fraternitatis alumnis apud noſtrum B. Alanum, hoc modo: *Labores manuales non priùs incipiebant, quàm me in Pſalterio ſalutâſſent: Nec dormiebant, niſi priùs genibûs flexîs devoti in Roſario fuiſſent: Imò ſi caſu dormientes ſe non dixiſſe Pſalterium die illa deprehendiſſent, mox è lecto ſe proripiebant, & devotiùs, pœnitendô, me ſalutabant.* *De laud. Pſalt. c. 17* Nec ſinè cauſa; quia ipsâ compertum habetur experientiâ, quàm nox ſit inimica homini, quot homo periculis de nocte exponatur & quoad corpus, & quoad animam. Ut taceam de periculis incendiorum, furum, & latronum; quot corpore ſani & incolumes ſeſe accingunt lecto, & de manè non ampliùs comparent evigilantes, de lecto translati ad lethum & feretrum, quin advertant? Ejusmodi triſtes caſus nedum ex millenis liquent hiſtorijs profanis, ſed ex ipſa quoque Scriptura. Dixerat quidam dives animæ ſuæ: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos; Requieſce, comede, bibe, epulare.* *Luc. 12.* Aſt

alia erant judicia divina. Dictum enim eſt diviti: *Stulte, hac*
Judic. 4. *nocte animam tuam repetent à te: Quæ autem paraſti; cujus erunt?* Siſara Princeps militiæ regis Jabin ſumpto lacte dulciter dormire cœpit, *Et ecce Jahel uxor Haber tulit clavum, & cum ſilentio poſuit ſuper tempus dormientis, percuſſúmque malleô defixit in cerebrum usque ad terram, & Siſara, ſoporem morti*
Judith. 13. *conſocians, defecit, & mortuus eſt.* Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus; & paulò poſt abſciſſo capite inventum eſt corpus ejus truncum in proprio ſanguine volutatum. Similia quoque à noſtris edocemur temporibus, ubi multi ſubitaneô in nocte ſuffocantur catharrô, multi ruptâ venâ exſpirant illicò, multi apoplexiâ tacti rapiuntur ad æternitatem. Non minora ſunt pericula nocturna, quibus homo exponitur quoad animam in varijs phantaſijs & anguſtijs, in ſomnijs duris & impuris, quoad ſagas, ſpectra, & lemures, imò ipſe diabolus, dum malè agit,
Eccleſia. à potiori deambulat in tenebris. Contra quæ pericula ipſa mater Eccleſia nos præmuniens ad veſperum orat: *Te lucis ante terminum rerum Creator poſcimus, ut ſolitâ clementiâ ſis præſul ad cuſtodiam: Procul recedant ſomnia, & noctium phantasmata,*
1. Machab. 12. *hoſtémque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.* Et benè; ſi enim Jonathas adeò ſollicitus fuit de militibus ſuis, cùm ſol occidiſſet, præcipiens eis vigilare, & eſſe in armis, paratos ad pugnam tota nocte, & poſuit cuſtodes per circuitum caſtrorum; quidnî mater Eccleſia, quæ non minorem ſollicitudinem habet ſuper filios ſuos, invocet Altiſſimum, ut ipſe ſuos de nocte cuſtodiat, vigiliáſque agat contra inſultus dæmonij nocturni?

N. 9. At erigite animos, repellite timorem, Sodales Mariani, quibus in more poſitum eſt ante ſomnum Mariam ſalutare in Roſario, per preces Roſarij invocare patrocinium beatæ Virginis. Nihil vobis nec quoad corpus, nec quoad animam timendum erit. Hoc ex
2. Reg. 21. duplici figura S. Scripturæ palàm fit. Multùm commendatur materna ſollicitudo, quam duobus filijs ſuis exhibuit Reſpha filia Aja. Cùm enim contingeret, ut ambo filij ejus à Gabaonitis crucibus affigerentur in odium regis Saul, Reſpha ejulans & plorans à corporibus occiſorum avelli non potuit, quaſi immobilis ſtans penès cruces filiorum, *& non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* Si ergo Reſpha tanto affectu

pro-

proſequebatur filios ſuos etiam mortuos, cautis vigiliis cuſtodiebat corpora occiſorum, ne per diem à vulturibus & corvis læderentur, de nocte autem non cederent in prædam rapacium beſtiarum; quam ſecuritatis ſpem Sodales SS. Roſarij collocare poterunt in B. Virgine? Nónne ipſa jam dudùm promiſſum dedit noſtro beato Alano: *Ego illis mater ero*? Nónne ipſius materna miſericordiæ viſcera longè ſunt ſuper amorem, quo mater creata diligit filium ſuum? Nónne ipſa, ſicut filius eſt luminare majus, ita dicitur luminare minus, quod præeſt nocti, ut cuſtodiamur ab inſidijs nocturnis? Alia figura, ne Sodales Mariani, de nocte dicentes Roſarium, timeant pericula corporalia, reperitur in Lib. Exodi. *Factum eſt autem* (loquitur textus ſanctus) *in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum. Surrexítque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctáque Ægyptus: Et ortus eſt clamor magnus in Ægypto: Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.* Verùm (mirabile dictu) tota diverſa rerum facies ſeſe pandebat in domibus Iſraëlitarum: Non audiebatur in illis clamor, non ejulatus, nullus in illis jacebat mortuus, nullus vel leviter percuſſus. Quare hoc? Ideò, quia antecedenter jam ad omnes Iſraëlitas Dominus dederat mandatum, ut ſumerent de ſanguine agni Paſchalis, & ponerent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum ſuarum, dicens: *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: Et videbo ſanguinem, & tranſibo vos: Nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Tantæ virtutis erat ſanguis agni Paſchalis, qui erat figura illius, qui tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt ipſe tempore Paſchali, & non aperuit os ſuum. Quid ergo dicendum erit de ipſo reali ſanguine, quem Salvator noſter in Circumciſione & Paſſione ſua pro nobis effudit, & in Reſurrectione ſua iterùm reaſſumpſit. Si figura tantæ erit activitatis per noctem occiſionis in Ægypto, quanta activitas, quis vigor, quanta virtus delitéſcet in ipſa re præfigurata contra mortes nocturnas? Et ecce ſanguis Chriſti Domini, ubi continetur, niſi in myſterijs SS. Roſarij, niſi in triplici parte Mariani Pſalterij,

Parte 2. c. 17.

Exod. 12.

quem Sodales quaſi toties colligunt, & ſuper poſtes domorum ſuarum ponunt, quoties in ijs ad dicendum de nocte Roſarium congregantur?

N. 10. Sed plùs ultrà. Roſarium nocturnum ùt pericula corporis, ita & periculum removet animæ, & quid deſiderabilius? David

Pſalm. 90. totus exultabundus exclamat: *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à negotio perambulante in tenebris --- ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Idem ſibi jucundis mentibus poſſunt appropriare Sodales Mariani.

Aloyſ.Nov Quemadmodùm enim Deus, ait Aloyſius Novarinus, ſcutô altiſſimæ protectionis ſuos defendit, ita B. Virgo ſcutô patrocinij protegit ſervos ſuos, & à diſcriminibus ſubducit. Quod indubiè potiſſimùm verificatur de illis, qui priùs ad lectos ſe non recipiunt, antequàm cœli Reginam in Roſario ſalutaverint. Quid enim Roſarium, niſi ſcutum firmiſſimum, quo circumdati non timent à timore nocturno, & ambulant ſuper aſpidem & baſiliſcum? Elucidatur hoc ex eo, quod narret Berchorius. Deam-

Berchor. Tom. 1. bulaverat una die Æſculapius peritiſſimus medicus in campo, ut liberiorem traheret aërem, & feſſos à laboribus artus aliquantiſper recrearet. Sibitò peregrina rerum ſcena deambulanti aperiebatur; vidit enim non procul paſtorem, cui forte erat certamen cum venenoſo baſiliſco. Diu utrinque erat acerrimus conflictus, & ita gloriosè ſeſe defendebat paſtor, ut nec vis, nec virus baſiliſci contra eum prævaluerit. Mirabatur hoc Æſculapius, & non poterat penetrare arcanum, ob quod virus animalis tam noxij vires non haberet in paſtorem. Tandem advertebat in capite paſtoris ſertum aliquod ex roſis contextum, & augurabatur, fortè roſis eam ineſſe virtutem, quæ paſtorem illæſum ſervaret à veneno baſiliſci. Hujus rei gratiâ, ut certitudinem adipiſceretur, propiùs accedebat Æſculapius ad paſtorem, eique ex capite excuſſit ſertum roſeum. Et ecce! cadente devertice ſerto & paſtor quaſi jam victus in terram cecidit; & certè occubuiſſet, niſi Æſculapius celerrima ſua dexteritate ſertum roſeum de terra levâſſet, & capiti paſtoris reſtituiſſet, qui poſteà quaſi de novo revixit, & viribûs integrîs iterùm baſiliſco quaſi victor ſeſe oppoſuit. Si ergo floribus roſarum, qui de terra creſ-

cunt,

cunt, tanta innata & inſita eſt virtus contra ſerpentes & genimina viperarum, quantus vigor, quanta virtutis energia inerit roſis myſticis, quas ipſa cœli Regina de cœlo nobis ſubmiſit per ſanctum Dominicum? Quomodò contra eas prævalebit tartareus baſiliſcus, qui tota die & nocte circuit quærens, quem devoret?

Vos ergo, Sodales Mariani! quibus Roſarium nocturnum hucusque laudabiliter in uſu fuit, pergite in cœpta devotione veſtra: Vos autem, qui fortè hactenùs de hoc ſaluberrimo exercitio non cogitâſtis, impoſterùm vobis benè id incordietis. Omnes ſequantur veſtigia civium Tornacenſium in Flandria, qui, ſi fortè arctiori aliqua obſidione hoſtili premuntur, mox accipiunt claves civitatis, eáſque deferunt ad pedes Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ut ab ea cuſtodiantur. N. 11.

Hiſtoria.

MAtthæus de Baſſo vir potens in ſermone & opere, dum in urbe Veneta prædicabat verbum Domini, quadam die à jurisperito invitabatur ad prandium. Invitatus aderat, & antequam accederetur ad menſam, diſcurrebatur de varijs. Inter alia jurisperitus mentionem fecerat de ſimia ſua, vix non ultrà naturam verſipelli, & ſolerti, quomodò famuli inſtar obiret munia domeſtica, menſam pararet, dominum ſuum excalcearet, veſtes de nocte ſeponeret, de manè porrigeret, patrono domum redeunti mox ad juſſa ſtaret. Et hodie primò non apparet, ſubjunxit paterfamilias. Vir Dei Matthæus id, quod in re erat, ſuſpicatus, avidus & ipſe exſpectabat animal hoc ingenioſum videre: Conquiritur tota domo, ſed nulla arte, nec bonîs, nec aſperîs ad conſpectum Matthæi deduci potuit, usque tandem ipſe cum patrefamilias ad locum, ubi larvata beſtia latitabat, acceſſit. Sed, mirabile dictu! ſimia aliàs adeò familiaris, mox partim dentibûs ſtridere, ignem exſpuere, in furias agi, partim intimiùs ſeſe abſcondere, vultui aſtantium ſeſe ſubducere, toto corpore contremiſcere cœpit. Ex quo illi, qui aliunde ſpiritu Prophetico præditus erat, difficile non fuit conjicere, ſub hac lar-

vata beſtia non niſi ipſum dæmonem latere. Quare ſolitos Exorciſmos adhibens eò adegit infernale monſtrum, ut palàm coram omnibus cauſam edicere cœperit, cur formam ſimiæ induerit, ſervitia domeſtica in ſe ſuſceperit, à domini ſui latere vix unquam diſceſſerit, hîs verbîs: Jam diu eſt, ex quo ob varia perpetrata ſcelera, oppreſſos pauperes, viduas, & pupillos, aliáſque exercitas cauſarum iniquarum injuſtitias anima hujus jurisperiti in mea poteſtate & dominio erat, jámque à Rege cœli & terræ mihi conceſſum fuit, ut tollerem, quod meum eſt, quamprimùm jurisperitus certas aliquas, utcunque breviſſimas preces, quas omni nocte ad Deum effundere conſuevit, & paucas Salutationes Angelicas, quibus ante ſomnum B. Virginem Mariam venerabatur, vel unico veſpere omitteret. Dudùm hoc exſpectavi, fidelem domeſticum egi, ad omnem motum adverti, ſed hucusque nihil evincere potui, nunquam induci potuit, ut preces ſuas nocturnas intermitteret, qui à tanto jam tempore mihi in prædam deſtinabatur. Si ergo unum vel alterum *Ave* tantæ eſt virtutis, quid de integro Roſario æſtimandum erit?

Zacharias Boverius Tom. 1. Annal.
PP. Capucin.

SER-

SERMO SEXTUS.

Dominica prima poſt Epiphaniam.

THEMA.

Invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum. Luc. 2.

Chriſtus in Roſario invenitur, & à Sodalibus in ſuam domum reducitur.

MAgna fuit triſtitia Mariæ & Joſeph, ubi perdiderunt JEſum. Jam per dietam à Jeruſalem regreſſi erant, & quia, veſpere facto, JEſus diu & multùm exſpectatus nullibi comparuit, nec ullâ diligentiâ inter cognatos, & alios viæ comites inveniri potuit, ſummus dolor, timor & angor ſollicitos parentes affixit. Maldonatus ſcribit, eo adhuc veſpere, nullâ interpoſitâ morâ, neque capta quietis ulla parte, Joſeph & Mariam iter omne verſûs Joroſolymam repetiiſſe, & quosvis obvios in itinere de amiſſo puerulo requiſiviſſe, poſteà in eo conquirendo totum ſequentem diem poſuiſſe: Alij verò putant, noctem illam à Maria in precibus & lachrymis inſomnem fuiſſe exactam, & primùm, manè illuceſcente, iter in Jeruſalem in planctu & luctu reaſſumpſiſſe. Nec ulli hoc peregrinum videbitur, cui conſtat ex Scriptura, quàm amarè fleverit Jacob, quando amiſſum intellexit dilectum filium ſuum Joſeph. Quidquid ad lenien-

N. 1.

Maldonat.

dum dolorem patris corona cæterorum filiorum numerô undecim, quidquid domeſtici, quidquid amici proponebant, irritum
Geneſ. 37. erat, & inane. *Noluit conſolationem admittere*, verba ſunt S. Scripturæ, *ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.*
Tob. 10. Non minùs Anna junioris Tobiæ mater triſtabatur ſuper filium, poſtquàm in Rages profectus ibidem longiorem trahebat moram, & tardiùs ad domum paternam revertebatur: Sic enim legimus in Sacro Codice: *Flebat igitur mater irremediabilibûs lachrymîs, & dicebat: Heu! heu me! fili mi, ut quid te permiſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ?* Cui proinde peregrinum erit, ſi Joſeph & Maria, qui longè teneriùs diligebant JEſum, eum dolentes quæſiverint in Jeruſalem?

N. 2. Sodales Roſariani. Maria & Joſeph ſolummodò JEſum perdiderant quoad præſentiam corporalem, non autem quoad internam inhabitationem in cordibus ſuis per gratiam, & amicitiam, & quidem ſinè ſua culpa perdiderunt JEſum; nihilominùs tanta ſollicitudine, tanta ſedulitate, & mœrore eum inquiſiêrunt: Nos toties perdimus JEſum, & quidem ex lata culpa noſtra, & cum JEſu perdimus quoque gratiam ejus internam, & amicitiam;
S. Bonav. & tamen, proh dolor! *Perdit homo bovem, & ſollicitè eum quærit, perdit equum, & non quieſcit, perdit ovem, & poſt eam vadit; ſed perdit homo peccando Chriſtum, & quieſcit, comedit, bibit, & non quærit.* Hanc ob rem, ſi aliqui hujusmodi hodie adeſſent, ijs viam, qua JEſus perditus inveniri, & modum, quo in domum eorum reduci valeat, monſtrabo.

N 3. Mulier illa Evangelica drachmam perdidit, & diu omni la-
Luc. 15. bore adhibito illam invenire non potuit. Cis perdidit aſinas ſuas,
1. Reg. 9. & filius ejus Saul per avia & devia eas quærere non deſtitit.
Cant. 3. Sponſa perdidit dilectum ſuum, & multa devorare neceſſe fuit, donec illum reperît, ſicut ipſa teſtatur his verbis: *Quæſivi, quem diligit anima mea, quæſivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem, num, quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululùm cùm pertranſirem, inveni, quem diligit anima mea.* Sodales Roſariani! ſi aliquis veſtrûm per peccata ſua perdidit JEſum, ne diu illum

quæ-

quærere oporteat, ego breviſſimam hodie indigito viam, qua abſque multo labore inveniendus erit. Primò, non opus erit cum Maria & Joſeph redire in Jeruſalem, omnes plateas & vicos, domos & hoſpitia, vias & compita perluſtrare. Secundò, fruſtra JEſum quæremus inter conſanguineos, & affines, ſicut de Maria & Joſeph enarrat S. textus: *Requirebant eum inter cognatos & notos.* Si enim inquit S. Bernardus, JEſus inter ſuos, qui omnes erant Sancti, v. g. Sancta Eliſabeth, S. Joannes, Sancta Maria Cleophe, Sancta Maria Jacobi &c. non fuit inventus, quomodò te, JEſu bone! inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minimè inventus es. Noti & familiares non rarò à Chriſto avertunt, vixque Chriſtum invenit, qui eorum affectui indulget. Tertiò, inaniter de JEſu interrogabimus per vicos & plateas: Quia in his à potiori non eſt niſi ſuperbia vitæ, & concupiſcentia carnis, ebrietas, & commeſſationes, cura voluptatum, & neglectus divinorum. Hæc autem diſplicent Salvatori noſtro. Unde dixit hodie: *Neſciabatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quartò denique, in civitate, in domibus & palatij irrito conatu JEſum inquiremus, quia in civitatibus ùt plurimùm homines quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ JEſu Chriſti. Opifices lucro inhiant, cives ſoli mercaturæ attendunt, cambiatores uſuras cogitant, judices juſtitiam vendunt, nobiles & illuſtres de mammona iniquitatis diteſcunt.

S. Bern. ſerm. in hac Dom.

Luc. 2.

N. 4. Hîs ergo ambagibûs cautè præſciſsìs conſultum erit, directè ad templum accedere, & fixò oculò videre, num adſit ille, quem quærit anima noſtra. *In templo enim invenitur Chriſtus*, conſilium ſubminiſtrat Euthymius, *in loco ſacro, in negotio ſacro, in homine ſacro.* In templo invenitur JEſus in Sacramentis, in verbo Dei, in orationibus, in divinorum celebratione, in pauperibus ad valvas Eccleſiæ: In templo Maria & Joſeph invenerunt illum ſedentem in medio Doctorum; in templo & nos ipſum inveniemus, & quidem in medio Doctorum, ait S. Bonaventura, id eſt, in contemplatione, & oratione, à quibus veluti vitæ humanæ Magiſtris & Doctoribus homo haurit potiſſimam doctrinam in via ſalutis; illuſtratur in intellectu, ut divina percipiat; dirigitur in voluntate, nec cæcutiendo à veritate aberret. Cùm ergo locum teneamus, in quo invenitur Chriſtus, & Doctores

Euthym.

S. Bonav. ſerm. 5 in hac Dom.

ctores agnoſcamus, inter quos quærendus eſt dilectus noſter, quidnî utraque manu amplectimur illum, nósque hos inter Doctores aſſociamus ipſi? De diſciplina, magiſterio, & utilitate primi Doctoris, ſeu ſacræ contemplationis ita loquitur S. Bernardus: *In Scal. clauſtr. c. 2.* *Conſideratio mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat incorrectum.* Hoc maximè verificatur de meditatione vitæ & Paſſionis Chriſti, ut teſtatur Ludolphus Carthuſianus hoc tenore: *Ludolph. Carthuſ.* Frequens vitæ, & Paſſionis Chriſti memoria indoctum reddit doctiſſimum, imperitos, & idiotas facit proficere in Magiſtros, Magiſtros, inquam, non ſcientiæ, quæ inflat, ſed charitatis, quæ ædificat. Illa eſt veluti quidam liber vitæ, in quo omnia ſaluti neceſſaria inveniuntur: Felix, qui hunc librum ſeriosè volvit, quia in contemptu mundi, & amore Dei proficiet, cunctarúmque virtutum, & gratiarum incrementum ſumet. Unde Doctor gentium, qui per ſcientiam infuſam ab ipſa incarnata Sapientia in cœlo didicit divina arcana, lubens fatetur, ſe alium librum non pervolviſſe, niſi librum Crucifixi. Unde ait: *1. Cor. 2.* *Non judicavi me ſcire aliquid, niſi JEſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Non diſſimiliter Doctor Seraphicus S. Bonaventura. Cùm enim Pariſijs olim uno eodémque tempore in univerſitate urbis illius florentiſſima commorabatur cum Doctore Angelico D. Thoma Aquinate, qui duo indiſſolubilî amicitiæ religioſæ vinculô arctiſſimè ſibi invicem aſtricti erant, contigit, quòd Sanctus Thomas ipſum inviſeret, & verbîs perhumanîs rogârit, ut S. Bonaventura ipſi ſuam Bibliothecam oſtenderet, à qua tam multiplicem, atque adeò magnam eruditionem hauriret. At verò Sanctus Sancto nihil aliud exhibuit niſi Crucifixum, cum dicto: *S. Bonav. L. de ſtim. amor. div. c. 12.* *Ecce librum, à quo, quidquid lego, quidquid ſcribo, quidquid ſcio, accipio.* Unde ipſe Doctor Seraphicus ſic concludit: *Nihil ſcio in hoc mundo, quod tantùm ad Deum ſapiendum illuminet, ſicut Paſſio JEſu Chriſti: Hîc verè invenitur ſcientiæ plenitudo.* Et S. Anſelmus: *S. Anſelm. ſuper cit. Text. Ap.* *In Chriſto Crucifixo non parva ſcientia eſt, multa in eo diſcuntur.*

N. 5. Non minor eſt diſciplina, magiſterium, & utilitas ſacræ orationis, tanquam ſecundi Doctoris, de quo hodie meminit S. Bonaventura. *Laurent.* *Orationis enim virtus* (aſſertum eſt S. Laurentij Juſtini-

ſtiniani) *illuminat hominem, eáque longè meliùs omnia ſolvuntur dubia, quàm inquiſitione alia.* Inter natos mulierum vix ſurrexit ſapientior Salomone, de quo ipſa ſacra pagina: *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis - - & erat ſapientior cunctis hominis - - & veniebant decunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis regibus terræ, qui audiebant ſapientiam ejus.* Ex quo autem alio magiſterio hauſit Salomo ſuam ſapientiam, niſi ex magiſterio orationis? *Invocavi*, atteſtatur ipſe, *& venit in me ſpiritus ſapientiæ. - Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Inter ſapientes Sanctiſſimus, inter Sanctos ſapientiſſimus erat ſcholarum noſtrarum Angelus S. Thomas Aquinas, cujus ſcripta ipſa æterna confirmavit Veritas notîs illîs verbîs: *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Qui, teſte Vaticano Oraculo, quot articulos ſcripſit, tot miracula fecit; cujus doctrinam, qui tenuerit, nunquam invenietur à veritatis tramite deviâſſe, addit Summus Pontifex Innocentius VI. Unde autem Angelicus hanc accepit ſapientiam, niſi ex magiſterio orationis? Ideò Sodali ſuo F. Reginaldo dicere ſolebat; quidquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore ſuo ſe peperiſſe, quàm divinitùs traditum accepiſſe. Beatus noſter Albertus ob ſingularem eruditionem cognomento Magnus, natione Suevus, adeò ſcientiâ philoſophicâ claruit, ut vulgò non niſi Philoſophus apellaretur. Dum Pariſiis libros ſententiarum expoſuit, ob copioſum diſcipulorum concurſum in platea publica docere compulſus eſt. Unde autem in Alberto tanta ſcientiarum fæcunditas, niſi ex magiſterio orationis, præcipuè ad Beatam Virginem? quæ, dum ſe conſpicuam præbuit, Albertum hîs verbîs ad litteras animavit: *Sapientiæ ſtudio incumbe: At ne te in fide vacillare contingat, ars omnis ſyllogiſtica ante mortem à te auferetur.*

Juſtin. de orat. c. 2. *3. Reg. 4.* *Sap. 7.*

N. 6. Si ergo inter hos Doctores, in contemplatione & oratione, invenitur teſte Doctore Seraphico JEſus, illum, quem quæritis, Sodales Roſariani, jam tenetis in ulnis, in manibus, in Roſario veſtro; Roſario enim contemplatio & oratio perpetuo nexu confœderantur; in Roſario aſſidua eſt contemplatio vitæ, Paſſionis, & myſteriorum Chriſti; in Roſario jugis eſt oratio, cujus voce laudamus Deum, & ſalutamus B. Virginem. Quidnì igitur

extol-

Cant. 3. extollitis voces veſtras cum dilecta Sponſa: *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec illum introducam in domum matris meæ.* Inveni eum in medio Doctorum, in contemplatione & oratione: Tenui eum in ulnis meis, quoties Roſarium accepi in manus meas: Nec dimittam eum, quia non ceſſabo meditari vitæ & Paſſionis ſanctiſſima myſteria, memori mente retinens verba S. Bonaventuræ: *Si vis, ô homo! de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quanta potes devotione, mediteris vitam & Paſſionem Domini, quia hæc mentem à terrenis alienat, & non ſolùm reddit angelicam, ſed etiam divinam.* Pariter non ceſſabo in oratione Mariani Pſalterij diu, noctúque perſeverare; ſi enim, teſte S. Chryſoſtomo, *Omnis oratio trahit ad ſe Deum*, jure optimo doctus infert Paolacius: Ergo Roſarium eſt plusquàm omnipotens, quia ligat ipſum Omnipotentem, ne diſcedat à corde Sodalis Roſariani. Et quidem tamdiu à contemplatione, & oratione hac non ceſſabo, usque dum illum, quem diligit anima mea, introducam in domum cordis mei, quæ eſt ſecunda pars hujus ſermonis.

S. Bonav. de ſtimul. amor. c. 12. — *S. Chryſoſt. hom. 42. ad pop.* — *Paolac.*

N. 7. Argumentum primum pro hac ſecunda parte deduco ex illo, quod legimus Joan. 2. cap. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater JEſu ibi.* Immediatè poſteà additur: *Vocatus eſt autem & JEſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.* Super hunc textum obſtupeſcit Angelicus noſter Præceptor, & quæſtionem movet, cur ad nuptias priùs invitata fuerit, ſimúlque adeſſe feſtinârit Beata Virgo, & poſteà primùm vocatus fuerit JEſus & diſcipuli ejus? Alij SS. Patres ſtupefacti hærent in eo, quòd Beata Virgo his nuptijs intereſſe voluerit: Is enim de illa communis hominum ſenſus erat, & opinio, ut non niſi vocaretur Virgo abſcondita, quia omnes humanas ſollicitè evitabat conſuetudines, conventus, & tumultus, cujus tota converſatio erat in cælis, cum Angelis tota, & cum Deo in precibus & orationibus aſſiduis. Ex quo S. Ambroſius eam omnibus mulieribus proponit in vitæ ſolitariæ prototypon hîs verbîs: *Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. Maria ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus angelus reperiret: Sola ſinè comite, ſola ſinè teſte, ne quod degeneri depravaretur affectu.* Hoc tamen non obſtan-

Joan. 2. — *S. Ambroſ. Lib. 1. in L.*

obſtante ad nuptias vocata venire non recuſat, invitationem ſinè contradictione acceptat, cum feſtinatione ad domum nuptiarum comparet. Rationem hujus primò aſſignat Dionyſius Carthuſianus, ex eo, quia nubentes erant familiares, & conſanguinei Mariæ; ideò pro officioſo ſuo affectu, quo omnes ſemper homines proſequebatur, neutiquam conſuetudinis, & conſanguinitatis legem violare voluit. Altius tamen myſterium hac in re indagat S. Thomas Aquinas, advertendo, quòd Sponſus & Sponſa ardentiſſimìs votìs deſiderârint in ſuis nuptijs præſentem habere JEſum, ut ab eo benedictionem acciperent, & gratiam, matrimonij onera fructuoſiùs impoſterùm ſupportandi. Aſt quia illos non latebat, JEſum ab omni concurſu hominum remotam elegiſſe vitam, nec ulli unquam convivio usque ad illud tempus interfuiſſe; ideò jure merito & timebant, & dubitabant, an, & qua ratione tam deſiderati hoſpitis præſentiâ beari poſſent? Hunc in finem providè cogitârunt, antecedenter ad nuptias invitare dilectiſſimam matrem, ut, ſi ipſa venire dignaretur, poſteà & præſentiam filij habere mererentur. Et benè; quia enim dilectiſſima mater ad nuptias comparuit, paulò poſt JEſus & diſcipuli ejus ad nuptias quoque vocati aderant.

Dionyſ. Carth.

S. Thom. Aquin.

N. 8. Sodales Roſariani! in hoc facto nobis exemplum proponitur, quid nos facere oporteat, ſi cupimus JEſum in domos noſtras introducere, dulciſſimâ illius præſentiâ frui, eum hoſpitem habere in cordibus noſtris. Ad normam Sponſi & Sponſæ in nuptijs Canæ Galilææ priùs invitanda erit dilectiſſima mater JEſu Maria, & ubi illa erit, & Filius adeſſe non dedignabitur. Sicut enim, ùt Filius Dei dixit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:* Ita quodammodò loquitur ùt filius hominis de matre ſua: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Mater mea diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Quis dubitat autem, toties quaſi Mariam vocari in domum noſtram, quoties eam in Roſario invocamus, per *Ave* ſalutamus, in Pſalterio veneramur? Quis dubitat, toties quaſi Mariam ingredi ad corda noſtra, quoties devotè effundimur in preces Archi-Fraternitatis noſtræ, penſum Marianum attentè perſolvimus, Salutationes Angelicas piè depromimus.

Joan. 14.

Si enim Maria intravit ad domum Zachariæ, quando ſalutavit eam Eliſabeth, dicens: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* quidnî intrabit in corda noſtra, ſi eadem verba toties repetamus in Roſario? Si Maria ad domum nuptiarum venit in Cana Galilææ, quia nubentes erant familiares, & conſanguinei ejus, quidnî ad nos venire dignabitur, ubi paſſim apud B. Alanum Sodales Roſarianos ipſa appellat nedum amicos ſuos, ſed etiam filios dilectiſſimos, clientes electiſſimos? Cum Maria autem venit & JEſus ad corda noſtra, ſicut cum ea venit ad nuptias, & cum ea hodie deſcendit, & venit in Nazareth.

N. 9. Aliud argumentum, quòd Roſarij Sodales JEſum inducant in domos ſuas, deſumitur ex Epiſtola S. Baſilij, in quibus modum exponit, quo aut alienas columbas capere, aut proprias avolantes & amiſſas in noſtra columbaria reducere poſſumus. Proripe, inquit, columbam quandam ex nido ſuo, ſuaviſſimìs eam odoribûs perfunde, dein in agrum avolare permitte. Hæc hinc inde volitans alias comperit columbas, iiſque aſſociatur, quæ ſpeciem ejus, & odorem percipientes ſtatim quaſi per odorem exhalantem captivantur, & loca, in quibus profugæ vagabantur, deſerentes columbam odoriferam comitantur ad columbarium proprium, in eóque poſteà manent commorantes. Salvator noſter perſæpè ſub ſimilitudine & figura columbæ nobis indigitatur tum in hiſtorijs, tum in ipſa Scriptura. In hiſtorijs, præcipuè illa, quam ſub ipſo Nativitatis Domini tempore accidiſſe refert Joannes Meffret ex Hermanno. Inter alia ſigna, quæ in ſacratiſſima nocte, qua Chriſtus in Bethleem natus eſt, hinc inde inſolita advertebantur in univerſo mundo, ſpecialiſſima juxta præcitatum Authorem fuerunt obſervata in oriente à tribus Magis, quia poſtmodùm hîs ſignîs permoti profecti ſunt in Bethleem, & adorantes homagium ſuum coram Rege cœli & terræ inter primos exſolverunt. Melchior unus ex illis ſub ipſa hora nativitatis vidiſſe dicitur pulcherrimum hortum, in horto flores omnis ſortis ſelectiſſimos, & quidem omnes ad modum mali granati in ſummitate elegantî coronâ exornatos, ex quorum uno evolabat columba, quæ in aërem ſe attollens latè cantabat: *Iſta nocte natus eſt Salvator mundi.* Sed quidquid ſit de veritate hujus hiſtoriæ, de qua inter doctos multùm dubitatur, in ipſa Scriptura Chriſtus

S. Baſilius.

Joan. Meffret. ſerm. 2. de Epiphan.

ſub

ſub figura columbæ nobis ſat luculenter oſtenditur, Gen 8. ubi, poſtquàm factô diluviô, & jamjam deſinente aquarum inundatione arca requievit in montibus Armeniæ, Noë emiſit columbam ex arca, quæ paulò poſt reverſa eſt ad arcam, portans ramum olivæ virentibûs foliîs in ore ſuo, quaſi ſignum pacis, ex quo Noë intellexit, iram Dei placatam eſſe, & ceſſâſſe aquas ſuper terram. *Gen. 8.*

N. 10. Sub columba hac ſancti Patres frequenter intelligunt æterni Patris Filium, quia ille tempore incarnationis ſuæ veluti columba à ſummo cælo emiſſus eſt, & toti generi humano portavit ramum olivæ virentibûs foliîs, primò in ſignum pacis, quæ per JEſum Chriſtum ſtabilita fuit Deum inter & homines. Unde de ipſo ait Apoſtolus: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* *Epheſ. 2.* Et angeli cecinerunt in nativitate ejus: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et ſecundò in ſignum ceſſantium aquarum, quæ usque ad adventum Chriſti non ſecùs, ac tempore diluvij nimìs prævaluerunt ſuper terram, puta, in ſignum ablatorum peccatorum, ubi omnis quaſi homo antehâc *Bibit quaſi aquam iniquitatem.* *Job c. 15.* Unde de Chriſto exclamavit Joannes Baptiſta: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* *Joan. 1.*

N. 11. Sed proh dolor! Quàm multi ſunt, qui non ſolùm non extendunt manum ſuam, ut apprehenſam hanc cæleſtem columbam inferant in arcam ſui cordis, prout fecerat Noë, ſed potiùs eam intromiſſam per ſummam negligentiam inconſideratè iterùm perdunt, imò, quod pejus eſt, per ſummam injuriam violenter ex animabus ſuis avolare compellunt, dum peccata peccatîs cumulant, ſcelus ſceleri addunt, ſeipſos omni vitiorum fœtore ita inquinant, ut columba divina locum non inveniat, ubi requieſcat. Ipſâ enim experientiâ compertum eſt, columbas adeò eſſe munditiei amantes, ut, ubi vel leviſſimam ſpurcitiam deprehendunt, pedem nunquam figant. Quam ob cauſam, dum columba ex arca dimiſſa primò conſpexit terram à diluvio adhuc deturpatam, cadaveribus refertam, variîsque aliîs immunditiîs impletam, ſinè mora ad arcam rediît, ùt innuit ſacer Textus: *Quæ, cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad arcam.*

N. 12. In hoc ergo caſu, ut JEſus veluti columba deperdita reinveniatur, ad domum cordis noſtri reinducatur, in animabus noſtris perpetuum habitaculum figat, inſervit præallegata do-

S.Baſil.cit. ctrina S. Baſilij. Proripe aliquam columbam tuam ex nido ſuo, id eſt, aliquem bonum affectum cordis tui, actum ſalutarem con-
Nahum 2. tritionis, gemitum doloroſum, juxta illud: *Gementes ùt columbæ.* Hunc gemitum, hanc columbam ſuavi roſarum ſeu Roſarij odore perfunde, deîn in altum evolare permitte, non ambige, quin, ſi hæc gemebunda columba in altum avolaverit, ſuúmque odorem in cœlis diffuderit, per hunc ſit attractura columbam cœleſtem, eámque ſuavitate adoramenti ſui reductura
S. Auguſt. ad penetralia cordis ſui: *Aſcendit enim oratio, & deſcendit Dei miſeratio.* Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum coram Deo, & deſcendit ad nos Sanctus Sanctorum. E-
Apoc. 8. mittunt roſæ odorem ſuum, *& deſcendit JEſus cum eis, & venit*
Luc. 2. *in Nazareth*, quod interpretatur *flos*, id eſt, in corda, ubi roſæ vernant.

N. 13. Felices proinde vos dico, Sodales Roſariani! qui tam facilem viam, perditum JEſum inveniendi, tam facilem modum,
Judic. 8. reducendi inventum in corda veſtra, poſſidetis. Aliqui de tribu Dan abſtulerunt Michæ idola ſua, quæ, cùm Michas deperdita advertiſſet, mox clamare, ululare, currere cœpit poſt abeuntes, qui, cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: *Quid tibi vis? cur clamas?* Reſpondit Michas: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & dicitis, quid tibi vis?* Et tamen Michas deperdita ſua idola non obtinuit. Nos ſæpè, & quidem culpâ propriâ, non idolum aliquod, ſed verum Deum deperdimus, & tamen facillimâ viâ invenitur, facillimô modô ad domos noſtras deportatur. Non opùs eſt clamare, & ululare, & currere; ſufficit unus affectus pius roſeo odore perfuſus, & perditus JEſus reinducitur ad animas noſtras.

Hiſtoria.

TEmpore, quo S. Pater Dominicus Romæ ſuum prædicabat Roſarium, in urbe morabatur Matrona quædam, Catharina nomine, quæ, ùt affabilis & formoſa, ita procax & laſciva plurimis facta erat lapis offenſionis, & petra ſcandali, de perdita gratia, de amiſſo JEſu, de jactura ſalutis nec minimùm ſollicita.

Hoc

Hoc unum in ea commendabile obſervabatur, quòd ſubinde frequentaret conciones S. Patris Dominici, ſicut & ab eo, dum pro more ſuo Roſaria inter auditores diſtribuit, unum non ſinè magna æſtimatione accepit, illúdque quotidie recitare cœpit. Elapsîs quibûsdam diebûs in platea obvium habuit pulcherrimum juvenem, qui blandîs verbîs ſeipſum ad domum Catharinæ invitavit, eóque venit. Inter cœnandum ita incaſtus in corde Catharinæ in hunc juvenem exardeſcebat amor, ut tempus explendæ voluptatis, ſicuti credebat, ægerrimè exſpectaret. At in juvene longè diverſa agebantur. Hic quippe (utpote vel ipſe Salvator noſter, vel angelus ejus) per diſpoſitiones prævias ea operabatur in oculis Catharinæ, ut doloroſa deperditi JEſu memoria pedetentim in peccatrice non ſinè ſuſpirijs excitaretur; quidquid enim juvenis in menſa manu tangebat, id totum madebat & rubebat ſanguine, additîs dictîs: Chriſtianum decere, quidquid alimentorum ſumat, ſanguine Chriſti conſpergere, & quodammodò condire. Mirabiliora Catharina advertit, ubi ſeſe ad lectum compoſuit, forma juvenis ter, & ſemper inſolitô modô immutatâ. Primò juvenis repræſentabatur ùt puer parvulus, qui in capite portabat coronam ſpineam, in humeris crucem, in manibus & pedibus recentia vulnera. Paulò poſt formam parvuli mutavit in formam viri, quam Chriſtus Dominus indutus in monte Calvariæ mortuus eſt. Tertiò apparuit totus glorioſus, virtute & honore circumdatus, eo fermè modo, quo gloriosè à mortuis ſurrexit, aſcenditque in cælum, ſimúlque hîs verbîs Catharinam allocutus eſt: Satìs eſt, Catharina! deſine à peccatis tuis; en! quanti mihi conſtiterint. Finem impone vanitatibus tuis, revertere miſera ad Creaturem tuum, & noli oblíviſci, quæ modò tibi oſtenſa ſunt. Ubi hæc vidit Catharina, mox exclamavit cum Sponſa in Canticis: *Surgam, & circuibo civitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* *Cant. 3.* Deîn generaliter ſua peccata confeſſa eſt S. Patri Dominico, ſua bona pauperibus diſtribuit, vitam ſolitariam duxit, & ad illud faſtigium ſanctitatis pervenit, ut multîs miraculîs etiam in hac vita clarere cœperit. P. Joannes de Monte comes S. P. Dominici in ſuo Mariali.

SERMO SEPTIMUS.

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam.

THEMA.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Joan. 2.

Sodales Roſarij in Sponſas ſibi aſſumit Chriſtus, B. Virgo verò in Sponſos.

N. I. DIgnitas nuptiarum, quæ factæ ſunt in Cana Galilææ, tum à nobilitate contrahentium, tum ab excellentia convivarum, tum à novitate miraculi æſtimanda venit. Nobilitas contrahentium ex eo liquet, quia juxta opinionem SS. PP. Sponſus erat Joannes Evangeliſta, Sponſa Anachita, qui ambo ipſa nuptiarum die caſtitatem voverunt, Joannes Chriſtum, Anachita Beatam Virginem ſequendo. Excellentia convivarum inde creſcit, quòd Rex cœli & terræ, unigenitus Dei Filius, unà cum ſua glorioſiſſima matre his nutijs intereſſe dignatus ſit. Novitas miraculi ex eo extollitur, quia hac die fecit initium ſignorum ſuorum JEſus, &, aquâ in vinum mutatâ, primò manifeſtavit gloriam ſuam. In memoriam hujus miraculi, *Epiphan.* ut teſtatur S. Epiphanius, multîs ſuccedentibûs annîs ea die, ea hora, imò eodem momento, quo hoc miraculum factum fuit in

Cana

Cana Galilææ, quidam in Ægypto & Aſia fontes non aquam, ſed vinum fluebant, ùt ſeipſum deguſtâſſe addit præcitatus S. Pater Epiphanius. Sed quid mirum, ait S. Auguſtinus, ſi Chriſtus Dominus hodie ad nuptias venit, cùm & ipſe haud pridem, & quidem in perſona Sponſi, in mundum ad nuptias venerit, ſe quodammodò deſponſando cum natura, & carne humana. In incarnatione enim verificatum fuit illud: *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias: Tunc ſiquidem* (verba ſunt S. Gregorij) *Deus Pater Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando hunc ante ſæcula fieri veluit hominem in fine ſæculorum.* Ad has nuptias non ita pridem nos omnes vocabamur per angelos in Feſto Nativitatis, qui evangelizârunt nobis gaudium magnum: *Quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David.* Et quidem, ùt credo, ad has nuptias vocabamur cum meliori effectu, quàm illi inhumaniſſimi ſocij, qui non obſtante invitatione regia, & ablegatîs ſervîs nolebant ad nuptias venire, & abibant alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam, reliqui verò tenuerunt ſervos regis, & contumeliîs affectos occiderunt. Sed ecce! mirabilem metamorphoſin, ubi in nuptijs Verbi incarnati convivæ fuimus, hodie in nuptijs in Cana Galilææ Sodales Roſarij non ùt convivas adeſſe conſpicio, ſed ùt Sponſas & Sponſos actuales video, ùt Sponſas equidem Chriſti, Sponſos verò B. Virginis.

S. Auguſt. Tr. 8. in Joan. — *Matth. 22.* — *Hom. 38. in Evang.* — *Luc. 2.*

Lectu jucundum eſt, quòd de quadam virgine, Aſpaſia nomine, refert Ælianus. Erat Aſpaſia ſuo tempore formoſiſſima puella, cui vix deerat, quodcunque demùm provida natura cuidam homini in effigianda perfectæ venuſtatis idea contribuere poteſt. Verùm enimverò ſicut fragilis eſt omnis humanæ formæ decor, ita tenerîs adhuc annîs Aſpaſia de ammiſſo genarum ſuarum lepôre amarè indoluit, accreſcente in facie quodam tumore, qui eam ita deturpavit, ut, ſicut anteà omnibus placuit, ita poſteà ſingulis horrori eſſet, & averſioni. Aſpaſia in hac deſolatione omnis auxilij, & conſilij inops in quodam famoſiſſimo chirurgo ſpem ſuam poſuit, qui & omnem curam, certámque priſtinæ venuſtatis ſpem ſpopondit, ſi ei in anteceſſum pro N. 2.

Ælianus l. 12. variar. Hiſt.

mer-

mercede ſolverentur tres monetæ, tunc temporis *Stateræ* dictæ. Aſt inanis erat hæc promiſſio; patre enim Aſpaſiæ ob inopiam has monetas ſolvere impotente, puella jam penitùs de ſalute ſua, & recuperanda pulchritudine deſperare cœpit, usquedum in nocte quadam arcanam audivit vocem dicentem ſibi: Aſpaſia, ſi reconvaleſçere, & formam faciei tuæ obtinere cupis, roſarum Deæ flores ſumito, eósque contritos plagæ oris tui appone, & ſanaberis. Dictum factum: Aſpaſia contritas roſas plagæ applicuit, tumor deſiìt, forma rediìt, ita, ut paulò poſt à Cyro Rege Perſarum in uxorem aſſumpta ſit, & Cyrô defunctô facta fuerit ſponſa Regis Artaxerxis.

N. 3. Simile quid de anima peccatrice deplorat Jeremias Propheta. Anima enim, utùt in ſtatu innocentiæ, vel poſt ſuſceptum baptisma, cæleſti pulchritudine effulgeat, in brevi tamen per peccata ſua enormiter deformatur. Unde lamenta ſunt lachrymantis Prophetæ: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: Adhæſit cutis eorum oſſibus, & facta eſt quaſi lignum.* (*Thren. 4.*) Cæleſtis medicus, pronus quidem in auxilium, promittit reſtitutionem formæ præhabitæ; aſt tres monetas exigit, ſcilicet tres partes Sacramenti pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem; inaniter tamen, quia miſera anima, flagitijs immerſa, degit in egeſtate ſpiritûs. Unde requiſitum ſtipendium ex ſuis proprijs erogare non valet, ad criminis, cui obſtinatè inhæret, deteſtationem non flectitur, culpæ confeſſionem erubeſcit, nullô pactô ex viribus naturalibus ſatisfacere poteſt. Quid ergo in hac re conſilij? quid in hoc malo remedij? Ecce Dea roſarum, Regina SS. Roſarij porrigit animæ peccatrici tres roſas, id eſt, tres partes Mariani Pſalterij, quæ, animô contritô ſuſceptæ, paulatim cor tumens ad pœnitentiam inflectunt, malum retundunt, priorem pulchritudinem reſtituunt, ut tandem talis anima ab ipſo Rege regum tenerrimè redametur, & in Sponſam aſſumatur. Nec gratìs hoc dictum exiſtimetur; audite enim, quomodò ipſe divinus Sponſus ejusmodi animam appellet Sponſam ſuam hìs verbìs: *Vulnerâſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulnerâſti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine*, ſeu ùt legit Pagninus, in uno torque, *colli tui. In uno oculorum tuorum*; id eſt, in altitudine contem- (*Cant. 4.* *Pagnin.* *Theodoret.*)

plati-

plationis, ait Theodoretus in hunc locum, quia oculos in Scriptura paſſim eſt ſymbolum contemplationis. *In uno crine*, ſeu torque colli tui, id eſt juxta interpretationem piorum aſcetarum, in aliqua devotione Mariana; per collum enim Eccleſiæ, veluti corporis myſtici, S. Bernardinus Senenſis intelligit Beatam Virginem Mariam, quia, ſicut caput per collum in membra influit, ita Chriſtus tanquam caput omnes gratias per Mariam influit in membra Eccleſiæ. Unde ait S. Hieronymus: *In Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ſicut in capite influente, in Maria ſicut in collo transfundente.* Unde non immeritò ſub uno crine ſeu torque colli hujus ſacratiſſimi intelliguntur devotiones Marianæ. Dum ergo divinus Sponſus animam humanam alloquitur verbîs præfatîs: *Vulnerâſti cor meum, ſoror mea Sponſa, vulnerâſti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui;* apertè loquitur de anima, addicta SS. Roſario: Hæc enim vulnerat Sponſum in uno oculorum, id eſt, in altitudine contemplationis, cui inhæret per omnes decades Mariani Pſalterij, ruminando præcipua Redemptionis humanæ myſteria; in uno crine, ſeu torque colli virginei, id eſt, Marianæ devotionis exercitiô, quia Maria præ cæteris in Roſario colitur, & honoratur.

S. Bernard. Senenſ. Tom. 1. Ser. 1.

S. Hieron.

N. 4. Clariùs hoc nobis ſub figura innuitur in Prophetia Oſeæ. *Vade* (erat præceptum Domini ad Oſeam) *ſume tibi uxorem fornicationum.* Et iterum: *Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram.* Verbum durum! præceptum oneroſum! Quis enim non nauſeet, amaricetur, horreſcat, ſi ipſi in uxorem deputetur fœmina malè infamata, adultera, nefandum proſtibulum? Et tamen, ut advertit S. Hieronymus, Oſeas audiens à Domino: *Accipe uxorem fornicariam;* non frontem rugat, non mœrorem pallore teſtatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonſtrat, ſed mandatis divinis illicò morem gerit, fœminámque, ſibi à Deo indigitatam, in uxorem accipit, in propriam domum introducit, ùt conjugem adamat. Cauſa in ſenſu litterali alia allegari vix poteſt, niſi fortè ſpes exiguæ dotis, quam mulier hæc tulit viro ſuo. Ait enim Propheta cap. 3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis;* id eſt, ùt ex Hebræo legit Salazar: *Deſpondi eam mihi habentem, & afferentem dotem, quindecim nummos negales.* Aſt bone Deus! hæccine eſt ſufficiens dos mulieris

Oſe. c. 1. & c. 3.

S. Hieron.

Salazar de concept. c. 31.

adeò proſtitutæ, ut digna habeatur conſortiô, & matrimoniô tanti Prophetæ? Hoc eſt ſufficiens motivum, ut vir, in omni populo celeberrimus, ducat uxorem ubique peſſimè audientem, in civitate peccatricem, in tota vicinia probrosè proſtitutam? Ita ſanè, reſpondet Carthagena, totum enim, quod in Oſea geſtum eſt, erat indicium præcedens, quod fieret in novo teſtamento; quæ in figura contigerant antiquitùs, in lucem producenda erant ſub lege gratiæ. In Oſea Chriſtus ſignificatur; *Oſee* enim Salvator interpretatur. In muliere diffamata anima peccatrix denotatur, quæ fidem in baptiſmate datam toties frangit, quoties per peccata ſua à Deo avertitur, & bono creato inhæret. Unde quaſi adultera durîs verbîs increpatur. Ezech. 16. Quindecim argentei ſunt quindecim decades SS. Roſarij. Et hæ ſunt dos illa pretioſa, quæ movet Chriſtum, ut etiam hominem peccatorem à ſuo conſortio non repudiet, ſed potiùs arctô amoris vinculô complectatur: Hæ ſunt motivum, quo Sponſus divinus inducitur, ut animam humanam oſculetur oſculô oris ſui, in Sponſam ſibi eligat, eique indiſſolubili amicitiæ nexu perpetuò conjungatur: Hæ ſunt pondera amoris, quæ æterni Patris Filium, veluti Sponſum, hodiedum detinent, ut animas, SS. Roſario addictas, deſponſet ſibi in fide & dilectione. In qua deſponſatione ipſa quoque beatiſſima Virgo Maria indubiè præſens eſt, & ſuam operam contribuit, ùt id legimus de ſancta noſtra Catharina Senenſi.

Carthag. Hom. de Roſar.

N. 5. Seraphica Virgo Catharina Senenſis à primis annis ita erat Roſario addicta, ut jam tunc in quolibet gradu, dum per ſcalam domûs aſcendebat, vel deſcendebat, per unum *Ave* Mariam ſalutare ſolita ſit; cùm ſextum annum vix attigiſſet, oculîs in cælum defixîs, vidit Chriſtum in majeſtate ſibi dulciter abblandientem, & inſuper ad ineundum nuptiale fœdus amicabiliter invitantem. Unde paulò poſt emiſsô votô perpetuæ virginitatis jugiter eò aſpirabat, ut tandem cæleſti Sponſo deſponſari mereretur. Uno die, quo mundus ante Quadrageſimam epulis ac diſſolutioni vacare ſolet, Catharinæ in ſua cellula jejunanti, & gementi ille ſpecioſus formâ præ filijs hominum adfuit, dicens: Eja dilectiſſima filia, quandoquidem tu, ab omni ſæculi amore vacua, mihi ſoli totum cor tuum integerrimè dedicâſti, venio deſponſaturus

te

te mihi hodie. Adhuc loquente JEſu, velut ex condicto, Virgo Deipara cum angelorum Choro ingreditur, adſtant pariter ſancti Apoſtoli Joannes Evangeliſta, & S. Paulus cum Patriarcha Dominico, & David Citharœdo. Mox Regina cœlorum, acceptâ Catharinæ manu dexterâ, ſuaviter attraxit ad Filium, qui ſtatim, prolatô nuptiali annulô, digitum novellæ Sponſæ ſolemniter exornavit, adjiciens: Ecce deſpondeo te hodie mihi Creatori & Salvatori tuo. Fulgebat in annuli ſummitate pretioſus adamas, & circa illum quatuor puriſſimi uniones, qui annulus poſteà toto vitæ tempore remanſit in digito Catharinæ, ipſi tamen ſoli conſpicuus.

Agnoſcite ergo, Sodales Roſariani! agnoſcite dignitatem N. 6.
veſtram, dum, divinorum conſortes ſponſaliorum, Salvatori veſtro in Roſario copulamini. Eſther inveniſſe dicitur gratiam *Eſth. 2. c.*
in conſpectu regis Aſſueri, dum fuit aſſumpta in thalamum regium, eíque fuit impoſitum diadema regni. Rebecca ſibi honori duxit *Gen. 24.*
& gloriæ, quia fuit poſtulata in ſponſam Iſaac; at quò majorî gratiâ, quò altiorî honoris prærogativâ dotatur anima humana, ſi Sponſa ipſius Regis cæleſtis efficitur?

Sed quid video? Quæ peregrinæ rerum mutationes obſervan- N 7.
tur oculis meis? Planè aut vigilans dormio, aut dormiens vigilo, dum eandem, quæ paulò ante Sponſa erat, jam in perſona Sponſi conſpicio. Crederem, inanes cæcæ gentilitatis fabulas reviviſcere, quæ paſſim fœminas in viros, & viros in fœminas transfigurabant, niſi lux luculentæ veritatis irradiaret in oculis meis; dum reipſa Sodales Mariani in Sponſas eliguntur à Chriſto, & in Sponſos evadunt Sacratiſſimæ Reginæ Roſarij. Cujus aſſerti fundamentum præbet renaſcentis Archi-Fraternitatis noſtræ ſecundus Apoſtolus B. Alanus de Rupe, qui myſticæ hujus, hominis cum Maria, deſponſationis, & teſtem agit, & Sponſum, & procuratorem. Nox erat fermè media, decimam inter, & undecimam horam, Alanus ſolus in camera Roſarium orabat, & ſubitò in cella coorta lucere reſplenduit inſolita claritas, aſtitit oranti B. Virgo, ſalutans eum ſuaviſſimîs verbîs, ſimúlque animans, ut ſtrenuè pergeret in prædicando Roſario, & propaganda hac devotione in populis. Tandem aderat & ipſe Dominus JEſus Chriſtus, in cujus præſentia B. Virgo in ſignum deſponſationis Alano, veluti electo Sponſo ſuo, præbuit annulum de crini-

 bus

bus ſanctiſſimi capitis ſui factum, injiciendo ſimul ſuper collum ejus catenam, ex crinibus virgineis concinnè contextam, cui catenæ inſerti hærebant 150. lapides pretioſi, tot ſcilicet, quot Salutationes Angelicæ in Pſalterio Mariano continentur. Poſt hæc, Beata Virgo dulce oſculum impreſſit novo Sponſo ſuo, & juſſit, ut, ſicut ipſa fecerat tanquam Sponſa viſibiliter, ita & ipſe faceret ſpiritualiter & inviſibiliter procuratorio nomine omnibus ijs, quos devotos invenerit Mariani Pſalterij cultores.

N. 8. Adeſte igitur, Sodales Roſariani! adeſte, quicunque Reginæ cœli & terræ deſponſari concupiſcitis. Ecce! Procurator ab illa delegatus eſt B. Alanus, qui in perſona & nomine ſuæ Principalis vobis annulum offert nuptialem, catenam præbet ſponſalitiam, centum quinquaginta unionibus exornatam, id eſt, Pſalterium Marianum ex centum quinquaginta Salutationibus Angelicis congeſtum, qui poteſtatem habet, ut, quoſcunque invenerit cultui Roſariano addictos, aſſumat in Sponſos glorioſæ SS. Roſarij Dominæ. Adeſte, & cordatè gratiam hanc vobis oblatam perpendite, enucleate, æſtimate. *Gen. 31.* Jacob, ut ſibi Rachel in ſponſam acciperet, patrem & matrem dimiſit, in Meſopotamiam abiît, quatuordecim annis Daban in ſervitijs fuit, diu, noctúque æſtu urebatur & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis ejus, ùt ipſe fatetur. Juniori Tobiæ, ut ipſi Sara in uxorem contingeret, grave non fuit, nec moleſtum, in Rages Medorum proficiſci, millenis periculis maris, millenis periculis terrarum exponi, imò cum ipſo dæmonio, quod jam ſeptem Saræ viros in prima nuptiarum nocte trucidârat, acerrimum conflictum ſubire. Et nobis ſinè labore, ſinè defatigatione, ſinè viarum diſcrimine potentiſſima, ditiſſima, formoſiſſima cœlorum Domina ſe ultroneè in Sponſam offert, prior annulum ſponſalitium Fratribus Roſarij in ſignum amoris ſui ſubmittit, cum illis omni tempore deſponſari deſiderat, vices ſuas committendo Beato Alano, tanquam procuratori ſuo.

N. 9. In confirmationem hujus dicti recordari non pigebit illius, *Gen. 24.* quod in ſacro codice legimus. Poſtquàm amicus Dei Abraham jam ſenuerat, & Dominus in cunctis benedixerat ei, ſollicitudine paterna eò intentus erat, ut dilecto filio ſuo Iſaac unico bonorum hæredi virtuoſam ſimul, & nobilem uxorem ſeligeret.

Hunc

Hunc in finem *dixit ad ſervum ſeniorem domûs ſuæ, qui præerat omnibûs quæ habebat: Pone manum tuam ſubter femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: Sed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem filio meo Iſaac.* Juravit Eliezer (hoc erat nomen ſervi) domino ſuo Abraham, & profectus eſt in Meſopotamiam, ut quæreret ſponſam Iſaac. Aſt nec ſolus, nec vacuus profectus eſt, *ſed tulit ſecum*, ait Scriptura, *decem camelos de grege domini ſui, & abiît, ex omnibus bonis ejus portans ſecum;* puta, varia munera, ad amictum & ſplendorem muliebrem pertinentia, inaures, monilia, armillas, aurô & margaritîs pretioſas. Jam Eliezer attigerat percelebrem Meſopotamiæ urbem Nachor, & antequàm ingrederetur urbem, cum camelis ſuis extra mœnia ſubſtitit juxta puteum aquæ, ad quem veſpertino tempore ſolebant puellæ civitatis egredi ad hauriendam aquam. Unde ita ſtatuit ſecum Eliezer, nudu divino antecedenter invocato, quòd ex venientibus ad aquam illa puella ſecernenda foret in ſponſam Iſaac junioris domini ſui, quæ ipſi, & camelis ejus benevolè potum aquæ porrexerit. Et ecce! *Mox ex urbe egrediabatur Rebecca filia Bathuel - - puella decora nimis, virgóque pulcherrima & incognito viro*, quæ deſcendens ad fontem, & hydriam ſuam implens, ubi primò rogata fuit ab Eliezer, protinùs illi, & camelis ejus aquam hauſit, & in abundantia præbuit. Hoc facto ſervus Abraham non dubitavit hanc puellam in ſponſam Iſaac aſſumere, proferens in fœdus ſponſaliorum *inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillos totidem pondo ſiclorum decem.* Accepit Rebecca munera, & paulò poſt præſente patre ſuo Bathuel, & fratre ſuo Laban conſenſit in oblata ſponſalia, uxor Iſaac in gaudio effecta.

Hæc olim in umbra & ænigmate facta erant in teſtamento N. 10.
veteri, in novo autem in re, & opere ipſo complebantur. Deus Pater, poſtquàm jam ab æterno incarnationem unigeniti Filii ſui decreverat, ut in tempore cum carne & natura humana, quaſi cum Sponſa ſua, conjungeretur, à ſummo cælo ablegavit angelum ſuum, qui ſic loquendo Sponſam inquireret, & prævias ad incarnationem, quaſi ad nuptias, diſpoſitiones præmitteret.

Ad hanc legationem, ſicut ab Abraham deputatus fuit Eliezer unus ex primis domeſticis, ita à Deo electus fuit Archangelus Gabriel, quem majoribus in regno cælorum accenſet S. Bernardus, hîs verbîs: *Non arbitror, Angelum Gabrielem de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa crebra ſoleant ad terras fungi legatione. Quod ex ejus nomine palàm intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur.* Deſcendit angelus in terram, venit in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Et ecce! obviam habuit puellam decoram nimìs, Virginem pulcherrimam, incognitam viro, deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Placuit hæc in oculis cæleſtis nuntii, non minùs ac Rebecca in oculis Eliezer. Unde veluti futuram unigeniti Dei Filii Sponſam ſalutavit eam, dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus -- inveniſti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis eum JEſum.* Quæ ſalutatio tot fermè munera, quot verba, in ſe continebat, quæ in fœdus ſponſalitium protulit Archangelus, longè Mariæ gratiora & pretioſiora, quàm inaures & armillæ, quas Eliezer Rebeccæ præſentavit. Unde & Maria protinùs conſenſum ſuum dedit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

S. Bern. ſuper miſſus eſt.

N. 11. Non erravero, ſi ſimilia hodiedum, & quidem quotidie fieri aſſerere auſus fuero. Sodales Roſariani partim quidem ultroneè ab ipſa B. Virgine per B. Alanum tanquam per ſubſtitutum procuratorem in Sponſos poſtulantur ſubmiſſô, annulô & catenâ ſponſalitiâ, quæ ex dictis Pſalterium Marianum denotat, partim & ipſi, tenerrimo Deiparæ amore impulſi, non tam per Legatum, quàm in propria perſona inſtar Archangeli Gabrielis ad Mariam veniunt, eam ut Sponſam inquirunt, dulciſſimè ſalutant, eadem munera in fœdus ſponſalitium proferunt cum Gabriele Archangelo, dicentes: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quis ergo dubitet de conſenſu? quis de nutu benevolo? quis de aſſecuratione ſponſalitia? Ipſa enim B. Virgo non ſemel faſſa eſt præfato Beato Alano, Salutationes Angelicas ipſi eſſe ſuper aurum & topazion, deſiderabiliora ſuper omnem lapidem pretioſum, eſſe inaures aureas & armillas gratiſſimas, eſſe veſtitum deauratum, & nuptialem, quo indui geſtit à

Fratri-

Fratribus & Sororibus SS. Roſarij : Quo viſo in Sponſam ſe offert, & conſecrat clientibus ſuis, tanquam Sponſis ſuis dilectiſſimis.

Fortunatos proinde vos! Sodales Roſariani. Fortunatos N. 12.
vos! Et quidem ex trito illo proloquio in pagis & oppidis notiſſimo: *Cui fortuna favet, ſponſa petita manet.* Currant alij, angantur, ſollicitent, diu, noctúque allaborent, ut dilectam ſibi ſponſam obtineant. Nos ſemper ſponſa petita manet; & quidem Sponſa, cujus pulchritudinem cæli mirantur, juxta illud: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ùt* *Cant. 6.*
luna, electa ùt ſol. Cujus nobilitas antiquior æſtimatur omnî creaturâ, juxta illud. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis,* *Proverb. 8.*
antequàm terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram - - Ante colles ego parturiebar. Cujus potentia concavum totius univerſi circumplectitur, juxta illud: *Data eſt mi-* *Matth. 28.*
hi omnis poteſtas in cælo & in terra: Cujus portio hæreditaria eſt regnum æternum, juxta illud: *Qui me invenerit, inveniet vi-* *Proverb. 8.*
tam, & hauriet ſalutem à Domino.

Pro coronide igitur cautè attendendum eſt, ut, dum in hodiernis nuptijs in Sponſam Chriſti, in Sponſum verò beatæ Virginis anima noſtra aſſumitur, doctrina S. Pauli nunquam excidat è memoria noſtra: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quomo-* *1. Cor. 7.*
dò placeat uxori: Et quæ nuptia eſt, cogitat, quomodò placeat viro. Ipſe divinus Sponſus amat nos charitate perpetua, juxta illud: *Traham eos in vinculis charitatis.* Beata Virgo, tanquam *Oſee 11.*
Sponſa dilectiſſima, tanto amore *diligit* (teſte Beato Alano) *quem-* *B. Alanus.*
libet ſibi offerentem Salutationem Angelicam, ut, quantùm in ſe eſt, cor ſuum citiùs traheret de corpore ſuo, quàm quòd damnaretur peccato mortali. Convenit ergo, ut & ex parte noſtra amor ſponſalitius in nullo deficiat.

Hiſtoria.

JOanna à JEſu Maria, in Hiſpanijs in Urbe Burgos à nobilibus parentibus orta, adeò ſingularibûs prærogativîs in tota vita ſua à cælo ex ornata fuit, ut de illa videatur dictum: *Mirabilis*

bilis Deus in ſanctis ſuis. In pueritia jam eò ſe dederat devotioni & virtuti, ut, dum inveniri debuit, alio loco, quàm in Sacello domeſtico, nunquam quærenda fuerit, ubi clanculò ſeſe recipere ſolebat, infantulum Jeſum, qui ad Altare in throno ſedebat, veneratura. Hoc pio exercitio adeò ſeſe recreabat, ut omnia alia mundi delectamenta, & æqualium ſocietates penitùs recuſaret. Aliquando viſibiliter ei apparuit Chriſtus, ſicque eam affabatur: *Soror mea, quid agis hîc?* Joanna exiſtimans, eum, qui loquebatur, eſſe quendam alium, reſpondit: *Oro Roſarium in honorem JEſu mei.* Chriſtus repoſuit: *Joanna diligis me? Domine*, repoſuit illa: *neſcio, quid ſit diligere: Si tamen quemdam diligere oportet, infantulum JEſum, cujus effigies hîc in Altari præſentatur, unicè diligerem.* Hunc ſeipſum eſſe, ubi declaravit JEſus, pulcherrimum Roſarium, quod cruce parva quinque pretioſîs unionibûs ornata inſignitum erat, in collum Joannæ injecit, & diſparuit. Ex hoc jam indies magìs creſcebat devotio innocentiſſimæ Virginis in JEſum, qui per Roſarium, veluti ſignum ſponſalitium, jam prævias ſic diſpoſitiones fecerat ad futuras cum Joanna nuptias. Alia vice, dum iterùm Roſarium oraverat in Sacello, ipſi aderat cum magno ſplendore Beata Virgo Deipara, S. Pater Dominicus, S. Franciſcus Seraphicus, & S. Clara, in qua viſione glorioſa cæli Regina Joannæ oſtendit puerulum ſuum, & quæſivit, num vellet eum in Sponſum habere? Libenter quidem in inſtanti annuiſſet puella; aſt conſiderans diſparitatem inter ſe & talem Sponſum timuit, ne nuptiæ nimìs properatæ in malum vergerent; unde ſubjunxit: O Domina, infantulus iſte formoſus, dives, & potens eſt: Ego verò nihil ſum, pauper & infirma. Meritò ergo timeo, ne à tali Sponſo, tanquam indigniſſima ancilla ejus, repudiari debeam. Tandem aſſerente beata Virgine Maria, quòd omninò repudianda non ſit, ſed potiùs ſeriò & inſtanter in Sponſam petatur à Filio ſuo, conſenſum ſuum dedit Joanna, virginitatem vovit, & mira ſanctitate in vita, poſt mortem autem multîs miraculîs fulſit.

P. Franciſcus de Amyugo Ord. S. Franc. in ſuo opere Coloniæ 1682. impreſſo de novis miraculis gratiæ.

SER-

SERMO OCTAVUS.

Dominica tertia poſt Epiphaniam.

THEMA.

Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora. Matth. 8.

Maria in Roſario curat infirmitates, ſi adſint, & præſervat ab illis, dum abſunt.

QUamvis omnis ſimilitudo claudicet, congruè tamen mundus vel magno ægroto, vel Xenodochio comparatur. Magnus ægrotus eſt, ait *S.* Auguſtinus, quia magnus & omnipotens medicus ad hunc grandem ægrotum deſcendit de cælo, humiliavit ſe usque ad mortalem carnem, tanquam usque ad lectum ægrotantis. Xenodochio aſſimilatur mundus, teſtatur *S.* noſter Vincentius Ferrerius, quia in eo invenire eſt omnis generis & ſortis infirmitates. Ex hoc Xenodochio duo in hodierno Evangelio ægroti venerant ad divinum Medicum. Unus erat leproſus, venit, & adorabat eum, dicens: *Domine, ſi vis, potes me mundare;* nullatenùs dubitans de virtute Medici, ut benè annotat S. Hieronymus, dicens: Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat. Unde & JEſus extendens manum tetigit eum, inquiens: *Volo. Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra.* Quia etſi non omnibus, huic tamen leproſo pro tunc expediebat integritas corporalis, addit B. noſter Albertus Magnus. Paulu- N. 1. *S. Aug. ſerm. 29. de verb. Dom. S. Vincent. Ferrer. Fer. 5. poſt Dom. 4. Quadrag. S. Hier. in c. 8. Matth. Albert. M.*

lum proceſſit JEſus, & acceſſit eum Centurio, rogans eum: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi JEſus: Veniam, & curabo eum.* Aſt tanto honore ſe indignum reputabat Centurio, benè gnarus, quòd præſentia corporalis ad curandum infirmum non eſſet neceſſaria, ſed ſufficeret vel unicum verbum, ut relevaretur æger. Ideò ſubjunxit: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbô, & ſanabitur puer meus.* Quæ fides & confidentia ita placuit Chriſto, ut Scriptura dicat: *Audiens autem JEſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël.* Nec ſolummodò in verbis laudavit fidem Centurionis, ſed etiam in re id, quod petiît, conceſſit ei, dicens: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.* Sodales Roſariani! quamdiu & nos in Xenodochio hujus mundi verſamur, vel actu involvimur variîs infirmitatibûs, & continuo languore corporis, vel ita conſtituti ſumus, ut omni die, & horâ mala, & morbos ingruentes timere neceſſe ſit, hodie ſani, jucundi, & robuſti, cras malè habentes, contriſtati, & debiles. Non abs re proinde erit, ſi de tali medico nobis provideamus, qui virtute ſanandi, ſi nobis ſit utile, pollet, & confidentibus in ſe auxilium ſuum nunquam denegat. Talis medicus eſt auguſtiſſima Roſarij Regina, quæ infirmitates noſtras, ſi adſint, curabit, præſervabit verò ab illis, ſi abſint, dummodò iîsdem ad eam conditionibûs accedamus, quibus leproſus & Centurio hodie Chriſtum acceſſerunt, id eſt, plena cum reſignatione, ſi ita voluntas divina fuerit, & cum certa confidentia, & firma fide.

N. 2. Sunamitis mulier devota, & miſericors in pauperes, poſt-
4. Reg. 4. quàm Eliſæum Prophetam, per Sunam tranſeuntem, ſæpiùs in ſuam domum receperat, eique officioſa charitate hoſpitium præparârat, ejus precibus miraculosè filium à Deo obtinuit, quem tenerrimè dilexit, utpotè unicum gaudium cordis, decus familiæ, fulcrum ſenectutis, delicium domûs. Poſtquàm puer adolevit, quodam die in agrum egreſſus eſt ad patrem ſuum, ad meſſores, jucundus & hilaris, ſanus & incolumis. Subitò tamen ſcena mutabatur, & puer magno ejulatu ad patrem ſuum clamare cœpit: *Caput meum doleo, caput meum doleo.* Pater, quia meſſis & multiplicatus labor non permittebat, ut ipſe infirmo filio aſſiſteret, mox unum ex famulis ſuis advocat, eique, ut filium ægrotum

domum

domum ad matrem ſuam reduceret, injungit, dicens: *Tolle, & duc eum ad matrem ſuam.* Vix domum famulus devenerat, mox aderat mæſtiſſima mater, & poſuit puerum *ſuper genua ſua usque ad meridiem*, verba ſunt Scripturæ, fovit eum, abblandita eſt, millenas excogitans vias, ut opem ferret languenti. Idem contingit Roſarianis, quos tenerrimè, & plusquàm unigenitos diligit glorioſa cœli Regina, atteſtante B. Alano. *Plùs amat Beata Virgo quemlibet pſallentem in Pſalterio, quàm poteſt facere totus mundus patrum, & matrum, amandò unicum filium ſummè dilectum.* *Alan. p. 4. c. 24.* Si ergo contingat aliquem infirmari, dolere caput, languere in pedibus, debilitari in corpore, doloribûs excruciari internîs, affigi lecto, conſilium tibi do: *Tolle, & duc eum ad matrem ſuam;* dum eum ad Mariam in Roſario, duc eum ad ſinum matris miſericordiæ, illa non minùs ac Sunamitis curam gerit filiorum ſuorum, eos fovet, eis ſuccurrit, eis ſuppetias fert, eos ad ſinum ſuum recipit usque ad meridiem, usquedum malum cum ſole declinare incipiat, usquedum horîs pomeridianîs vitales ſpiritus calefiant, & reſtituatur deperdita ſanitas.

N. 3. Hoc eruo ex illo, quod lego: *Eſt autem Jeroſolymis probaticæ piſcinæ, quæ cognominatur hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.* *Joan. 5.* *In hic jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exſpectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: Et movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Sub hac piſcina frequenter ſancti Patres intelligunt piiſſimam Dei Matrem, quia penès illam, quæ dicitur *Salus infirmorum*, promiſcuè jacet multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum exſpectantium, ut ad motum maternæ miſericordiæ, ceu ad motum aquæ gratiarum, obtineant ſanitatem. Nec fruſtra; quis enim enarrare ſufficiat gratias & beneficia, quæ hinc inde ad thavmaturgas imagines beatæ Virginis infirmis præſtantur. Loqui hac de re poſſunt lapides & parietes ad Cellas Marianas in Styria, Sacellum Einſidlenſe in Helvetia, urbs Paſſavienſis in Auſtria, domus Oetingana in Bavaria &c. Aſt meô judiciô præcipuè Maria in Roſario comparanda venit piſcinæ probaticæ in Jeroſolymis, quia hæc in qualibet parte Roſarij quinque decades, & quinque myſteria circumplectitur, ſicut illam in Jeruſalem

quinque porticus habuiſſe affirmat Evangeliſta: Hæc eſt domus florum, ſicut Bethſaida interpretatur *Domus frugum.* Circa hanc indies videre eſt copioſam multitudinem languentium, quia non duntaxat ſemel in anno, ſed fermè omnî momentô aquæ gratiarum in Maria Roſariana moventur, & milleni quotidie ſani fiunt, à quacunque detineantur infirmitate. De ejusmodi miraculis loquuntur omnia regna, in regnis omnes provinciæ, in provincijs civitates & oppida, in civitatibus & oppidis propemodùm omnes domus, in Eccleſiis Pontifices, in templis picturæ, in picturis figurata, in Bibliothecis libri, in libris vix non omnia folia. Unde de Maria Roſariana illud ipſum atteſtari licet, quod olim *Matth. 11.* dilectiſſimus illius Filius de ſeipſo atteſtabatur: Cùm enim Joannes in vinculis audîſſet opera Chriſti, & duos de diſcipulis miſiſſet ad ipſum quærendo: *Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* Reſpondit JEſus, dicens: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audîſtis, & vidîſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.*

N. 4. *S. Bonav.* Hunc in finem appoſitè exclamat S. Bonaventura: *O beata Virgo! tuo tactu leviſſimo ſanantur infirmi, tuo roſeo odore mortui reſurgunt;* quaſi alludens ad opiniones veterum, qui roſæ vim naturalem ad omnes morbos curandos ineſſe volebant. Ideò de *Plinius.* roſa ſic diſcurrit Plinius: Roſa per ſeſe artes medicas præbet, emplaſtris, atque collyrijs inſeritur, mordaci ſubtilitate ſuſurrum aurium, oris ulcera, dolores capitis, febres, aliáque ingentia mala pellit, quibus corpus humanum conflictari ſolet ab interno *Pierius l. 55.* calore. Altiùs alij extulerunt virtutes roſarum, ait Pierius, adeò quidem, ut exprimere volentes hominem, qui unicô remediô, ſeu per *Recipe* univerſale omnia mala propulſaret, pinxerint hominem roſam manu tenentem. Quod de roſa naturali veteres, hoc de roſa myſtica ſanctiſſimi Roſarij verbîs ſuîs confirmat *S.* Auguſtinus, in vita ſua demonſtravit *S.* Dominicus, ipſa ratio noſtra innato ſuo acumine deducit ex *S.* Scriptura. *S. Auguſt.* *S.* Auguſtinus ita loquitur: *Salutatio Angelica eſt apotheca chariſmatum malis medendis.* In vita S. Dominici tot novimus miracula facta per Roſarium, ut fermè illud, quod de S. Petro Apoſtolorum Principe annotat S. textus, de ſancto Dominico aſſerendum *Actor. 5.* ſit; *Magìs autem augebatur credentium in Domino multitudo viro-*

rum ac mulierum, ita, ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemlibet eorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum, afferentes ægros & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes. Tandem hoc ratio noſtra deducit ex Scriptura. Si enim S. Lucas de Chriſto dicat: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes;* nónne hæc eadem virtus modò continetur in miſterijs ſanctiſſimi Roſarij, in meditatione vitæ, Paſſionis & Reſurrectionis Salvatoris noſtri, quam continuò Fratres Roſarij intermiſcent orationibus ſuis. Unde non immeritò roſæ noſtræ ſpirituali attribuere poſſum illud, quod legimus in Ezechiele Propheta: *Et ſuper torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: Per ſingulos menſes afferet primitiva, quia aquæ ejus de Sanctuario egredientur: Et erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam.* *Luc.6.* *Ezech.c.47*

N. 5. Et quidem in medicinam non duntaxat, dum actu malis & morbis obruti jacemus; ſed etiam in pharmaca præſervativa, ut ab omni corporis infirmitate illæſi remaneamus. Unde ait B. Amadæus: *Beata Virgo Maria non ſolùm ſaluti animarum, ſed etiam ſanitati corporum piâ providentiâ providet.* Et benè; ſi enim de flore roſarum dicat Plinius: *Roſa cor confortat, ſpiritus vitales excitat, humores inordinatos compeſcit;* quidnî hoc de roſa Roſarij, & Maria in Roſario aſſeramus? Liquet hoc ex eo, quòd huic Archi-Fraternitati noſtræ annexa ſit ſpecialis aliqua benedictio, vi cujus ejusmodi flores benedicti ſingularem à Deo obtinent virtutem contra omnes morbos avertendos: Indicat hoc tenor, & formula benedictionis ſequens: *Deus Creator, & Conſervator generis humani, dator gratiæ ſpiritualis, & largitor æternæ ſalutis, benedictione tua, ſancta benedicas has roſas, quas pro gratijs tibi exſolvendis cum devotione, ac veneratione beatæ, ſempérque Virginis Mariæ Roſarij hodie tibi præſentamus, & petimus benedici, & infundi in eis per virtutem ſanctæ Cruſcis benedictionem cæleſtem: Ut, qui eas ad odoris ſuavitatem, & repellendas infirmitates humano uſui tribuiſti, talem à te ſignaculô ſanctæ Crucis benedictionem accipiant, ut, quibuscunque in infirmitatibus appoſitæ fuerint, ſeu qui eas in domibus ſuis portaverint,* *Amadæus.* *Plinius.*

ab infirmitate ſanentur : Diſcedant diaboli, contremiſcant & fugiant pavidi cum ſuis miniſtris de habitationibus illis, nec ampliùs tibi ſervientes inquietare præſumant. Per Dominum &c. De roſis hoc modo benedictis innumera poſſent afferri exempla, quomodò omni tempore præſens contra varia corporis gravamina extiterint remedium. Unicus ſufficit noſter Pater Raymundus Racco, qui Anno 1655. in ſpe ſanctitatis obiît, &, tanquam devotiſſimus Mariani Pſalterij cultor, per applicationem roſarum à ſe benedictarum ita contra varios morbos potens effectus eſt, ut vulgò Salus, & Auxilium ægrorum appellari poſſit. Si ergo flos roſarum ex virtute Roſarij noſtri, ejúsque annexa benedictione tantam vim contra mala corporis participat, quid de ipſo Roſario, quid de Roſa illa myſtica, quam Archangelus Gabriel in paradiſo decerpſit, quam ipſa ſanctiſſima Trinitas in cælo ſanctificat, & benedixit, dicendum erit, videlicet de *Ave* Angelico?

Raymund. Racc.

N. 6. Huic conformiter non incongruè roſetum ſanctiſſimi Roſarij comparari poteſt ligno vitæ, cujus meminit S. pagina: *Produxítque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave : Lignum etiam vitæ in medio paradiſi*, cujus virtute, ſi homo in ſtatu innocentiæ perſeveráſſet, ab omni malo & corruptione corporis fuiſſet præſervatus. Ita gloſſatur S. Auguſtinus. Arbor vitæ inſtar medicinæ corruptionem hominibus prohibebat. In hac arbore cibus aderat, ne eſuriret homo, potus, ne ſitiret homo, robor vitæ, ne ſeneſceret homo, medicina præſervans, ne ægrotaret homo, ſed potiùs, ut prolongaret vitam ſuam in tempus longinquum, quo finito vel homo translatus fuiſſet ad vitam ſpiritualem, vel iterùm indiguiſſet ſumere de ligno vitæ. Quam arboris vitæ virtutem ulteriùs explicat Doctor Angelicus hoc modo: Ea eſt conditio humana, ut humido in corpore præexiſtenti ab extrinſeco adjungatur, quod imminuit vigorem activum caloris naturalis, ſicque paulatim corruptionem, & morbos inducit: Sicut aqua adjuncta vino primò quidem convertitur in ſaporem vini, ſed ſecundùm quod magis vel minùs additur, diminuit vini fortitudinem, & tandem vinum fit aquoſum. Sic igitur videmus, quòd in principio virtus activa ſpeciei eſt adeò fortis, quòd poteſt convertere de alimento non ſolùm, quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam, quod ſufficit ad augmentum. Poſtmodùm verò, quod aggene-

Gen. 2.

S. Auguſt.

S. Thomas.

generatur, non ſufficit ad augmentum, ſed ſolùm ad reſtaurationem deperditi. Tandem verò in ſtatu ſenectutis nec ad hoc ſufficit. Unde ſequitur decrementum, & finalis diſſolutio corporis, juxta quod ſenectus ipſa dicitur morbus. Et contra hunc defectum in ſtatu innocentiæ homini ſuccurrebatur per lignum vitæ, quod habebat virtutem fortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem provenientem ex admiſtione contrarij. Ex quo conſtat, hominem in ſtatu juſtitiæ originalis illud habuiſſe beneficium, quod poſteà conceſſum fuit Iſraëlitis, qui quadraginta annis retardati fuerunt in deſerto, per avia & devia, in frigore & fame, inter æſtus & pluvias de loco in locum moventes; & tamen ait regius Pſaltes: *In tribubus eorum non erat infirmus.* *Pſalm. 104*

Arbori vitæ ſimile eſt roſetum ſanctiſſimi Roſarij, quia & *N 7.* illud medicinæ inſtar prohibet corruptionem hominis, & præſervat à malis corporis, vitam hominis prolongat, & removet contraria ab extrinſeco advenientia. Ita Carthagena: *Roſarium eſt* *Carthag.* *arbor vitæ corroborans debiles, & æternitatem vitæ conferens;* *Hom. 7. de* ſimile arbori illi, quam vidit Joannes in ſua Apocalypſi. *In me-* *Roſar.* *dio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, affe-* *Apoc. 22.* *rens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* De quo iterùm dicitur: *Lig-* *Prov. 3.* *num vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Quare, Sodales Roſariani, ad hanc arborem recurrite in neceſſitatibus veſtris, in timore ſuis graſſantis, pro conſervatione vitæ, & ſanitatis, non autem, ut ſæpè uſuvenit, ad magas, ad ſuperſtitiones, ad alia media illicita. Secùs enim illud ipſum vobis contingere poterit, quod contigit regi Ochoziæ. Cecidit *4. Reg. 1.* Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, & ægrotavit, ſtatímque miſit nuntios, qui conſulerent Beelzebub Deum Accaron, utrùm ab hac infirmitate liberari poſſet, an verò in ea mori neceſſe foret? Diſplicuit hoc factum in oculis Dei ter Optimi Maximi; unde mox mandatum fuit Eliæ Prophetæ: *Surge, & aſcende in occurſum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Nunquid non eſt Deus in Iſraël, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Ad roſetum, inquam, ſanctiſſimi Roſarij accurrite; hoc enim eſt lignum vitæ cuique obviam quaſi in medio plateæ, afferens fructus duodecim

contra

contra omnes morbos, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum, præcipuè in primis Dominicis cujusque menſis, ubi Sodales Roſarij conveniunt, &, quidquid petunt, à Maria impetrare poſſunt, & folia ligni ad ſanitatem gentium, ut propriâ experientiâ edocebimini.

N. 8. Demonſtratum eſt hoc piæ cuidam animæ in ſequenti viſione. Vidit hæc glorioſam Dei Matrem, & in ſinu ejus Jeſulum parvulum, de cujus ſanctiſſimo capite quatuor floſculi aſcendebant, qui ſucceſſivè accreſcentes non ſolùm caput B. Virginis Matris amœnè obumbrabant, ſed etiam in tantæ molis arborem coaleſcebant, ut totum terræ ambitum ramîs ſuîs cingere viderentur. Ex hac arbore fructus dulciſſimi pendebant, qui mira ſuavitate ſenſus externos demulcebant, & intùs majorî confortamentô cor & animam impinguabant, ad quos fructus carpendos copioſa hominum turba confluebat, eſto, fructus non ab omnibus decerpi poterant, ſed ab illis ſolis, qui erant præordinati ad vitam. Simile quid & nobis demonſtratur. Beata Dei Genitrix in Roſario tenet in ulnis ſuis JEſum parvulum, ex cujus venerandiſſimo capite, & manibus ſanctiſſimis flores roſarum varij coloris aſcendunt, roſa candida in gaudioſis myſterijs, roſa rubea in doloroſis, roſa flava in glorioſis, quæ omnes, in Pſalterio Mariano coadunatæ, in tantam jam arborem excreverunt, ut nulla ſit in orbe terrarum pars, ubi hæc ſuos non extenderit, & ampliaverit ramos. Fructus hujus arboris, ùt ſunt uberrimi, ita ſunt ſapidiſſimi & ſuaviſſimi, qui non duntaxat ſenſus delectant, viſum omnium hominum, etiam Regum & Principum, ad ſe rapiunt, ſed intùs inſuper ita corda confortant, ut nemo, qui eos carpit, habeat, quod timeat malum, quem timeat morbum, quos horreat dolores. Non ſemper tamen, & omnibus hos fructus contingere datur, ſed illis ſolummodò, qui ordinati ſunt ad vitam, id eſt, illis, quibus ſanitas corporis utilis eſt ad ſalutem æternam.

N. 9. Quod ideò dictum volo, ut pro coronide primò explicem duas neceſſarias conditiones, quibus ad exemplum Leproſi, & Centurionis nos oportet accedere ad glorioſam Roſarij Reginam, ab illáque poſtulare ſanitatem corporis. Et ſecundò, ut occurram tacitæ cuidam objectioni, qua aliquis dicere poſſet: Si tanta eſt virtus ſanctiſſimi Roſarij in repellendis infirmitatibus, dum

actu

actu ægrotamus, in præſervando, ne ægrotemus, ut hucusque aſſertum eſt; unde ergo hodiedum tot debiles, tot cæci, tot claudi, tot febricitantes, tot paralytici &c.? Aſt reſponſio ad hanc objectionem in promptu eſt, quia ſcilicet fructus ſpecificatos ſanctiſſimi Roſarij ſingulis ex arbore Roſariana deguſtare non datur? & hoc ex duplici capite.

Primò: Quia omnibus conſtans corporis ſanitas ad ſalutem animæ non prodeſt, ſed potiùs ijs convenit contriſtari nunc modicùm, ut in æternum vivant, cruciari nunc varijs doloribus & infirmitatibus, ut patientia opus perfectum habeat, tranſire hîc per ignem & aquam, ut veniant ad refigerium, hîc uri, hîc ſecari, ut in æternum illis parcatur. Unde dicitur: *Virtus in infirmitate perficitur.* Hunc in finem, ubi in hodierno Evangelio leproſus acceſſit ad divinum Medicum, &, ſupplicem libellum porrigendo, inſtitit pro aufferenda lepra, non abſolutè & pertinaciter petiìt: *Domine, volo mundari;* ſed ſub conditione, & plena reſignatione in voluntatem divinam, dicens: *Domine, ſi vis*, id eſt, ſi ita divina voluntas in bonum meum ordinaverit, *potes me mundare:* Noverat enim leproſus, hominem tantùm præſentia reſpicere, Deum autem futura & æterna cognoſcere; ideò ſuæ voluntatis appetitum plenè ſubjecit ponderi & menſuræ divinæ providentiæ, quæ ſubinde, non exaudiendo votum petentis terrena, magìs exaudit ad ſalutem animæ. Unde nervoſè ait S. Bernardus: *Miſericordiæ res eſt, hac in parte Deum ſubtrahere miſericordiam.* Patet hoc in medico, qui, etſi ægrotus ſitiens, & febribûs exæſtuans aquam frigidam poſtulet, clamando: Vim patior, crucior, uror, examinor, & tamen nemo eſt, qui mihi porrigat aquam; nihilominùs medicus diſſimulat, voluntatem ægroti non exaudit, aquam dare recuſat, quaſi dicendo: Scio, quo tempore debeam dare, quod poſtulas, non miſereor modò, quia miſericordia hæc crudelitas eſſet, & voluntas tua contra te petit. N. 10. *2. Cor. 12.* *S. Bernard.*

Secunda cauſa, cur fructum ſanitatis corporeæ non ſemper decerpamus ex arbore Roſariana, eſt defectus debitæ confidentiæ, & fiduciæ. Sicut enim in hodierno Evangelio cum ſumma Centurio fiducia accedens ad JEſum, & rogans: *Dic tantùm verbô, & ſanabitur puer meus;* ſtatim exauditus fuit: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi:* Ita à contrario nos ſæpè non exaudimur, quia N. 11.

congruâ fiduciâ deſtituti ſumus. Ad quam habendam nos validè
Jacob. 1. exſtimulat S. Jacobus in ſua Epiſtola, hîs verbîs: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur.* Juxta quod non ſolùm orat
Pſalm. 32. David: *Fiat miſericordia tua ſuper nos, quemadmodùm ſperavimus in te;* ſed etiam commune Theologorum dogma eſt, *Menſuram credendi eſſe menſuram impetrandi.* Hanc ob rem fiducia in Deum & beatam Virginem idem operatur, quod efficit confidentia ad medicum corporalem, ùt in eleganti hiſtoria oſtendit Seneca,
Senec. 4. Declam. c. 5. hoc modo: Contigit patrem quemdam graviter ægrotari, & penitùs jam de ſalute illius à medicis deſperari. Audiît hoc filius eo tempore medicinæ ſtudioſus, cucurrit ad patrem, &, utùt initians in arte medica, attamen optato ſucceſſu curavit illum. Poſt dies aliquot noverca eodem, quo anteà pater, morbo corripiebatur, & ſimiliter filius, qui ejusmodi morbum antecedenter in patre curavit, advocatur in ſuppetias. Aſt noluit filius ullam medicinam novercæ applicare, proptereà à patre citatus ad judicem, à quo, cauſam ſuæ pertinaciæ rogatus, reſpondit: Eſto, in patre medicamina mea felicem ſortita ſint effectum; valdè tamen dubito, an ſimilem conſecutura ſint in noverca. Ratio eſt, quia longè alterius ſpei eſt pater in ordine ad filium, quàm noverca: Nihil autem magìs prodeſt ægrotis, quàm ab eo curari, à quo volunt. Quare ſermonem meum concludo cum
Jacob. c. 5. S. Jacobo in præcitata Epiſtola: *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret: Æquo animo eſt? Pſallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ* (ego dico, Sodales ſanctiſſimi Roſarij) *& orent ſuper eum - & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus,* & Domina ſanctiſſimi Roſarij Patrona opitulabitur ei.

Hiſtoria.

MAgnum ægrotum, imò ipſum aliquod Xenodochium in urbe Placentia olim repræſentabat Maria Alphonſi Sanchez uxor. Hæc in partu loquelâ privabatur, & ſimul toto corpore miſerabili paralyſi obriguerat, adeò quidem, ut ab illo tempore trunco ſimilior eſſet, quàm homini, quia nec pedem, nec manum movere, neque ullô digiti officiô uti valuerat. His tamen non

obſtantibus, ſicut Maria erat in cultu Dei, & beatæ Virginis, præſertim Roſariano ardentiſſima, aliqua die ad Eccleſiam deportari voluit, ut ibi ſuis pijs affectibus ſatisfaceret, & cor ſuum pleniùs coram Deo & B. Virgine Roſariana effunderet. Aſt accidit ei, quod plerumque ijs, qui Deo ſervire intendunt, accidere ſolet, ut ſcilicet tribulationem ſuper tribulationem invenerit. Dum enim per gradus ad templum deducebatur, caſu graviore in terram decidit, & ita miſerabiliter in vultu ſeſe læſit, ut verè de ea dici poſſet: A planta pedis usque ad verticem non eſt in ea ſanitas. Loquelam jam priùs amiſerat, toto corpore jam dudùm erat paralytica, unicus vultus, & in vultu viſus & auditus erant integri, ſed per prædictum lapſum & iſti duo ſenſus læſi erant & deperditi. Hîs tamen Maria non morata, nec dejecta, nutu, & geſtu ad Eccleſiam deportari inſtantiſſimè petiît, ubi ad imaginem beatæ Virginis depoſita Mariam Roſarianam, quia voce non potuit, corde, affectu, & gemitu devotiſſimè ſalutavit, quaſi dicens cum Auguſtino: *Niſi tu fueris requies mea, ſanari non poterit ægritudo mea.* Quod ſperavit, etiam obtinuit; gementi enim in viſu aderat pijſſima cœlorum Regina, ſic eam allocuta: *Conſolare, conſolare ſoror mea, ego tibi opem feram, perge, ùt cœpiſti, in oratione Roſarij, & ſimul cura, ut per novem dies in hac Eccleſia orationes aliquæ in honorem meum habeantur, & promitto tum tibi, tum omnibus piè me invocantibus gratiam & miſericordiam.* Lubens infirma ſpopondit in verba glorioſæ Roſarij Reginæ. Et ecce! mox vinculum linguæ ſolutum eſt, cœpit ægra alta voce clamare, Auxiliatricem ſuam laudare, paralypſis evanuit ſubitò, & toto corpore agilis domum rediît, nec ullum veſtigium vulneris, ſeu læſionis in vultu deinceps cernere erat, inſuper ex poſt facto deſiderata continuò gaudens ſanitate. *S. Auguſt.*

P. Alphonſus Fernandez l. 5. cap. 8.

SERMO NONUS.

Dominica quarta poſt Epiphaniam.

THEMA.

Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Matth. 8.

Motus Roſariô Chriſtus imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna.

N. 1. AXioma eſt: Qui neſcit orare, vadat ad mare: *Qui enim navigant mare, enarrent pericula ejus, & audientes auribus noſtris admirabimur.* Infidum maris genium experti ſunt in hodierno Evangelij contextu Apoſtoli. Conſcenderunt unà cum Magiſtro ſuo in naviculam; & ecce! motus magnus factus eſt in mari, ita, ut navicula operiretur fluctibus. Diſcipuli terrore, & timore impalleſcentes confugiunt ad Magiſtrum; at ipſe dormiebat. *Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Salva nos, perimus. Et dicit eis JEſus. Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Hoc præmiſſo non abs re quæri poſſet; quare Magiſter amantiſſimus, & pro ſalute diſcipulorum adeò ſollicitus pro tunc dormiendô permiſerit conturbari mare, furere fluctus, terreri Apoſtolos, concuti navim, periclitari navigantes? Et duas invenio cauſas. Primam aſſignat S. Chry-

Eccli. 43.

Chryſoſtomus ſic: *Tempeſtatem permittit fieri, ut diſcipuli ab ea liberati manifeſtiorem divinorum beneficiorum ſenſum habeant.* *S. Chryſoſt hom. 29. in* Secundam allegat ex præſentia ſcelerati Judæ Iſcariotis S. Ambroſius hîs verbîs: *Hæc eſt cauſa periculi. Erat ibi Simon Petrus: Sed & erat pariter proditor Judas, unius delictô cunctorum merita quatiuntur.* *Matth.* *S. Ambroſ.* Quod Apoſtolis in mari, hoc ſæpè nobis contingit in hac lachrymarum valle, & ſpatioſo mari mundi. Aquarum gurgites & turbines ventorum videntur exurgere adverſum nos: Aquæ inundant, egrediuntur fines ſuos, depopulantur urbes, agros, domos, vineas &c. Imbres ingruunt, ſubruunt fundos, deportant montes &c. Venti ſurgunt, mugiunt, ſternunt arbores, denutant tecta, concutiunt fundamenta terræ, excitant terribiles tempeſtates, ignem, grandinem, fulgura &c. Et hoc ob duplicem cauſam: Imprimìs vel ob occulta quorumdam in communitate peccata, vel ob publica totius populi delicta, quæ frequenter impunè graſſantur in regnis, urbibus & oppidis, ut ſic & nocentes, & innocentes ſimul iram Dei ſuper ſe ſentiant. Secundò hoc contingit, ut manifeſtior divinæ Bonitatis cognitio in nobis generetur, quæ in omni neceſſitate, dum invocatur, non deſinit auxilium ſuum oſtendere ſuper nos. Terreamur proinde, tremamus, palleſcamus, angor extremus exſiccet quaſi medullas cordis noſtri, excurrant aquæ, deſæviant imbres, inundent torrentes, ſurgant venti, congladientur turbines, commoveantur tempeſtates, ignes, gradines, fulgura &c. Ego cum Chriſto dico: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Accedite ad Jeſum, ſuſcitate eum precibûs SS. Roſarij, & conſurgens imperabit ventis, & mari, & fiet tranquillitas magna.

Quod accidit Apoſtolis in fluctibus aquarum, hoc idem paſſim nobis accidit in neceſſitatibus & tribulationibus humanis; ſicut enim Salvator dormiebat in mari, ut excitaret Apoſtolos, faceretque vigilare, loquitur Origenes, ut nimirum major eſſet ratio invocandi opem ejus, ita nobis ſubinde videtur dormire in anguſtijs, ut excitemur, & vigilemus in bonis operibus, ut majori devotione ad eum confugiamus, & ferventiori cordis gemitu auxilium ipſius imploremus. Unde idem pientiſſimus Salvator, ubi itidem Apoſtoli erant in mari, *Et vidit eos laborantes in remigando: Erat enim ventus contrarius eis*, non citò illis ſuccurrebat, ſed in fine, & vigiliâ quartâ noctis, ùt refert Evangeliſta, id N. 2. *Origines hom. 6. in. Matth.* *Marc. 6.*

Theophyl. id eſt, poſt novem horas; & hoc ideò, ait Theophylactus: Non ſtatim eis aſtitit, ſed per totam noctem periclitari permiſit, ut doceret eos patienter exſpectare, & non à principio ſperare in tribulationibus ſubſidium. Quis enim dubitat, quòd mala, quæ *Didacus Stell. in Ev. Luc.* premunt, patientiam operentur, & ad Deum nos ire compellant, *Ubi non ſolùm*, addit Didacus ſtella, *divina Clementia ex bonis noſtris bona, ſed etiam ex malis optima elicet.*

N. 3. Hanc ob cauſam malorum & tribulationum, quibus in hac vita inceſſanter affligimur, vix eſt numerus, inter quæ non ultimô locô cenſentur pericula maris, pericula fluminum, pericula torrentium, pericula imbrium & inundantium aquarum, quorum omnium nulli magìs, quàm nos teſtes ſumus, quos mundi finis invenit. Quot urbes, mari finitimæ, à fluctibus erumpentibus jam dirutæ, imò abſorptæ jacent, quarum non ſupereſt niſi triſtis memoria? De multiplici damno inundantis Tybris Roma, inundantis Danubij Auſtria, inundantis Dawi Carinthia & Styria, inundantis Atheſis Italia, inundantis Oeni Tyrolis & Bavaria, inundantis Savi Croatia & Hungaria &c. mæſtiſſima exhibent teſtimonia. Torrentium voracitatem & rapacitatem dolenter varijs in locis ſentiunt ruſticorum caſæ, & tuguriola, quæ ejusmodi torrentibus aut in prædam jam ceſſerunt, & indies cedere coguntur. Quid dicam de violentia imbrium, & pluviarum, quæ tanto nonnunquam impetu ruunt, & deſæviunt, ut meritò *Eccl.* 43. dicat Eccleſiaſticus: *Super imbrem ejus expaveſcet cor.* Et hoc juxta comminationem, quam Deus jam dudùm annuntiavit pec- *Ezech.* 13. catoribus per Prophetam Ezechielem. *Erit imber inundans, & dabo lapides prægrandes de ſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem: Erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in conſumptionem.* Et in his omnibus perſæpè pientiſſimus *S. Petr. Chryſol. Serm.* 21. Salvator dormire ſe ſimulat, ut ſuſcitetur à nobis precibûs, gemitibûs, canticîs. Unde monitum eſt S. Chryſologi: *Suſcitemus Deum noſtrum non inſolenti ſtrepitu, ſed clamore ſpiritualium canticorum;* id eſt, non in ordinato ejulatu, queruloſa deſperatione, perturbato murmure, & impatientia, ſed ad normam diſcipulorum in lenitate ſpiritûs, in humilitate mentis, in perſeverantia ſpiritualium canticorum.

N. 4. Sed quod hoc canticorum genus, niſi Roſarium noſtrum?

Ave

Ave angelicum quippe à S. Ambroſio & Venerabili Beda vocatur *Symphonia cæleſtis.* Pſaltæ Mariani, ſeu Sodales SS. Roſarij à Beato Alano appellantur *Muſici Angelici.* Et hìs canticìs, ab his cantoribus leniſſimè & ſuaviſſimè ſuſcitatur Magiſter divinus, dicens: *Quid timidi eſtis modicæ fidei? Et conſurgens imperat mari & ventis, & fit tranquillitas magna.* Hæc cantica, hi cantores ponunt mari terminum, ne egrediatur fines ſuos, coërcent in alveis ſuis flumina, ne per damnoſas effuſiones noceant agris, & vineis noſtris, ſiſtunt curſum torrentium, ne rapiant fundos & domos noſtras, compeſcunt imbrium & pluviarum impetus, ne operiant capita & campos noſtros. *S. Ambroſ. Ven. Beda. B. Alan. in Apol. c. 2.*

N. 5. Hoc imprimìs ex ipſis Poëtarum figmentis elucidari poteſt, quæ Orpheo, & lyræ ejus tantam attribuère virtutem, ut ad ſonitum ejus lapides & ligna attonita aſtitiſſe dicantur, plantas & arbores eradicatas ad ipſum audiendum acceſſiſſe, flumina curſum ſuum retardâſſe, mare motus compoſuiſſe, torrentes immobiles quieviſſe, & ſimilia deliria cæcæ gentillitatis atteſtentur; quæ quidem omnia fabuloſa ſunt, & textura otioſi cerebri, attamen vera de Pſalterio Mariano, & Pſaltis ejus: Etenim ad ſonitum Pſalterij Mariani ſuſcitatur Chriſtus, *qui imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna;* ad cujus nutum *in ſicco abierunt flumina;* cujus voce *torrentes ejus convertentur in picem;* qui de ſeipſo jam olim teſtatus eſt: *Ego quoque prohibui à vobis imbrem.* Expertus eſt hoc ſecundus per reſtaurationem SS. Roſarij Fundator B. Alanus de Rupe, qui ipſe in aqua naufragium paſſus, & in fluctibus jamjam ad profundum demergendus, ope Mariani Pſalterij ſalvus, & incolumis evaſit. Dum enim jamjam à vorticibus eſſet abripiendus, & Mariam in Roſario, tanquam fortunatam maris Stellam, piè invocâſſet, in medio aquarum ipſi apparuerunt centum quinquaginta colles, tot videlicet, quod Salutationes Angelicas Marianum Pſalterium complectitur, & per dictos colles Alanus illæſus abijt ad littus. Expertus eſt hoc ille Indus, cui ſanctus Franciſcus Xaverius Roſarium donavit, hoc addito: *Si hanc coronam apud te habueris, ab omni periculo maris tutus eris.* Nam dum poſt aliquod dies vel caſu, vel per naufragium in aquam lapſus fuiſſet, apparuit ei S. Franciſcus, cujus ductu feliciſſimè ad portum enavigavit. Experti ſunt hoc milleni alij, quibus, dum ſeſe Beatæ Virgini in Roſario commendârunt, *Math. 8. Pſalm. 104. Iſa. 34. Amos. 4.*

dârunt, nec exundantium fluminum furor, nec debacchantium torrentium rabies, nec deſævientium imbrium, & pluviarum minæ nocere potuerunt.

N. 6. In robur hujus veritatis non deeſt figura S. Scripturæ, in qua fusè deſcribitur univerſalis diluvij inundatio: *Et facta eſt pluvia 40. diebus, & 40. noctibus - - & multiplicatæ ſunt aquæ, vehementer inundaverunt, & omnia repleverunt in ſuperficie terræ: - - & aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: Opertíque ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cælo. Quindecim cubitis fuit altior aqua ſuper montes, quos operuerat, conſumptáque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium, quæ reptant ſuper terram, univerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.* Sola arca, à Noë fabricata, ſinè læſione ferebatur, & ſolus Noë ſalvus remanſit, & qui cum eo erant in arca. Duravit autem hæc flebilis inundatio centum quinquaginta diebus, ait S. Codex, poſt quod tempus placata eſt ira Dei, diminutæ ſunt aquæ, & egreſſus eſt Noë ex arca & filij ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo, ubi Deus pepigit fœdus cum Noë, in ſignum tam horribilis inundationis, non ampliùs futuræ, ſtatuens arcum, ſeu irridem in nubibus. Hæc penitiùs conſiderando, acutè inprimìs advertit Lovet, aquas diluvij non abs re per centum quinquaginta dies fuiſſe diminutas, irámque Dei intra illud tempus fuiſſe non ſinè myſterio placatam. Secundò benè notandum, quòd aquæ, utcunque inundantes, & omnia devorantes arcæ, à Noë fabricatæ, nec minimum nocumentum intulerint. Tertiò obſervandum venit, quòd inſignum diluvij non ampliùs futuri ſtatutus fuerit arcus, ſeu iris in nubibus cæli. Quid autem hæc omnia denotant, niſi Pſalterium Marianum? Centum & quinquaginta Salutationes Angelicæ, quas Pſalterium Marianum comprehendit, ſunt quaſi centum quinquaginta dies, quæ placant iram Dei, & ceſſare faciunt inundationes aquarum. *Arca Noë eſt Archi-Fraternitas SS. Roſarij*, ait Carthagena, *quia ſicut illa tres contignationes habuit, & feneſtram unam versùs cælum, ita Roſarium habet tres partes, & meditationem cæleſtium myſteriorum;* & in hac arca Sodales Mariani ab omni impetu inundantium aquarum, & periculis pluviarum illæſi conquieſcunt. Iris denique in ſignum fœderis erecta iterùm nihil aliud eſt,

Gen. 7. 8. & 9.

Lovet in Synop. prærog. Roſar.

Carthag.

eſt, quàm Roſarium, ſeu Salutatio Angelica, ùt confirmat S. Auguſtinus hîs verbîs: *Angelica Salutatio Ave eſt iris clementiæ Dei dantis veniam peccatis.* *S. Auguſt.*

Ejulent ergo alij, vociferentur, ingemiſcant cum Apoſtolis in hodierno Evangelio: *Domine, ſalva nos, perimus;* Sodales Roſariani tamdiu in ſalvo ſunt poſiti, & in tuto, quamdiu in arca Mariani Pſalterij ſe detinent; ira Dei toties ſuper eos fit placabilis, quoties integrum Pſalterium cum centum quinquaginta Salutationibus Angelicis devotè orant: Habent ſignum fœderis ante oculos ſuos, nimirum *Ave* angelicum, quod videns Deus recordatur clementiæ ſuæ, & veniam largitur peccatis noſtris. Timeant alij pericula maris, pericula fluminum, pericula torrentium, pericula imbrium & pluviarum, Sodales Roſariani non habent, quod timeant; illi enim precibûs & Pſalteriîs ſuîs ſuſcitant benigniſſimum Salvatorem, dicentem: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Et conſurgens imperat mari, & aquis, & fit tranquillitas magna. Loquantur alij de naufragijs, de immerſionibus aquarum, de mortibus, & ſuffocationibus in vadis fluviorum, Sodalibus Roſarianis jam promiſſio facta eſt: *Noli timere, meus es tu, cùm pertranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* N. 7. *Iſa. 43. c.*

Intereà, dum ope Roſarij evaſimus inundationes aquarum, nondum ſuperavimus pericula ventorum & turbinum, qui & ſecundùm ſe valdè infeſti ſolent eſſe hominibus, & plerumque, tanquam terrifici tempeſtatum prodromi, grandine & fulgure abominabiliores fiunt, niſi reprimantur à virtute divina. Hoc explicatur ex Apocalypſi, ubi hæc teſtatur diſcipulus, quem diligebat JEſus: *Poſt hæc vidi quatuor angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos* (Id eſt, addunt interpretes, quatuor ventos quatuor orbis partium, Eurum, Zephyrum, Auſtrum, & Aquilonem) *ne ſtarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.* Nec hoc ſufficere videbatur, ſed inſuper alius angelus apparuit præfatis quatuor ángelis acclamans, ut validè ulteriùs aſtrictos, ne ſignatis Dei famulis nocere poſſent, reprimerent ventos. Pergit enim Joannes: *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus,* N. 8. *Apoc. 7.*

ribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.
Tirin. Et ſtatim ſignati ſunt ſervi Dei ex omni tribu filiorum Dei, prout fuſè enarrat Scriptura loco citato, & quidem, ùt aſſerit Tirinus,
Exod. 12. vel ſanguine agni, quo olim ex mandato Dei Iſraëlitæ ſignârunt poſtes, & ſuperliminaria domorum ſuarum, ut à cædente angelo,
Ezechiel. 9. qui una nocte occidit omne primogenitum in Ægypto, ſervarentur illæſi, vel ſignô *Thav*, quo juſſit Deus ſignari frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiebant in Jeruſalem, dum alia vice ex imperio Altiſſimi omnes impij interfici debebant, hìs verbìs: *Senem, adoleſcentulum, & virginem, & parvulum, & mulierem interficite usque ad internecionem: Omnem autem, ſuper quem Thav videritis, ne occidatis.* Facta autem ſignatione mox furere cœperunt venti, ait Tirinus, eísque (etſi hoc ſacer Textus explicitè non ponat) ab angelis omnis libertas data eſt, & tantus impetus fuit impreſſus in agros, vineas, hortos, pomaria, domos, & horrea illorum, qui ſignati non fuerant, ut funditùs omnia ſint everſa, & non remanſerit, niſi miſeranda altiſſimæ ruinæ imago. Ex quo in ſenſu litterali ſat colligi poteſt ventorum, & turbinum inimica violentiâ, nî cohibeantur.

N. 9. Aſt Sodales Roſariani! quid timidi eſtis modicæ fidei? Ecce divinus Magiſter veſtrìs precibûs excitatus imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna. Vos de numero ſignatorum eſtis, quibus ventorum, & turbinum fortiſſimus impetus nocere non poteſt: Vos ſignamini ſigno, & ſanguine agni immaculati toties, quoties ejusdem pretioſiſſimi ſanguinis effuſionem in myſterijs Chriſti, Vitæ, Paſſionis, & Mortis pia mente recolitis: Veſtræ frontes ſignantur ſignô *Thav* toties, quoties ante orationem Roſarij crucem fronti imprimitis: Vos eo ipſo momento ſignatis annumerati fuiſtis, quo nomen veſtrum ſcriptum eſt in Archi-Fraternitate SS. Roſarij. Sodales enim Mariani Pſalterij,
B. Alan. in ait B. Alanus, *inſcribuntur in ſignum punitionis divinæ avertendæ,*
Apol. c. 17. *ſicut, qui ſignô Thav ſignabantur, ab occiſione ſervabantur.*

N. 10. Sed quid? Etiamſi ſint plurima, quæ homo à vi ventorum & turbinum patitur incommoda, minora tamen ſunt mala, quæ hominem ab ijs, quæ validis ventis communiter adjuncta ſunt, ſufferre neceſſe eſt, ſcilicet à grandine & tonitru. De grandine conſtat illud, quod legimus in Exodo, ubi inter alias plagas,

qui-

quibus per Moyſen pertinacia regis Pharaonis fracta eſt, ſic lo-
quitur Scriptura: *Et dixit Dominus ad Moyſen: Extende manum* *Exod. 9.*
*tuam in cœlum, ut fiat grando in univerſa terra Ægypti ſuper ho-
mines, & ſuper jumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra
Ægypti. Extendítque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus de-
dit tonitrua & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram:
Pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando,
& ignis miſta pariter ferebantur, tantæque fuit magnitudinis,
quanta ante nunquam apparuit in terra Ægypti, ex quo gens illa
condita eſt. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ
fuerant in agris, ab homine usque ad jumentum: Cunctámque her-
bam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.
Tanta in terra Geſſen, ubi erant filii Iſraël, grando non cecidit.*
Similia de damnis tonitruum adducit ſacra pagina in Apocalypſi, *Apoc. 16.*
hîs verbîs: *Facta ſunt fulgura & voces, & tonitrua, & terræ
motus magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper
terram.* Poſt hæc, ùt dicitur cap. 18. *Cecidit Babylon illa magna,* *Ibid. c. 18.*
*& facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus im-
mundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis.* Tandem
cap. 19. audivit Joannes quaſi vocem turbarum in cœlo, dicen- *Item c. 19.*
tium: *Alleluja: Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.* Qui *Gen. 18.*
indubiè illi erant, qui ex Babylone exire juſſi ſunt à Deo, ne par-
ticipes eſſent delictorum ejus, & ne de plagis ejus acciperent;
ſicque liberatori ſuo gratias condebitas rependere conabantur.

Quid igitur timidi eſtis modicæ fidei, Sodales Roſariani? In N. 11.
terra Gèſſen grando non cecidit: Egreſſos de Babylone tonitrua
non feriebant. Vos eſtis cum filijs Iſraël in terra Geſſen, in quam
vos non Joſeph frater veſter, ſed amantiſſima ſoror, amica, &
mater veſtra (ùt ſeipſam B. Virgo communiter nominat apud B.
Alanum) introduxit. Si enim terra Geſſen fuit maximè frugifera,
quam rex Pharao per pro-regem ſuum Joſeph conſignavit patri
& fratribus ejus, dicens: *Terra Ægypti in conſpectu tuo eſt: In* *Gen. 47.*
optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen. Simili-
ter terra, in qua habitant Sodales Roſariani, terra optima eſt,
terra maximè frugifera eſt, in qua nulla ſterilitas, niſi culpâ no-
ſtrâ, timenda eſt. Si enim ipſa glorioſa Roſarij Regina promiſit
B. Alano: *Volo, ut Pſaltæ mei ſecuri regnent à mala fortuna, &* *B. Alanus.*
infructuoſitate. Abſcede ſterilitas, accede frugalitas & abundan-

tia: *Volo enim, ut Pſaltæ mei his gaudeant, caveant contrariis.*
Apoc. 18. Vos cum illis juſtis ex Babylone, & interitu ejus miſericorditer evocati eſtis; & quidem eodem momento, quo ad Sodales Roſarianos intrâſtis, ſeu nomen veſtrum Archi-Fraternitatis catalogo dediſtis; per hoc enim, teſte præcitato B. Alano, *ſignum accepiſtis avertendæ à vobis divinæ punitionis*, quæ ſuper urbem Babylon, & impios habitatores per varia flagella decerni ſolet. Unde à vobis, in unum ad dicendum Roſarium congregatis, audimus, quod Joannes audivit, ſcilicet quaſi vocem multarum turbarum, dicentium: *Alleluja: Salus & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.*

N. 12. Scrutentur proinde alij, quibûs mediîs, & auxiliîs à grandine & lapidibus ſe & ſua tutentur; inquirant loca, & aſyla, ubi à fulgure & tonitru ſecuri quieſcant, prout, ſecundùm diverſitatem locorum, diverſa contra tempeſtates media adhiberi novimus. In quibusdam terræ partibus omnes campanæ conſonant, partim, ut ad earum ſonitum moveatur aër, & ad motum aëris diſſipentur, & abigantur nubes, partim, ut virtute ſupernaturali campanis per benedictionem infularem communicata coërceatur malignitas dæmonum & ſtrygum auram perturbantium. In alijs locis, dum incipit cælum nigreſcere, addenſari nubes, aëreæ poteſtates minas tempeſtatis intentare, exploduntur tormenta bellica, ut vi pulveris nitrati disjiciatur, diſpellatur, annihiletur atra denſitas nubium, & ſerenetur aër. Gentilibus, ùt atteſtatur Seneca, ingruente tempeſtate in more poſitum erat, mactare agnum, offerre Dijs, &, ſparſo ejusmodi in altum ſanguine, Seneca. implorare cæli favores, quem ritum ipſe Seneca ridet. Ad declinanda tonitrua, ùt itidem ex veterum hiſtorijs liquet, alij ſub corylo, alij ſub lauro, alij ſub cryptis terræ, & infimis cellarijs aſylum quæſiverunt.

N. 13. Sed his omiſsîs, Sodales Roſariani! confugiamus nos unicè ſub præſidium glorioſæ SS. Roſarij Reginæ, ipſa laurus privilegiata eſt, ſub cujus protectione non timendum eſt tonitru. Expertus hoc eſt Hermolaus, qui, dum quadam die exiîſſet in agrum, ſubitò conglomerantur nubes, exſurgunt venti, coruſcant fulgura, ſimúlque de cælo vox audita eſt: *Percute Hermolaum peccatorem.* Aſt vix Hermolaus Mariam invocat per devotam illam Antiphonam: *Sub tuum præſidium confugimus;* à periculo mortis, & tempeſtatis liberatus fuit. Sanguinem agni in aëra projiciamus

ciamus ad placandum cælum, ſed illius agni, qui tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum, quem ſanguinem nobis ſuppeditant uberrimè ſacratiſſimi Roſarij myſteria. Globi in altum explodendi ſunt globuli Salutationum Angelicarum, quas, & quidem numerô centum quinquaginta, manibus numeramus, dum Marianum Pſalterium dicimus. Campanæ denique conſonantes ſunt ipſi Fratres & Sorores Archi-Fraternitatis noſtræ, dum ſimul alacri voce, ferventi devotione, alternatô ſonô, Roſarium orandô intonant gloriam Dei, & Beatæ Virginis Mariæ, aërem & cælum orationibus ſuìs penetrant, Chriſtum dormientem excitant, qui imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna. Hoc indicatur in Apocalypſi, ubi legimus: *Facta ſunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.* Et ecce immediatè ſubditur: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole*, nempe Beatiſſima Deipara, ait S. Auguſtinus.

Apoc. 11.
S. Auguſt. in Pſ. 142.

Hiſtoria.

MUltas eſſe tribulationes juſtorum, per quas oportet intrare in gloriam, propriô didicit experimentô ſanctus Patriarcha noſter Dominicus. Hic, antequàm fundamenta Ordinis Prædicatorum jacere cœperat, propè S. Jacobum in Hiſpanijs cum ſocio ſuo Bernardo à pyratis captus, cum S. Ignatio Martyre dicere potuit: Ad beſtias in mari & in terra nocte, diéque ligatus cum decem leopardis pugno; hoc eſt, cum pyratis, qui me cuſtodiunt, quibus cùm beneſeceris, pejores fiunt. Tres jam menſes effluxerant, quibûs ſanctus Pater ad remos alligatus omnes pænè ſpiritus, & vires remigandô perdidit. Tandem miſericordiæ Mater, viſceribûs charitatis ſuper filium ſuum dilectum commota, impijs autem pyratarum torturis indignata, cælum vertit in nubilum. Coruſcare fulgura, ruere tonitrua, mugire ventos, tumeſcere mare, commoveri fluctus, dilatari abyſſos, triſtem undique mortis imaginem cernere erat. Sed in his Beatus Dominicus nihil motus omnes ad pœnitentiam, & invocationem Deiparæ adhortari perrexit, ab impijs tamen non niſi ſubſannatus, imò inter horrendas Dei, Deiparæque blaſphemias

mias fuſtibus, & verberibûs atrociter exceptus. Nihilominùs S. Pater tamdiu in oratione perſeveravit, donec glorioſa cæli Regina viſibiliter ei apparuit, promittens, ſe omnia indulturam fore inimicis ſuis, dummodò omni die vellent dicere Pſalterium, & Confraternitatem novam, quæ JEſu Chriſti & Virginis Mariæ nuncupetur, inchoarent. Pyratîs tandem ægrè perſuasîs, & potiùs terrore inſtantis mortis adductîs, ut hoc ſponderent, S. P. Dominicus manum in altum extendit, imperavit ventis & mari, protinùs facta eſt tranquillitas magna; paulò poſt, cùm gubernacula, & prora navis ex validiſſima ad ſaxum colliſione penitùs eſſent rupta, ipſa Beata Virgo, ab omnibus palàm conſpecta, navim ex aqua elevavit, fractam compaginavit, proram & gubernacula priſtino uſui reſtituit, ſicque ſecundò navigantes à morte, & naufragiô liberavit. Sed hîs nondum limitibûs miſericordiam ſuam circumſcribi voluit benigniſſima cœli Domina, ulteriora adiecit; merces, & pretioſa quæque, quæ ad exortam tempeſtatem, ut ſublevaretur navis, fuerunt in mare projecta, adhuc aſſervata ſunt intacta, & in mari Britannico ad votum fuerunt reperta. Auditi ſunt quoque dæmones in aëre clamantes & ejulantes: *Væ, væ nobis! quia hic Dominicus vires noſtras enervat.* B. Virgo olim ad Alanum de Rupe de dignit. Pſalterij cap. 16.

SER-

SERMO DECIMUS.

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

THEMA.

Dum dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania. *Matth. 13.*

In agro Roſarij ſatagit diabolus inprimìs ſuperſeminare zizania tepiditatis, & deinde lolia omnium vitiorum.

UBi in hodierno Evangelio legimus: *Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo;* per hunc hominem S. Bonaventura intelligit ipſum Deum, ille enim bonum ſemen ſeminavit, quando fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, implantando ei innocentiam, juſtitiam originalem, gratias, virtutes, & dona ſupernaturalia. Lyranus in hoc homine præfiguratum explicat unigenitum Dei Filium incarnatum, dicens: *Homo iſte eſt Chriſtus, ager Eccleſia, labore & ſanguine Chriſti exculta, bonum ſemen eſt ſancta doctrina.* S. Bernardus ad ipſam ſanctiſſimam Trinitatem aſcendit, & ſimul cum ea plures proponit ſeminantes, hîs verbîs: *Seminavit in terra ſanctiſſima Trinitas, ſeminaverunt Angeli, & pariter Apoſtoli, ſeminaverunt Martyres, Confeſſores, Virgines.* Verùm enimverò, ſi tot ſunt ſeminantes ſemen bonum, unde in mundo, unde in Eccleſia, unde in animabus fidelium tot zizania? Reſponſio

N. 1. *S. Bonav. ſerm. 5. in hac Dom.* *Lyranus.* *S.Bernard.*

ſponſio ad manum eſt: *Dum dormirent homines, venit inimicus,*
B. Alb. M. *& ſuperſeminavit zizania.* Dormitio, ait noſter B. Albertus M. eſt torpor & negligentia, quando homo in bono ſe non exercet,
S. Bernard nec in affectu, nec in opere. Per dormitionem S. Bernardus in-
ſerm. 2. in telligit otium, quod eſt radix noxiæ & venenoſæ herbæ: *Omnem*
hac Dom. *enim malitiam docuit otioſitas.* Hoc ſomno erant obruti proto-
Eccl. 33. parentes noſtri in paradiſo, divini præcepti attentionem, & exe-
S. Bonav. cutionem negligentes; & venit inimicus, ait S. Bonaventura, &
loc. cit. ſuperſeminavit zizania, id eſt, vitia & peccata, ex quibus naſcuntur filij iræ. Hoc ſomno tenebantur oculi anteceſſorum noſtrorum, & inimicus ſuperſeminavit inter ſanctos peccata, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitias, inter fervidos tepiditates. Hoc ſomno adhuc ligantur plurimi, ut, quidquid exempla Martyrum, & Confeſſorum, quidquid gratiæ, & auxilia vocantis Dei, quidquid bonæ inſpirationes angelorum in contrarium ſuadeant, & perſuadeant, attamen undique, & undique copioſa zizania cernere ſit. Inſidiator namque, te-
S. Chryſol. ſte S. Chryſologo, vigilantes fugit, aggreditur dormientes, pri-
ſerm. 97. mitùs ſolummodò zizania ſuperſeminandô, id eſt, quaſi ad ſuperficiem diſpergendô exiguas aliquas tepiditates, & negligentias, quibus ſi in tempore non obvietur, ſucceſſivè radices ſemper altiores & altiores agunt, & tandem bonum ſemen penitùs perdunt, fructus bonorum operum ex integro impediunt, triticum virtutis in zizania vitiorum damnô irreparabilì transmutant. Inter alia bona ſemina, quæ Deus in agro Eccleſiæ ſeminavit, indubiè eſt Roſarium; & ideò inimicus homo diabolus in hac vel maximè ſatagit ſuperſeminare quaſdam tepiditates, & ſucceſſivè multiplicata zizania vitiorum.

N. 2. Ea eſt dæmonis, ubi zizania ſuperſeminat, aſtutia, ut vix ſitqui ad hoc advertat; videtur enim in principio eſſe minimum, de quo non curat Prætor. Ita in parabola hodierna nec paterfamilias, nec ſervi notârunt ſuperinjecta zizania, usquedum triticum jamjam creſcere cœpit, & vireſcere, dicente Evangeliſta: *Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* Hinc paradigma eſt: *Nemo repentè fit peſſimus.* Reſtiarius à minutis incipit, filum filo jungit, textos poſteà funiculos uniendo, talem funem conficit, qualem frangendo nulla vis ſufficit. Ab initio in ſolea ferrea equi unus, poſteà ſecundus,

dus, tertius, quartus, &c. clavus deperditur, paulò póſt ſolvitûr ipſa ſolea, equus in pede læditur, & claudicandô ad omnem uſum fit ineptus. Arena exigua eſt, ſi tamen ſucceſſivè acervatur, navim onerat, & demergit in profundum maris. Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo; & parva ſcintilla multoties jam magnum ſuſcitavit incendium. Ita à pari accidit in linea morum. A minimis, ab exigua tepiditate, à quodam vix perceptibili torpore incipimus, & ſenſim ſinè ſenſu progredimur ad maxima. Prima tentatio & ſollicitudo diaboli eſt, ut Sodales Roſariani Pſalterium Marianum cum quadam ſocordia, & negligentia dicant, hinc inde diſtracti, garrientes, ridentes, circumſpicientes, ſomnolenti: Ex poſt vaferrimus inimicus ejusmodi tepidis Sodalibus perſuadet, ut una vel altera vice Roſarium intermittant, rariùs, ubi illud à Confratribus alta voce recitatur, ad Eccleſiam veniant, minorem de hac utiliſſima devotione æſtimationem habeant. Hoc obtento tandem eò devenitur, ut penitùs frequentata exercitia SS. Roſarij in deſuetudinem abeant, oblivioni, & contemptui tradantur, & propero pede periculo æternæ damnationis approximetur juxta illud, quod ipſa Beata Virgo atteſtabatur B. Alano, hîs verbîs: *Dulcis Sponſe, ſecretum pandam tibi divinæ Providentiæ, quòd ſit ſignum probabile, & propinquum æternæ damnationis, horrere, attædiari, & negligere Salutationem Angelicam.* *B. Alanus 2. p. c. 11.*

Hunc in finem cacodæmon omnes ſuas vires eò intendit, ut in agro Roſarij zizania tepiditatis, ſomnolentiæ, variarúmque diſtractionum ſuperſeminet, orationes noſtras vel penitùs abrumpat, vel ſegnes, ſocordésque efficiat. Scit enim, & intelligit perſpicaciſſimè, ferventem, ac devotam orationem medium, ac veluti canalem eſſe, cujus adminiculô univerſum ad nos bonum derivatur; hinc omnî, quo poteſt, ſtudio, ac contentione ipſam impedire, & mille in ea nobis remoras, atque obices objicere connititur, ut iſthoc ſublato præſidio faciliùs illi ad animam noſtram per fraudes & tentationes aditus, & acceſſus pateat. Pari nobiscum modo agere, nósque intercipere, & ſubvertere conatur, quo Archi-ſtrategus Holofernes Bethuliam ſibi reſiſtentem. Sicut enim ille aquæductus, & canales, quibûs ad urbem aqua derivabatur, incidit: *Et incidi præcepit aquæductum illorum.* *Judith. 7.* Ita dæmon omni opera hunc orationis canalem & conductum, N. 3.

per quem ad animam noſtram gratiæ, ſpiritualiúmque bonorum omnium aqua dimanat, aut penitùs frangere, aut aliò ſaltem divertere conatur, hunc v. g. ex templo per varias diſtractiones deducendo ad campos, ad meſſem, ad agriculturam, ad vineas, ad vindemiam; illam ad cellam vinariam, ad culinam, ad alios labores domi derelictos. Alium tempore orationis divertit in ſuo Muſæo, in ſuis ſcriptis, in ſuis libris, in formandis Epiſtolis, in mercatura, in numerandis pecunijs; hanc ad ancillas, ad colum, ad acum, ad liberos. Alium occupat ſomnô, alium in evagatione oculorum, in garrulitate linguæ, in curioſitate auditûs

Iſa. 29. &c. ita, ut jure merito conqueratur Deus: *Populus hîc me labiîs*

S. Climac. *honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Unde S. Climacus dicere ſolebat: *Sicut ad campanæ ſonum fideles & religioſi viſibiliter ad Deum tum precandum, tum laudandum in Eccleſia congregantur; ita quoque inimici noſtri dæmones tunc inviſibiliter ad nos tentandos, & in oratione interturbandos conveniunt.* Cui conformiter

Ruffinus l. 1. vit. PP. c. 29. narrat Ruffinus, veniſſe ex his malè feriatis nebulonibus unum ad S. Macarium, dixiſſéque: *Surge, Abba, eamus ad collectam nocturnam.* Cui vir ſanctus: *O mendax, & veritatis inimice! quid tibi conſortii, quid ſocietatis eſt cum collectis, & congregatione Sanctorum?* At ille: *Latet te ergo, Macari, quòd ſinè nobis nulla collecta agitur? Veni, & videbis.* Tunc vir ſanctus ad orationem converſus petiît à Domino, ut oſtenderet ſibi veritatem. Itaque abiît, & ecce! videt per totam Eccleſiam quaſi parvulos æthiopes diſcurrere, huc atque illuc volitando deferri, qui monachis ibidem pſallentibus alludebant, & ſi cui digitulîs oculos compreſſiſſent, ſtatim dormiebat; ſi cui verò in os immiſiſſent digitum, oſcitare eum faciebant: Ubi verò poſt Pſalmos juxta conſuetudinem proſtraviſſent Fratres, percurrebant ſingulos, & ante alium in oratione jacentem quaſi mulierum ſpecie ferebantur; ante alium quaſi ædificantes atque portantes aliquid, ac diverſa quæque agentes apparebant. Et quæcunque dæmones quaſi ludendô formâſſent, hæc orantes in cordis ſui cogitatione verſabant, uti poſteà ſingulorum relatione monſtratum eſt. A nonnullis tamen, ubi aliquid horum agere cœpiſſent, quaſi vi quadam repulſi, præcipites dejiciebantur, ita, ut nec ſtare quidem prorſùs, aut tranſire juxta eos auderent.

Hoc

Hoc à fortiori verificatur in Sodalibus Roſarianis, & in oratione Mariani Pſalterij. Non latet diabolum, hanc devotionem eſſe uberrimum aquæductum, & canalem, per quem copioſæ divinarum gratiarum rivuli in hominis animam continuò influunt, eam veluti agrum myſticum fertiliſſimè irrigant, & impinguant; ideò omnî modô hunc aquæductum aut cum Holoferne incidere allaborat, aut veluti legimus de Palæſtinis in ordine ad Patriarcham Iſaac, penitùs obſtruere nititur. Sic enim loquitur S. Scriptura: *Sevit autem Iſaac in terra illa, & invenit in ipſo anno centuplum. - - - Ob hoc invidentes ei Palæſtini omnes puteos, quos foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humô.* Non minùs infernalis hoſtis perſpectum habet, Sodales Roſarij ſimiles eſſe homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, & ſimul eſſe terram optimam, in qua triticum omnis virtutis abundantiſſimè ſuccreſcit, juxta illud Plinij: *Ubi roſa radices agit, ibi terra electa eſt.* Ideò, cùm dormiunt homines, clanculò & furtivè accedit, & ſuperſeminare ſatagit zizania tepiditatis, diſtractionis, ſomnolentiæ &c. in medio tritici, ut fructum impediat. N. 4. *Gen. 26.* *Plinius.*

Nec fruſtra. In pluribus enim per aſtutiam diaboli triticum SS. Roſarij per tepiditatem & negligentiam quodammodò transſubſtantiatur in herbam inutilem, & lolium, ita, ut, quod Salmeron ſcribit de zizanijs, id à contrario in ſenſu myſtico de Sodalibus Roſarianis affirmare liceat. Verba Salmeronis hæc ſunt: *Ut nonnulli tradunt, triticum nimia terræ uligine corruptum, nimiíſque pluviis dilutum in lolium convertitur.* Contrarium contingit in Fratribus & Sororibus Mariani Pſalterij, in quibus non ob nimiam humiditatem, ſed ob ſiccitatem, & ariditatem ſpiritûs triticum transmutatur in lolium, & zizania. Poſtquàm enim in homine per pigritiam, & ſocordiam, ſic loquendo, exſiccatur Salutatio Angelica, quam S. Auguſtinus vocat *Fontem vitæ in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, ſanantur infirmi, potantur ſitibundi, ſcientiarum horti irrigantur;* item nubem roridam, unde mundus rigatur, floret, & fructificat; tunc ſtatim de illo verificari incipit illud: *Anima mea, ſicut terra, ſinè aqua tibi.* Tunc talis anima dicere poteſt, ùt habet S. Bernardus: *Exaruit cor meum, coagulatum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſinè aqua, nec compungi ad lachrymas queo, tanta eſt duritia cordis:* N. 5. *Salmeron ex Euſeb. Gall. ſerm. 6. de Orat.* *S. Auguſt.* *Pſalm 142.* *S. Bernard ſerm. 54. in Cant.*

dis : Non ſapit Pſalmus , non legere libet , non orare delectat.
S. Ambroſ. Tunc tali animæ attribuitur, quod de malis granatis aſſerit S. Ambroſius: Citò florent mala granata; aſt fructum afferre non poſſunt, niſi congruìs peritorum remedìis excolantur: Plerumque ſuccus vaneſcit interior, & ſpecies pulchra foris prætenditur; & hoc fit in frigidis regionibus. Citò quoque in multis ſemen bonum, & triticum Mariani Pſalterij floret, quia à juventute cultui beatiſſimæ Virginis aſſueſcunt, à teneris annis Roſarium orare addiſcunt; aſt hæc devotio fructum afferre non poteſt, niſi congruìs remedìis excolatur per verum fervorem, poſſibilem induſtriam, & pium conatum: Secùs plerumque ſuccus, & ſubſtantia interior, meritum, & vigor boni operis evaneſcit,
Matth. 21. quod fieri aſſolet in frigidis regionibus, id eſt, in hominibus pigris, vecordibus, & tædioſis, qui ficulneæ illi comparari poſſunt, quam Dominus vidit pulcherrimis folijs exornatam, ramos altos & denſos undequaque dilatantem, fructus uberrimos promittentem: Ubi verò acceſſit, fructus inquiſivit, non invenit niſi ſola folia, frondes inanes, ſpeciem decoris externi. Unde eidem maledicens dixit: *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & arefacta eſt continuò ficulnea.*

N. 6. Proinde attentè monitum Sapientis amplectamur: *Ante ora-*
Eccli. 18. *tionem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Præpara animam tuam per remotionem negotiorum ſæcularium, ſermonum, & cogitationum inutilium, per cautam cuſtodiam ſenſuum externorum, ùt ſunt oculi, aures & lingua, per piam mentis elevationem in Deum, ſeu per amoroſam intentionem, devotiſſimè Roſarium perſolvendi, proteſtando contra omnes occurrentes diſtractiones, & quaſi dicendo cum Pſalmiſta:
Pſalm 137. *In conſpectu angelorum pſallam tibi Deus meus, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.*

N. 7. Utilitas, quæ ex ſimili præmiſſa præparatione, & ex devota Roſarij recitatione accreſcit, eſt evitatio ſcelerum, & morum perditorum, qui aliâ viâ ex neglectu Mariani Pſalterij facilè ingra-
B. Alan. de dignit. Roſar. c. 17. veſcunt. Ut enim effatur B. Alanus: *Tanta jam olim fuit fama Roſarij, ut, ſi quemquam vidiſſent negligentem, dicerent: Certè Pſalterium non dicis, aut non dicis devotè. Si occurrebat aliquis peccator, aut blaſphemus, in proverbio erat: Iſte non eſt de Fratribus Roſarij.*

Hoc

Hoc manifeſtum erat in & poſt vitam ſancti Patris noſtri Dominici. Illo quippe prædicante, & ubique promovente devotionem Roſarij, juxta teſtimonium ſummorum Pontificum, paſſim eradicabantur ex agro Eccleſiæ zizania hæreſum, vitiorum urticæ, impietatis ſpineta, ita, ut ſicut *Ave* ab angelo Gabriele prolatum tollebat ſpinas, & tribulos, quos terra in opere, & peccato Adæ maledicta protulerat; ita *Ave* per S. Dominicum, denuò in terrarum orbem introductum, faciem Eccleſiæ reformaret. Ideò in vita ſancti Patris legimus, quòd ſacerdos in Miſſa, cui parvulus Dominicus præſens aderat, converſus ad populum, ubi voluit & debuit dicere: *Dominus vobiſcum;* alta voce, indigitans parvulum, dixerit: *Hic eſt reformator Eccleſiæ.* Malè hoc habuit dæmonem: Quare, ubi ſomnô mortis obdormivit S. Dominicus, Princeps tenebrarum mox ſuos miniſtros in omnem emiſit terram, ut ſuffocarent ſementem SS. Roſarij, & ubique ſuperſeminarent zizania, quaſi tubâ convocandô totum cœtum, & quaſi buccinâ animandô univerſos aſſeclas ſuos ad bellum adverſùs Marianum Pſalterium, eo fermè modo, quo id in prato ſpirituali vidiſſe refértur eremita ille, qui, cùm nocte quadam ad orationem & Pſalmodiam ſurrexiſſet, ſubitò totus attonitus clangorem buccinæ audivit, milites ad ineundum conflictum vocantis. Res hæc peregrina erat ſeniculo eremitæ, neſcienti, unde hic ſtrepitus, unde clangor buccinæ in vaſta ſolitudine, ubi nec miles, nec belli apparatus erat conſuetus? Mox autem tentator diabolus ſeni ad aurem dixit: Hoc claſſico tota dæmonum cohors ad oppugnandos, & tempore orationis infeſtandos Dei ſervos excitatur, & congregatur. Simile quid accidit poſt mortem S. Patris Dominici. Datô quaſi Signô tota infernalium commilitonum phalanx adunabatur, ut Sodales SS. Roſarij in orationibus oppugnarent, & infeſtarent, in agro Eccleſiæ zizania ſuperſeminarent, triticúmque Mariani Pſalterij in primo flore ſuffocarent. Nec inaniter; tantùm enim ſuîs tentationibûs effecerunt, ut, quemadmodùm communiter leges & ordinationes ſanctiſſimæ ſucceſſivè in oblivionem veniunt, & nulla unquam tam ſancta inſtitutio viguit, quín curſu temporis aliqua ex parte intepuerit; ita paulatim poſt obitum ſancti Dominici devotio Mariani Roſarij cœperit decreſcere, & vix non penitùs interire, & hoc partim ob poſterorum ignaviam, qui pro meritis dignitatem

Roſarij æſtimare non noverant, partim ob depravati ſæculi malitiam, in quo vix non univerſa caro corruperat viam ſuam. Hinc factum eſt, ùt B. Alanus ex divina revelatione intellexit, ut mundus operâ dæmonum, & ex neglectu Pſalterij Mariani, anteà à S. Dominico reformatus, denuò in præceps vitiorum rueret, effunderetur in vanitatem ſuperſtitionis, & obſervantias peſſimas, inficeretur erroribûs, & hæreſibûs, zizaniîs, urticìs, & ſpinìs peccatorum maxima ex parte eſſet obductus, donec tandem miſericordiſſimus Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur & vivat, poſt duo fermè ſæcula ad annum 1460. denuò apparuit noſtro B. Alano de Rupe, eique præcepit, ut per ſe, & per ſuos Confratres de novo omni, quo poſſet, virium conniſu Roſarium prædicaret, collapſam, temporum injuriâ, devotionem Mariani Pſalterij reerigeret, eradicatîs zizaniîs agro Eccleſiæ ſuum triticum reſtitueret. Idem præceptum B. Alano in varijs viſionibus impoſuit S. P. Dominicus; ſæpiſſimè autem glorioſa Roſarij Regina, additîs hîs verbîs (ut ipſe in ſuis ſcriptis frequenter fidem facit) *Vaſtitas imminet orbi miſeranda, cui ſolùm, quod olim reparavit orbem, & nunc mederi poteſt, Pſalterium angelicum.* Ex qua hiſtoria liquet intentum diaboli, bonum ſemen SS. Roſarij ſuffocantis, & inde lolia vitiorum implantantis.

B. Alanus.

N. 8. Quam ob cauſam, ubi S. Chryſoſtomus de orando Deo dicit: *Cùm video quemquam non amantem ſtudium orationis, nec hujus rei fervida, vehementíque cura teneri, continuò mihi palàm eſt, eum nihil egregiæ dotis in anima poſſidere.* Hoc à fortiori de Sodalibus Roſarianis aſſeri poteſt, quos, ubi in ſua devotione intepeſcunt, Roſarium negligunt, ſtatuta Archi-Fraternitatis non obſervant, non dubito, ſimiles dicere agro & vineæ illi, de quibus meminit Sapiens: *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti: Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Per agrum hunc Cornelius à Lapide intelligit cujuscunque hominis conſcientiam; hæc enim eſt ager, & prædium illi datum, imò locatum ad culturam. Maceriam lapidum, ſeu ſepem cõmparat S. Anſelmus Salutationi angelicæ, dicens: *Tuta contra hoſtes ſepes eſt Salutatio Angelica.* Per agrum ergo hominis pigri, ſeu tepidi Sodalis Roſariani, qui ſedulam culturam negligit, nec de

S. Chryſoſt l. 1.

Prov. 24.

Cornel. à Lap. hic.

S. Anſelm.

ſepe

ſepe deſtructa ſollicitus eſt, ſi & nos tranſeamus, quid videbimus aliud, niſi quod vidit Sapiens? *Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Quid videbimus, niſi triticum virtutis peſſundatum, ſemen bonum ſinè herba emortuum, fructum boni operis ſquallentem? econtra zizania vitiorum copioſè enaſcentia, ſpinas & carduos peccatorum multiplicatos, urticas morum perditorum liberrimè ſuccreſcentes? hinc inde nedum obviè ingredientes vulpeculas parvulas, & demolientes vineam, ſed etiam illud, quod annotat Pſaltes regius? *Exterminavit eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* *Pſalm. 79.*

N. 9. Sanè terræ illi, & animæ, quæ nauſeat cultum Mariani Pſalterij, illud jure merito applicari poteſt, quod in figura legimus: *Expergeſcimini ebrij, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore veſtro. Gens enim aſcendit ſuper terram meam, fortis & innumerabilis, dentes ejus, ùt dentes leonis, & molares ejus, ùt catuli leonis - - periit ſacrificium, & libatio in domo Domini, luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniam vaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum, confuſi ſunt agricolæ, ululaverunt vinitores ſuper frumento, & hordeo, quia periit meſſis agri.* *Joël 1.* Idem hodie acclamo ſuô modô tepidis & ſomnolentis Confratribus Roſarianis: Expergeſcimini pigri, & flete, & ululate, qui in dulcedine indormitis negligentijs veſtris. Gens aſcendit ſuper terram noſtram fortis & innumerabilis, dentes ejus ùt dentes leonis, & molares ejus ùt catuli leonis, nempe Lucifer & angeli ejus, ſuperſeminantes in agro veſtro zizania ad triticum, circumeuntes ùt leones, & quærentes, quem devorent. Periit ſacrificium, & libatio in domo Domini (id eſt, devotio SS. Roſarij) ſi enim per ſacrificium S. Gregorius nihil aliud intelligit, quàm orationem; *S. Greg.* quantò magìs per ſacrificium intelligi poteſt Pſalterium Marianum, de quo ita eruditus noſter Pepinus: *Conteſtor vos omnes, ut unà libemus libamen Roſarij ſuper aurum acceptiſſimum, ſuper mel dulciſſimum, ſuper omnia libamina gratiſſimum.* *Pepinus in proœmio de Roſ.* Et quid ſequitur? Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniam vaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum, confuſi ſunt agricolæ, ululaverunt vinitores ſuper frumento & hordeo, quia periit meſſis agri, periit virtus, periit meritum, periit omne opus bonum. *Signum enim probabile eſt, & propinquum æternæ damnati-*

nationis horrere, & attædiari, & negligere Salutationem Angelicam, ùt dictum fuit.

N. 10. Eja ergo, Sodales Roſariani! adhortor vos cum Joële Propheta: *Vocate cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri, & clamate ad Dominum, a a a;* id eſt, Ave, Ave, Ave Maria gratia plena, Dominus tecum &c. Eradicate zizania tepiditatis & negligentiæ, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum: Orate, & vigilate, ne intretis in tentationem, & vobis dormientibus veniat inimicus, qui denuò ſuperſeminet zizania in medio tritici.

Joël loc. cit.

Hiſtoria.

ANno 1578. in Luſitania in urbe Evora accidit, ut quidam malefactores vinculis mancipati, ad carcerem damnati, demùm juſtiſſimæ mortis pœnæ adjudicati fuerint. Inter alios unus fermè ex omnibus ſceleſtiſſimus liberrimè faſſus eſt, qua via gradatim ad extremum malitiæ devenerit. In juventute juxta proprium teſtimonium ingens in eo exarſerat cupiditas divitiarum, quibus corradendis ipſi convenientiſſimus modus videbatur, ſi artem medicam exercere, & in curandis morbis celebris haberi poſſet. Hîs cogitationibûs diu, noctúque occupatum conveniebat ſtygius præſtigiator ſub ſpecie mulieris perquàm formoſæ, ſicque eum allocutus eſt: Sat mihi perſpicuum eſt, quibus cogitationibus, ceu turbulentis fluctibus, mens tua agitetur, ego opem tibi ſpondeo, ſi meis acquieſcas conſilijs. Libentiſſimè ad omnia annuit divitiarum cupidus, juxta illud: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Unde rurſùs pulchriori ſpecie ſeſe præſentat diabolus, quærens, num in ſua eleganti formoſitate non multùm excederet eam matronam, cui homines in Roſario, & ipſe juvenis cum alijs tam ſtudioſè hactenus inſervire conſueverat. Poſt hæc larvata fœmina, dum infelix adoleſcens in afficta diaboli pulchritudine ſibi ſummoperè complacebat, pharmacum, ſicut curandis omnibus morbis, ita congregandis ad vota deſideratiſſimis theſauris accomodatiſſimum, oſtendit, additô

1. Tim. 6.

promiſ-

promiſſô, hoc pharmacum impoſterùm in plena fore juvenis medici facultate, ſi & ipſe ex parte ſua aliquas conditiones apponere non defuerit; & quidem primò, ex nunc, & pro ſemper Roſario penitùs eſſe renuntiandum, utpotè quod illi hucusque ad nihil fuit utile. Secundò, Deum eſſe abnegandum, & Dei locô divinos honores Lucifero eſſe exhibendos. Tertiò, univerſa opera incunctanter eſſe ſeponenda, in quibus aliàs Chriſtiani exercitari ſolent. Hîs auditîs auri ſacra fames non pigritabatur, quin ad ſuſcipiendas, & ſubſcribendas has conditiones impulerit miſerum. Mutato ergo juvenis nomine (deinceps enim nuncupabatur à dæmone *Eſmaga*) porrexit infernalis impoſtor novo medico duo genera pulverum, quibûs veluti arcanô, & univerſalî remediô uſus, & nomen grande, & divitias plurimas obtinuit, donec tandem, de magia ſuſpectus, fuit in vincula conjectus, & crimen ſuum confeſſus ſententiâ judicis ad mortem fuit condemnatus. En! quomodò relictô Roſariô peccator demergatur in profundum iniquitatis. Ex libro Italico de Miraculis Roſarij edito Neapoli anno 1625. Miraculô 133.



SERMO UNDECIMUS.

Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

THEMA.

Et fit arbor, ita, ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus. *Matth. 13.*

Ad arborem Roſarij veniunt omnis ſtatûs homines, ibíque ſub umbra myſteriorum conſolationem capiunt, & ſecurè latitant contra inſultus dæmonum.

N. 1. QUi Roſarium grano ſinapis comparat, in ipſo hodierno S. Evangelio fundamentum nanciſcitur. Quemadmodùm enim de grano ſinapis dicitur: *Quod quidem minimum eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita, ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.* Ita devotio ſacratiſſimi Roſarij videtur eſſe minima ex omnibus orationibus, utpotè communis ruſticis, & idiotis, plebeis & rudibus, ijs quodammodò ſolùm propria, qui vel ex defectu litteraturæ, vel ex imbecillitate ingenij, aut Pſalmos legere neſciunt, aut altiores orandi methodos non capiunt. Aſt, utut minima ſit apud quoſdam ambitioſos mundi Proceres, qui in oratione vulgari cum plebe communicare quaſi erubeſcunt, apud ſuperbas aliquas filias Adæ, quæ non niſi preces peregrinas, & ſubtilì ingeniô elaboratas æſtimant; devotio tamen ſacratiſſi-

mi

mi Roſarij, ſi creverit in corde hominis, eſt major omnibus alijs, & fit arbor, ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus. *Eſt major omnibus alijs orationibus*, quia *nulla*, ut quondam B. Virgo ad S. Dominicum locuta eſt apud Alanum, *includit myſteria* *B. Alanus* *Vitæ, Paſſionis & Reſurrectionis unigeniti Dei Filij; nulla, ùt* *de Laud.* *hæc, vocatur totius novi teſtamenti fundamentum. Et fit arbor,* *Pſalt. c. 3.* excelſior illìs, quas in Inſulis Plinius aſſerit eſſe longitudinis qua- *Plin. l. 3.* draginta trium pedum, quas in Indijs tantæ vaſtitatis aſtruunt *c. 3.* Hiſtorici, ut octo homines ſuìs eas brachiìs ambire nequeant, quas in Germania hinc inde invenimus excavatas navis locò inſervire ad trajicienda flumina. At arbor Roſariana celſior eſt univerſìs, utpotè altitudine quindecim myſteriorum attingens ipſum cælum, ſicut ſummitas ſcalæ Jacob per quindecim gradus cælos tangebat. *Ita, ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus:* *Carthuſ. in* Per quas volucres Carthuſianus intelligit Principes, & Magnates *Matth.* hujus ſæculi, quaſi ſuper terram elevatos; Salmeron ſapientes *Salmeron.* & Doctores alta ſcientia, & intellectu præditos; S. Anſelmus *S. Anſelm.* omnes animas fidelium, quæ pennìs virtutum ad cæleſtia avolant, & quorum converſatio eſt in cælis. Omnes hi veniunt ad arborem ſacratiſſimi Roſarij, Reges & Magnates, Magiſtri & Doctores, univerſi fideles, & habitant in ramis ejus; id eſt, ait S. Auguſtinus, *S. Auguſt.* in myſterijs incarnationis, prædicationis, mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, tanquam in umbra primitùs conſolationem capientes, deinde verò ſecurè ſeſe abſcondentes ab omni inſultu dæmonum.

Inter myſticas cæli volucres David facilè princeps, utpote N. 2. Rex potentiſſimus, Propheta, & Doctor divinitùs illuminatus, in fide ad Deum elevatiſſimus, ardenter aſpirabat: *Quis dabit* *Pſalm. 54.* *mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Super quæ verba ita gloſſatur Anaſtaſius Sinaita: *David hîc cupiebat volucris* *Anaſtaſius* *cæli fieri in illa requie cæleſtium volucrum, in qua Iſaias vidit duos* *Sinait. l. 2.* *Seraphim in contemplatione divinitatis abſorptos, ſex alæ uni, &* *anag. con-* *ſex alæ alteri, & clamabat alter ad alterum, dicentes: Sanctus,* *templ.* *ſanctus, ſanctus.* Votorum ſuorum in brevi damnatus fuit Da- *Iſa. c. 6.* vid; mox enim ſubjungit: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine;* id eſt, in loco, â tumultu ſæculi remoto, ad orandum & meditandum accomodo. *Exſpectabam eum, qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritûs;* puta, addunt interpretes, per internam conſolationem.

 Soda-

Sodales Mariani! Si veſtra quoque corda ſuſpirant: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Si vos quoque cupitis cum Davide accenſeri volucribus cæli inter Seraphim in contemplatione divinitatis abſorptos, & invenire, tum locum aptum ad meditandum, tum conſolationem à puſillanimitate ſpiritûs, ecce! arborem ſacratiſſimi Roſarij; ad hanc venite, & manete, hîc locus aptus ad laudandum Deum, & contemplanda divina myſteria, hîc in ramis, in umbra ejus invenietis ſolatium, & requiem animabus veſtris.

N. 3. Hoc jam pridem in figura experiebatur Sponſa, quæ ſub arbore malo in optata quieſcebat umbra, & in guſtandis fructibus jucundè delectabatur: *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios, ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Per arborem malum indigitatur Chriſtus, fons amoris, quia ad ipſum, teſte Tirinô, congregantur juſti, & amantes animæ, ſicut antiquis malus erat hieroglyphicum amoris, adeò, ut juxta Pierium ſub eo amantibus conſuetum erat ſuos celebrare conventus, inſtituere convivia, luſitare, converſari, & in ſignum mutui affectûs poma dare, & accipere. Sponſa denotat univerſas animas fideles, imprimìs autem Sodales Roſarianos, quibus ſpeciali modo unigenitus Dei Filius in myſterijs Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis ſuæ eſt hieroglyphicum amoris, & arbor malus, ſub qua arbore ſuos conventus celebrant, ſuas ſolemnitates inſtituunt, ſuas orationes peragunt, pios affectus ad cælos mittunt, & inde divina beneficia recipiunt. Sub umbra hujus arboris Roſariani ſedent, & dulces fructus deguſtant cum Sponſa quæ, ùt atteſtatur de Ponte, tunc ſub umbra Chriſti ſedit, dulces fructus decerpſit, & dixit: *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ita dilectus meus inter filios, ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo;* quando contemplabatur dilectum ſuum in incarnatione, ejúſque ingentem charitatem, homini ab æterno exhibitam, & in myſterijs Vitæ, Mortis, & Gloriæ ulteriùs exhibendam. Chriſtus in Nativitate, in Paſſione, in Reſurrectione prævìſus tota erat illius quies. Hoc idem faciunt Sodales Roſariani. In omni oratione ſua contemplantur ingentem Chriſti charitatem, homini ab æterno exhibitam, & præcipuè in gaudioſis, doloroſis, & glorioſis Mariani Pſalterij myſterijs completam: Chriſtus natus, Chriſtus paſſus,

Cant. 2.
Tirin. h.
Pierius l. 54. c. de malo.
Ludovic. de Pont.

paſſus, Chriſtus reſurgens eſt objectum principale eorum, qui in precibus SS. Roſarij meditando immorantur: Fructum Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ pientiſſimi Salvatoris carpunt & deguſtant de hora in horam, de die in diem, de hebdomada in hebdomadam, quoties ſcilicet Roſarianum recitant. Quidnî igitur cum Sponſa glorientur: *Sicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios, ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Ad dulcem hanc Roſarianorum quietem ſub umbra arboris ſacratiſſimi Roſarij, & ramis ejus, id eſt, myſterijs Chriſti ulteriùs explicandam deſervire poteſt id, quod de protoparente noſtro Adam legimus, quàm ſuaviter ſcilicet, poſtquàm in agro Damaſceno creatus à Deo translatus eſt in paradiſum voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum, amœnitate paradiſi captus quieſcere cœperit, & indormire, adeò quidem, ut etiam ad ablatam de corpore ſuo coſtam, ex qua formata fuit Eva, juxta Angelicum Præceptorem noſtrum, planè fuerit inſenſibilis. *Immiſit ergo Dominus Deus* (Verba ſunt Scripturæ) *ſoporem in Adam* (id eſt, legunt ſeptuaginta, extaſim quandam) *cúmque obdormîſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea: Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Sed quæ cauſa hujus dulciſſimi ſoporis, hujus optatiſſimæ quietis, hujus altiſſimæ extaſis? Reſpondet eruditus Philippus Diez, acutè advertendô ex contextu Scripturæ, tunc Dominum Deum immiſiſſe ſoporem in Adam, poſtquàm paulò ante adduxerat ad Adam cuncta animantia terræ, & univerſa volatilia cæli, ut videret, quid vocaret ea. Unde ſic loquitur Diez: *Credo extaſim illam in Adam cauſatam fuiſſe ex Bonitatis & Majeſtatis Dei infinita conſideratione, quam oſtendit informatione tam diverſarum creaturarum.* Si ergo (pergit præcitatus Doctor) illa creaturarum diverſitas ſufficiens erat extaſim in Adam efficere; multò pro fectò ſunt mirabiliora opera redemptionis noſtræ, & efficaciora ad cauſandam extaſim in nobis, ſi in cordis puritate profundæ, ac aſſiduæ eorum contemplationi incumbamus, in quo, quia deficimus, nec diligimus, nec admiramur tam ſtupenda opera, quæ pro nobis fecit Deus. Quem defectum cùm nemo poſſit imputare devotis ſacratiſſimi Roſarij Confratribus, utpotè quorum quotidianum exercitium eſt, opera

N. 4.

Gen. 2.

Phil. Diez Conc. 2. in Communi Virgi.

Idem ibid.

ra redemptionis per quindecim Mariani Pſalterij decades continuò contemplari, profectò illis cum protoparente ſuo dulciſſimus ſopor, optatiſſima quies, altiſſima extaſis ſub arbore Roſariana, & ramis ejus, ſeu myſterijs concedenda eſt.

N. 5. Loquantur illi, qui hanc dulcedinem ipſi delibârunt in gaudioſis, doloroſis, & glorioſis myſterijs. In gaudioſis myſterijs alta mente defixus erat B. Bonifacius Epiſcopus Lauſenenſis, & quidem in ipſa nocte Nativitatis Domini, actu tunc ob infirmitatem lecto affixus, & intimè contriſtatus, quòd ad trina Miſſarum Solemnia ea die celebranda eſſet impotens. Et ecce! B. Virgo apparuit ei, dilectum filiolum ſuum pannis involutum ponendo ſuper lectum infirmi: Infans verò ſoluta ex faſcijs manu, & abſtractîs de facie panniculîs, faciem ſuam liberrimè conſiderandam præbuit Bonifacio. Unde hic in ſua contemplatione adeò confortatus, & exhilaratus fuit, ut dicere non dubitârit: Si nihil aliud eſſet in paradiſo, quàm facies illa benedicta, omnia tormenta mundi toleranda forent, ut videri poſſet facies hæc glorioſa.

Bolland. die 19. Febr.

N. 6. Ad doloroſa myſteria adeò afficiebatur S. Clara de monte Falco, ut ijs meditandis ſatiari poſſet nunquam. Quadam die aderat ei juvenis crucem ferens, & dicens: *Filia mea, quæſivi locum ſolidum, in quo hanc crucem plantarem, & inveni cor tuum, ibi eam figere volo. Oportet ergo, ut in meditatione meæ crucis moriaris, ſi filia mea, & hæres eſſe vis.* Exinde devota virgo ita impreſſum ſibi habuit myſterium Paſſionis, ut unicum ejus delectamentum, & exercitium fuerit ſedere ſub arbore crucis, & meditari opera Paſſionis. Unde & poſt mortem omnia inſtrumenta Paſſionis cordi ejus impreſſa cernebantur.

N. 7. In myſterijs glorioſis requiem ſuam quæſivit, & invenit miles ille apud S. Bernardinum, qui, poſtquàm in Palæſtina omnia loca, in quibus opera redemptionis noſtræ peracta ſunt, devotè veneratus fuiſſet, tandem ad montem Olivetum veniens, & veſtigia Chriſti, in cælum aſcendentis, lapidi impreſſa intuitus, præ vehementia amoris dixit: *Dulciſſime mi JEſu! neſcio, ubi ampliùs quæram te, concede mihi, quæſo, ex dulcedine miſericordiæ tuæ, ut nunc veniam ad te.* Et hîs dictîs præ dulcedine charitatis exſpiravit, repertîs poſteà hîs verbîs, in corde ejus exaratîs: *Amor meus JEſus.*

S. Bernardin. Senenſ. Tom. 3. Sermon. 1. de Aſcenſ.

Ade-

Adeſte igitur, Sodales Roſariani, tanquam ſpirituales cæli volucres, veniamus ad arborem Mariani Pſalterij, & habitemus in ramis ejus, diu, noctúque immoremur contemplationi quindecim Myſteriorum Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti, quæ per omnes decades nobis exhibentur; veneremur glorioſam ſacratiſſimi Roſarij Reginam, nos totos quantos eidem offerendo in filios, in clientes, in ſubditos; mihi enim videtur quaſi eodem modo nos hodie alloqueretur, quo olim rubus, ubi in conventu arborum elegibatur in regem earum, alloquebatur novos ſubditos ſuos: *Si me regem conſtituitis, venite, & requieſcite ſub umbra mea.* N. 8. *Judic. 9.*

Intereà, dum ad ſecundam ſermonis partem transgredior, illud meis obverſatur oculis, quod Hugo à S. Victore cuidam arbori in Indijs tribuit. Narrat præfatus, toti orbi in ſuis ſcriptis præclariſſimus vir, in Indiarum regnis comperiri arborem, nedum fructus ſapidiſſimos progerminantem, ſed & volatilia, ſuis in ramis commorantia, à draconum voracitate & inſidiis ita protegentem, ut venenata animalia prædictam arborem, imò & odorem, & umbram ejus adeò metuant, ut, ubi hæc arbor plantata eſt, odor, aut umbra ejus ſe diffundit, appropinquare minimè audeant. Si umbra ramorum Occidentem versùs reclinatur, dracones Orientem petunt: Si verò umbra in Orientem redeat, dracones propero pede in Occidentem recedunt. Unde columbæ, cæteræque volucres in & propè arborem hanc, vel nidificantes, vel commorantes, non habent, quod timeant, ſed ab omni inſultu virulentorum animalium tutiſſimæ vivunt: Si autem ſe à ſtipite & umbra arboris in cautiùs elongant, protinùs draconum faucibus in prædam cedunt. Similem arborem in Maria, & Regina ſacratiſſimi Roſarij adumbratam invenio, utpote quæ de dulcedine fructum ſuorum ipſa teſtimonium exhibet: *Ego quaſi vitis fructificavi, & fructus mei fructus honoris & honeſtatis.* Et de umbra patrocinij ſui ita effatur apud Iſaiam: *In umbra manûs meæ protexite.* Dracones ſunt ſpiritus infernales, juxta illud: *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanàs, qui ſeduxit univerſum orbem.* Quæ verba ſic explicat ſcholarum Angelus D. Thomas Aquinas: *Projectus eſt ille*, ſcilicet diabolus, *draco* per violentiam, *magnus* propter vehementiam malitiæ, *ſerpens* propter aſtutiam, *antiquus* propter

N. 9. *Hugo à S. Victor.* *Eccli. 24.* *Iſa. 51.* *Apoc. 12.* *S. Thomas Aq. Com. 1. & 2. Ap.*

ter experientiam; & ideò cavendum eſt ab eo, qui expertus, & exercitatus eſt in malitia. Columbæ ſunt animæ degentes in hoc ſæculo, præſertim Sodales Roſariani conformiter ad illud: *Iſai 59.* *Quaſi columbæ meditantes;* puta, in Myſterijs Mariani Pſalterij, quas columbas perpetuò ita perſequuntur dracones infernales, ut, quamdiu vixerint, à tentationibus nunquam ſint ſecuræ.

N. 10. Tentatio eſt tota vita hominis ſuper terram; & non tantùm *Epheſ.6.* *Eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversus Principes & Poteſtates, adversùs mundi Rectores tenebrarum harum contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus.* Non eſt homo tam innocens, nullus angulus mundi ita abſconditus, nullus locus tam ſanctus, cui ſtygius draco ſuarum tentationum aſſultu non *Math.4.* appropinquet. Innocentiſſimus erat unigenitus Dei Filius, imò juxta potiorem Theologorum opinionem ab intrinſeco impeccabilis, & tamen trino tentationis ariete impetiit eum diabolus. *Perazzo.* Quòd ſi ergo, infert noſter Perazzo ex S. Thoma, Chriſtum culpæ incapacem tentare auſus fuit, & impetere, nec credant vel ſublimes animæ, ſe à diaboli tentatione fore immunes, quin valdè ab ejus calliditate ſit cavendum. In extremo terræ angulo lati- *Apoc. 12.* tabat mulier illa, quæ, *in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat*, per quam ſacri interpretes intelligunt fideles, bona propoſita concipientes, & cum arduitate ſuos partus virtutum edentes. *Et ecce! Draco rufus habens capita ſeptem, & cornua decem & in capitibus ejus diademata ſeptem. Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut, cùm peperiſſet,* *S. Bernard apud Perazzo verb. Diabolus.* *filium ejus devoraret.* Super quem textum S. Bernardus per ſeptem diademata explicat ſeptem genera tentationum, vi quarum hoſtis infernalis actus virtutum impedire nititur. Prima tentatio eſt importuna, quæ procaciter inſiſtit, ut ſaltem tædiô vincat. Secunda eſt dubia, quæ animum ambiquitatis nubilô involvit. Tertia eſt ſubita, quæ judicium rationis prævenit, juxta illud: *Thren. 4.* *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cæli.* Quarta eſt occultæ, quæ deliberationem, & conſiderationem præterfugit, jux- *Job. 41.* ta illud: *Portas vultus ejus* (id eſt, occultas ejus tentationes) *quis aperiet?* Quinta eſt violenta, quæ vires animæ, & mentis quodammodò, tranſcendit. Sexta eſt fraudulenta, quæ animum dolosè ſeducit. Septima denique eſt perplexa, quæ variîs vitiîs ſimul impetit.

Nullus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Nullus autem eſt locus tam ſanctus, ad quem venenô, & aſtutiâ non penetret tartareus draco, ùt propriô damnô experti ſunt noſtri protoparentes. Ambo erant in loco ſuô modô ſacrato, id eſt, in paradiſo Dei, ambo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creati, ambo innocentiâ, & juſtitiâ originali, ſeu perfecta mentis ſubjectione ad Deum exornati, ambo omnibus virtutum & ſcientiarum theſaurîs locupletati, ambo dono incorruptionis, immortalitatis, & impaſſibilitatis perfecti. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi.* Et Eva ſimul ac Adam tentationi ſerpentis ſuccubuerunt. Quis ergo ab aggreſſibus audaciſſimi hujus draconis ſecurus erit, ſi etiam ad intima paradiſi penetravit? N. 11. *Gen. 3.*

Vos, vos, Sodales Roſariani! ſi in arbore Mariani Pſalterij, quaſi columbæ meditantes, aſylum quæſiêritis, ſi, ùt volucres cæli, in ramis ejus habitaculum fixeritis, ſi, ùt gementes turtures, in umbra ejus latueritis. Arborem Roſarianam, odorem & umbram ejus adeò formidat, horret, expaveſcit avernalis draco, ut nec à longè illi appropinquare præſumat. In arbore Roſariana commorantes fideles animæ non habent, quod timeant, ab inſultibus & virulentis aggreſſionibus damnatorum draconum vel penitùs liberæ, vel ſaltem ab omni vulnere & detrimento innoxiæ; & hoc partim ex virtute & qualitate intrinſeca arboris Roſarianæ, ejúſque myſteriorum, & Salutationum Angelicarum, *quas, dum audit, tremit diabolus;* partim ex virtute, quæ Roſarijs communicatur divinitùs, ubi ab aliquo Patre ex Ordine Prædicatorum benedicuntur. Sic enim ſonant Benedictionis verba: *Obſecramus immenſam clementiam tuam, ut hæc ſigna Roſarij in honorem & laudem ejusdem Genitricis Filij tui, ab Eccleſia tua fideli dicata, benedicas, & ſanctifices, eíſque tantam infundas virtutem Spiritûs ſancti, ut, quicunque horum quodlibet ſecum portaverit, atque in domo ſua reverenter tenuerit, & in eis ad te ſecundùm ejusdem Sanctæ Societatis inſtituta, divina contemplando myſteria, devotè oraverit - - - ab omni hoſte viſibili, & inviſibili ſemper & ubique, & in hoc, & illo ſæculo liberetur.* N. 12. *S.Bernard.*

Nec mirum, protectionem arboris Roſarianæ adeò eſſe efficacem contra machinamenta, & auſus diabolicos; in illa enim N. 13.

recondita inveniuntur ipſiſſima foramina petræ, & cavernæ maceriæ, ad quas cæleſtis Paranymphus invitavit dilectam ſuam ſic: Cant. 2. *Surge, propera amica mea, columba mea, jam hyems tranſiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra noſtra - - Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam.* Sed cæleſtis Paranymphe, quid aget dilecta tua in foraminibus petræ, in caverna maceriæ? Paulò ante cucurrit in odore unguentorum tuorum. Paulò ante inter amœnas horti delicias ſub umbra tua quievit, & fructus erant dulces gutturi ejus. Paulò ante introduxiſti eam in cellam vinariam, & ordinâſti in ea charitatem. Nunc autem invitatur ad anguſta petræ foramina, ad obſcuram cavernam maceriæ. Cur hoc? Ut commodè quieſcat, & ſecurè lateat, reſpondet Tirin. Tirinus, à periculis, ab inſidijs, ab inſultibus, à violentijs adverſariorum ſuorum. Per petram ſignificatur Chriſtus, ait Apoſto- 1. Cor. 10. lus: *Petra autem erat Chriſtus.* Per foramina S. Bernardus in- S. Bernard. telligit attributa, & perfectiones in Chriſto, & omnia opera redemptionis, in quorum contemplatione, & ruminatione dulciter quieſcit anima hominis, & tutiſſimè latitat. *Ubi enim*, pergit S. Bernardus, *ubi in hac lachrymarum valle tuta, firmáque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? Tantò illuc ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado: Firmatus ſum ſupra firmam petram.*

Ad hæc foramina ſpiritualis petræ Salvatoris noſtri, ad cavernam maceriæ, ad myſteria ſacratiſſimi Roſarij contemplanda vos invito, Sodales Mariani! & quidem verbîs divini Sponſi: *Surge, propera*, anima Roſariana! *amica mea, columba mea, jam hyems* timoris *tranſiit, imber* puſillanimitatis *abiit, flores apparuerunt in terra noſtra*, flores roſarum, flores cæleſtes & virginei, flores Chriſti ſanguine rubentes, flores à Matre Virgine plantati. *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, & caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam.* Commodè quieſces in myſterijs, & ſecurè latebis à periculis, ab inſidijs, ab inſultu, à violentia adverſarij tui. Tantò illuc ſecurior habitabis, quantò JEſus & Maria potentiores ſunt ad te ſalvandum. Fremat mundus, premat corpus, rugiat, terreat, inſidietur draco infernalis, non cades: Firmatus enim es ſupra firmam petarm.

petram. Concludit ergo S. Bernardus totum ſermonem hîs verbîs: *Ubi nomen Mariæ invocatur, dæmonum nocumentum fugatur. Cæli rident, angeli gaudent, mundus exultat, infernus contremiſcit, dæmones fugiunt, cùm dicitur Ave Maria.*

S. Bernard. in Cant. item hom. 3. ſuper miſſus eſt.

Hiſtoria.

INter alia mirabilia, quæ mundus unquam attonitus vidit, ſanè eſt arbor illa, cujus meminit Joannes Rebellius, vir fide digniſſimus. Arbor hæc creſcere, & altos radices agere cœpit anno 1575. in Hybernia in Corciclonenſi Diœceſi in fundo Comitis Deſdron. Natura & indoles ejus erat peregrina, & ignota ab alijs arbuſtorum ſortibus, quos hucusque mundus vel viſu, vel ex deſcriptione novit, multùm diſtincta: Altitudo autem arboris propemodùm juſtam viri ſtaturam adæquabat. Quod omnem captum, & naturæ naturatæ conſuetudinem, ſuperabat erat hoc, quòd rami univerſi in hac prænaturali arbore uberrimè progerminârint locò foliorum ſigna Roſarij, quibus Sodales Mariani Pſalterij utuntur, dum orationes ſuas perſolvunt; & quidem Roſaria mirô artificiô naturaliter colligata, & combinata in quinque decades, qualiter formam Roſariorum præſcribit Archi-Fraternitas noſtra, omiſsîs iîs, quæ conſtant aut ſexta decade, ſeu Salutationibus Angelicis ſexaginta tribus in honorem ſexaginta trium annorum, quibus B. Virgo in hoc mundo juxta communiorem ſententiam vixiſſe creditur; aut conſtant decadibus ſeptem, ſeu Salutationibus Angelicis ſeptuaginta tribus, itidem in honorem Virginis Deiparæ, & ætatis ejus, quam aliqui ad annos ſeptuaginta tres productam fuiſſe prætendunt. Porrò Dominus fundi felicem ſeſe reputans, quòd in fertilitate terræ ſuæ tam pretioſi fructus reperti fuiſſent, pullulantia ex ramis Roſaria ſolerti manu collegit, eáque hinc inde etiam ad exteras nationes cum tanto populorum & cordis ſolatio, & oris gaudio diſtribuit, & ubique reſonaret vox laudantium Deum in opero ſuo, & Maria in Roſario ſuo laudaretur. De virtute autem, ſignis, & miraculis, quæ hæc Roſaria paſſim contra aſſultus dæmonum operata ſunt, judicent ſapientes, quia non dubitandum, quin ille, qui contra ordinarias leges conſueta aliàs artis opera (Roſaria enim efficiuntur

tur ab arte) naturæ tribuit, etiam fructui præternaturali vigorem dederit ſupernaturalem ad pellendos dæmones ab ijs, qui ad arborem Roſarianam veniunt, & habitant in ramis ejus, præſertim quia maligni ſpiritus communiter Roſaria vocitare ſolent ſua flagella. Joannes Rebellius l. 1. de Roſ. cap. 6. a. 1.

SERMO DUODECIMUS.

Dominica Septuageſimæ.

THEMA.

Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.

In omni ætate, & hora homines vocantur ad operandum in vinea Roſarij.

N. 1. ET patremfamilias, & vineam, & operarios, de quibus hodie in Eccleſia memoria agitur, eleganter pro more ſuo exponit *S. Greg. Hom. 19. in Evang.* S. Gregorius hîs verbîs: Quis verò patrisfamilias ſimilitudinem rectiùs tenet, quàm Conditor noſter, qui regit, quos condidit, & electos ſuos in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubjectos Dominus in domo? qui habet vineam, univerſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel juſto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot Sanctos protulit, tot palmites miſit. Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam ſuam manè horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, & undecimâ operarios conducit, quia nunquam ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare deſiſtit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noë; hora verò tertia à Noë usque ad Abraham; ſexta quoque ab Abraham usque ad Moyſen; nona autem à Moyſe usque ad adventum Domini;

mini ; undecima verò ab adventu Domini usque ad finem mundi, in qua prædicatores Apoſtoli miſſi ſunt. Dilectiſſimi Sodales Roſariani ! Si Eccleſia eſt vinea hujus vineæ non minima pars eſt Confraternitas ſacratiſſimi Roſarij, paſſim in potioribus locis implantata fundo Eccleſiæ. Et in hoc particulari univerſalis vineæ diſtrictu, in Archi-Sodalitate noſtra, vitis eſt B. Virgo Regina ſacratiſſimi Roſarij, quam Thaumaturgus vocat vitem ſemper virentem, vitem germinantem botrum maturum Chriſtum, vitem lætificantem omnes glorificantes ſe. Palmites hujus vitis myſticæ ſunt omnes Sodales Mariani Pſalterij, qui, quamdiu manſerint in vite, & inſerti Sodalitio Roſariano, fructus ferunt uberrimos. Ad hanc partem vineæ excolendam nullo quoque tempore divinus Paterfamilias deſtitit idoneos operarios mittere. Primus operarius erat S. Patriarcha Dominicus, cui ipſe æterni Patris Filius, & cum Filio Mater ejus dilectiſſima mandatum ſtrictum impoſuerunt prædicandi Roſarium. Filius quidem hîs verbis: *Prædica Dominice Pſalterium, & ſignanter, quod me attinet, volo te prædicare orationem Dominicam.* Mater verò hîs: *Tu igitur prædica Pſalterium meum, & proficies in populo orationibûs, atque ſcientiâ.* Secundus operarius in vinea Roſarij erat B. Alanus de Rupe, qui ſimiliter à Chriſto, in hoſtia conſecrata ei ſe manifeſtante, & à beata Virgine, frequenter eum alloquente, juſſus eſt, collapſam Pſalterij devotionem erigere, reſtaurare, verbo, & opere ubique implantare. Tertius operarius erat noſter P. Jacobus Sprengerus, Prior Colonienſis, qui eodem modo à cælo expreſſum præceptum habuit, omnibus ſuis concionibus aliquam partem de Mariano Pſalterio addendi, ſicque laudes Roſarianas energicè divulgandi. Poſt Sprengerum quaſi innumeri alij operarij ad vineam Roſarij venerunt, qui honorem Deiparæ zelantes non ceſſârunt devotionem Mariani Pſalterij augere, dilatare, promovere, agentes non tam vices operariorum, quàm ipſius patrisfamilias, utpote variîs horîs exeuntes alios operarios conducere in vineam Marianam, quorum hodie minimus ego ero.

Serm. 1. in Annunt.

N. 2. Ubi hodie Paterfamilias primo manè, horâ tertiâ, ſextâ, nonâ, & undecimâ exiît in vineam ſuam, S. Hieronymus, & noſter B. Albertus per aſſignatas horarum differentias intelligunt diverſas vitæ humanæ ætates, & conditiones, per primum manè & horam tertiam hominis adoleſcentiam & juventutem, per horam

S. Hieron. *B. Alb. M.*

ſextam & nonam ætatem virilem, & tandem per horam undecimam ſenectutem, ſeu annos decrepitos. Si igitur conformiter ad hanc gloſſam ego hodie quoque exeam in vineam Roſarij conducere operarios, primo manè, & horâ tertiâ, in adoleſcentia, & juventute jam multos intueor otioſos in foro; ſi quidem hîs annîs nihil communius advertitur, quàm pueros, & puellas, adoleſcentes & juvenculas otioſos vagari in vijs & compitis, in foro & atrijs, qui nugîs, & levitatibûs dies & horas inſumunt, jocîs, & luſibûs tempus fallunt, ineptiîs, & ſcurrilitatibûs menſes, & annos perdunt. Aliquos quidem (ſi jactura temporis excipiatur) videmus in puerilibus ſuis exercitijs non adeò eſſe culpandos, ùt ſunt illi, quibus uſitatum eſt ludere par impar, equitare in arundine longa, ædificare domos luteas, ſinè ſumptibus inſtituere convivia &c. Alij autem eò petulantiæ deveniunt, ut ſimiles reperiantur illis, quorum meminit S. Scriptura: Aſcendit
4. Reg. 2. fortè Propheta Eliſæus ad urbem Bethel, cúmque appropinquâſſet ad mænia, *pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calve, aſcende calve.* Donec tandem, Deo permittente in vindictam, egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu adjacente, & lacerârunt de turba puerorum quadraginta duos.

Sed inſenſati juvenes! Quid ſtatis hîc tota die otioſi? Ite & vos in vineam Roſarij, & quod juſtum eſt, dabitur vobis. *A-*
Prov. 22. *doleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Audite promiſſam mercedem laboris ab ipſa ſanctiſſima Roſarij
Prov. 8. Regina. *Ego diligentes me diligo, & qui manè* (puta à teneris) *vigilant ad me, invenient me. Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes*
S. Chryſol. *ſuperbæ, & juſtitia.* Quæ verba ſic explicat S. Chryſologus: Qui manè, id eſt, in prima ætatis aurora ſeſe mihi ad inſerviendum, amandúmque impenderint, invenient me præſentiſſimam, meum auxilium & patrocinium ijs lubens dabo, efficiámque, ut ſummæ perfectionis apicem attingant.

N. 3. Unde prima parentum cura eò deberet collimare, ut à primo rationis diluculo prolibus ſuis filialem venerationem in B. Virginem, firma Roſarij rudimenta, condignam *Ave* angelici æſti-
Eccli. 7. mationem ingerere ſatagerent. Ubi enim ait Eccleſiaſticus: *Filij*
Epheſ. 6. *tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Et Apo-
B. Alanus ſtolus ad Epheſios: *Educate illos in diſciplina, & correptione Do-*
in Ap. c. 15 *mini.* B. Alanus hæc ſuperaddit: *O ſi parentes proles ſuas ad*

Pſalte-

Pſalterium aſſueſacerent, quàm ad omnia tractabiles, & habiles forent experturi! Notum eſt enim, pergit B. Alanus, *Roſarium infantibus fuiſſe diſpoſitionem ad univerſam bonitatis viam, per inceptionem debitam divini ſervitij à tempore juventutis,* Et benè; ſi enim prima verba, quæ lallare, & eloqui novimus parvulos, ſunt nomen patris & matris, quidnì primum ſit quoque illorum exercitium in linea moris, ut dicant: *Pater noſter, qui es in cælis*, & *Ave* angelicô ſalutent Matrem miſericordiæ? Qua in re totius infantiæ rarum exemplum præbet Doctor & vitâ, & doctrina Angelicus, D. Thomas Aquinas, quem, infantulum adhuc, dum vellet abluere nutrix, chartulam à terra ſublatam compreſſa manu validè ipſe retinuit, quam nutrix, ut eum lavare poſſet, extrahere conata eſt. Sed illo acriter flente, nutrix pietate commota importunior eſſe noluit, ac, relictâ in manu chartulâ, illum abluit, rémque totam matri ejus Comitiſſæ indicavit; quæ ægrè tandem manum infantis aperiens chartam, in qua Angelica Salutatio ſcripta erat, abſtraxit: Is verò, eam ploratu & geſtu repetens, mox eam redditam deglutivit, in ſignum tenerrimæ illius devotionis, qua poſtmodùm toto vitæ tempore Virginem Roſarianam amplexus eſt. Simile quid divina Miſericordia clarô olim edocuit miraculô, teſte Nierenbergio. Cùm enim Ignatius Martinez, vir ſalutis animarum ſitientiſſimus, in Luſitania catechizans parvulos ſtrenuè animâſſet ad jugem Deiparæ cultum, & inter alias quæſtiones, zelô repletus, interrogâſſet; quis eorum primus vellet ſalutare Mariam? Ecce omnibûs tacentibûs infans in ulnis maternis exclamavit: *Ave Maria.*

Idem de dignit. Pſalt. c. 17.

Nierenb. not. hiſt. L. 3. c. 20.

N. 4. Aſt his luctuoſis temporibus in pueris & adoleſcentibus longè diverſa animadvertuntur, ùt ei, qui vitam, & mores, acta, & facta hujus ætatis conſiderare voluerit, ſufficienter patebit. Plurimorum quidem nomina à primis annis provida parentum ſollicitudine inſeruntur catalogo ſacratiſſimi Roſarij; aſt illi, vel nimiâ genitorum conniventiâ, vel juvenilibûs paſſionibûs abducti, ab hac devotione in brevi ita reſiliunt, ut idipſum illis ſalubre, & neceſſarium foret, quod Venerabili Dei Servo Thomæ Kempenſi in ſua adoleſcentia accidiſſe refertur. Thomas adhuc adoleſcens, dum Daventriæ ſcholas frequentaret, tenerrima devotione ferebatur in B. Virginem Mariam, omni die certîs precibûs ſalutans, & reſalutans ſuam in cælis dilectiſſimam Matrem. Ve-

In ſpec. Exempl. Diſt. 10. Exempl. 7.

rùm

rùm, ùt inſtabilis, & in omnem partem flexibilis eſt puerorum animus, ita & in Thoma ſenſim quaſi ſinè ſenſu laxiorî velô devotio Mariana cœpit navigare, ſolitum piorum ſuorum exercitiorum penſum una die intermittebat, dehinc ad duos dies, poſteà ad tres, & tandem per totam hebdomadam; donec ab ipſa Virgine fuit acriter increpatus, hoc modo. Vidit in ſomno glorioſam cæli Reginam in nubibus cæli venientem, quæ, dum facie decora, & effulgenti habitu cæteros ſcholares dulciter amplectebatur, ſolum Thomam hoc amplexu non dignabatur, ſed potius ſeveriorî eum oculô intuita dixit: Fruſtra à me amplexum exſpectas, ſancti amoris hoſtis acerbe! ubi ſunt ſolitæ preces tuæ? ubi venerationis meæ condebita exercitia? ubi mixta cordis & oris ſuſpiria? refriguit charitas, torpuit affectus, evanuit devotio, & tamen maternum favorem deſideras? Hìs dictìs beata Virgo avertens faciem, & quaſi indignabunda inquit: Abi, abi à me meîs amplexibûs indignus es, qui me venerari priùs deſiîſti. Nec fruſtranea hæc erat correptio, ubi enim Thomas paulò poſt evigilaverat, diſcutit conſcientiam, invenit culpam, proponit emendationem, quam etiam toto vitæ ſuæ tempore in ferventiſſimis Mariæ laudibus ſanctè continuavit.

N. 5. Interim Paterfamilias, ùt atteſtatur S. Matthæus, *Iterùm exiît circa horam ſextam & nonam, & fecit ſimiliter;* otioſos ſcilicet à foro avocando in vineam ſuam, cui ſi & ego me hodie aſſociavero, horâ ſextâ & nonâ, id eſt, in ætate virili, vix otioſos in veniam. A potiori omnes, dum robur virile viget (ſi paucos deſides excipias) in opere, & labore juxta ſtatum & conditionem ſuam occupantur, ruſticus in agro, miles in bello, opifex in taberna, civis in mercatura, ſcholaris in gymnaſio, medicus in xenodochio, Theologus in muſæo, Juriſperitus in Curia, Nobilis in Cameralibus, Illuſtris in Dicaſterio. Et benè;

Job. 5. *Siquidem homo naſcitur ad laborem, & avis ad volandum.* Item:

2. Theſſ. 3. *Quoniam, ſi quis non vult operari, non manducet*, addit Apoſtolus. Unde Sapiens, ut omni homini ſtatuat exemplum provi-

Proverb. 6. dentiæ, laboris, & diligentiæ, ſic ait: *Vade ad formicam, ô piger! & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Quæ, cùm non habet ducem, nec Præceptorem, nec Principem* (ſolâ naturâ duce) *parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat;* tempore nimirum hyemis. Pro cujus explicatione extat ſubtilis

Apolo-

Apologus Aphthonij Sopiſtæ, quem adduco: Cicadæ olim æſtate aſſiduis cantibus indulgebant; formicæ verò, hyemis memores, laboribus, fructibúsque colligendis operam dabant. Verùm, cùm hyems adveniſſet, formicæ iîs, quæ collegerant, paſcebantur; cicadas autem delectatio illa, & canendi voluptas eò indigentiæ, miſeriæque perduxit, ut eſurirent omnes, & fame conficerentur. Ubi autem juxta Gabriam græcum cicada à formica petebat cibum, formica repoſuit: Quid æſtate faciebas? Reſpondit cicada: Acutè cecini. Ergo, intulit formica, in hyeme nunc ſalta, nec ama cibum.

Labor proinde exercendus eſt, otium & deſidia tollenda; N. 6.
ita tamen labor exercendus eſt, ut, dum corpori laboratur, anima detrimentum non patiatur, dum Cæſari dantur, quæ Cæſaris ſunt, Deo, quæ Dei ſunt, non ſubtrahantur, dum temporalibus vacatur, non negligantur ſpiritualia. Multos enim reperire eſt, ſuis negotijs, curæ domûs, operi manuum ſuarum ita intentos, & immerſos, ut tempus non ſuppetat ad audiendam Miſſam, ad dicendum Roſarium, ad preces matutinas, & veſpertinas, utùt breviſſimas, indies peragendas. Hi ſimiles videntur Apoſtolis, ubi adhuc tepidi & frigidi in cultu divino extiterant, ùt ſacra Scriptura commemorat. Apud Lucam Evangeliſtam Petrus *Luc. 5.*
cum alijs exiît piſcari, & totam noctem in piſcando inſomnem duxit: Continuò omnes defatigabantur remigiô, rete modò ad dextram, modò ad ſiniſtram projiciebatur in mare, à veſpere usque ad manè labor irremiſſus erat, nec ulla pars quietis. E-
contra apud Matthæum Petrus cum alijs Apoſtolis, & cum Magi- *Matth. 26.*
ſtro egreſſus erat in hortum Gethſemani, & vix JEſus, progreſſus puſillum, orare cœpit ad patrem, oculi diſcipulorum jam erant ſomnô gravati, ſopor altus omnes inceſſerat, adeò quidem, ut bina vice à Magiſtro excitati bis iterùm, eo recedente, indormire cœperint. Unde ipſe Chriſtus ad dormientes: *Sic, non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?* O quot ejusmodi tepidos, & frigidos hîs quoque temporibûs videmus. Tota die in laboribus ſunt, currunt, moventur, anhelant, ſudant, defatigantur, à ſummo manè usque in ſeram noctem non quieſcunt, omnes vires impendunt, vitam ſibiipſis abbreviant, ad inſtar araneæ ſeipſos eviſcerant, ut texturâ ſuâ, & operâ divitias acquirant, de ipſis verificari poteſt, quod Propheta animalibus, à ſe viſis, attribuit.

Ezech. 1. *Et animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Ubi erat ſpiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent.* Aſt pro emolumento animæ, pro recitando Roſario, ad ſalutandam B. Virginem per aliquot *Ave*, tempus non inveniunt, omnis hora brevis eſt, nec inſtans ſuperfluum relinquitur. Per integras ſubinde hebdomadas de Roſario non cogitant, ad conciones Roſarianas per totum annum non comparent, Proceſſionibus, & Feſtivitatibus vix unquam, aut nunquam interſunt, & dum quandoque veniunt, idipſum illis exprobrari poteſt, quod Deus olim exprobravit Judæis. *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eorum longè eſt à me.* Iſai. 29.

N. 7. Sed, ô perverſi filij hominum! usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? quid capietis tandem? Sanè hìs inordinatìs laboribûs veſtrìs nihil aliud, quàm Petrus, & Apoſtoli ex piſcatione per totam noctem protracta, ùt Petrus innuit, dicens: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Ut quid proinde hîc ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam, &, quod juſtum fuerit, dabitur vobis. Maria jam dudùm apud B. Alanum copioſum fructum promiſit laboribus hominum, qui ità laboraverint, ut tamen cultum divinum, laudes Marianas, exercitia ſolita SS. Roſarij non neglexerint, dicens: *Volo, ut Pſaltes mei ſecuri vivant à maledictione, ab inopia, & ſervitute.* De antiquis Fratribus, & Sororibus Mariani Pſalterij legitur, quòd indies tria Pſalteria devotiſſimè perſolverint. Noſtris temporibus ego atteſtari poſſum, me plures nedum ex civibus, ſed etiam ex ruſticis reperiſſe, qui omni die integrum Pſalterium recitant, & dum ad labores in campos exeunt, & dum iterùm ad veſperum domum redeunt, ſemper portantes Roſarium in manibus ſuis. Adhuc plures novi, imò integros pagos, & domus, ubi nullus ad lectum ſe recipit, niſi priùs omnes ſimul ſaltem ſemel in die tertiam partem Pſalterij dixerint. Si hoc aliquibus grave ſit, ſaltem erubeſcant, ſi per integram ſeptimanam ſua tria Roſaria, ab Archi-Fraternitate præſcripta, non exſolvant, ſaltem de manè, de diè ſæpiùs etiam inter labores, & de nocte per aliquot *Ave* Reginam ſanctiſſimi Roſarij non ſalutent.

B. Alan. de laud. Pſalt. c. 6.

Porrò-

Porrò hodiernus paterfamilias *Circa undecimam exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam.* Patremfamilias & hâc horâ comitando dubitare poſſem, an aliqui otioſi deprehendendi ſint? Etſi enim non paucos noſcamus, toto tempore juventutis, & virilitatis otioſos, qui vineam animæ ſuæ excolere negligunt bonîs operibûs; multi tamen ex illis, tum vitiîs, tum ſeniô laſſati, ex ſpecialiſſima Dei gratia in ſenectute ſaniora conſilia concipiunt, ad frugem meliorem revertuntur, & ita, quod ante per torporem omiſerunt, per multiplicatas preces, per frequentatos actus virtutum, per ardentes cordis gemitus tandem in fine vitæ emendare allaborant, non diſſimiles cygnis, qui morientes cantare incipiunt, ubi aliàs toto vitæ tempore muti altùm ſiluerunt. Quod etſi laudabile ſit, & pijſſimæ divinæ Bonitati, quæ, cujus vult, miſeretur, unicè adſcribendum; attamen nec admiratione caret, nec periculô. Quis enim operariorum, aut agricolarum non ſe omnium oculis exponeret, & evidenti diſcrimini totius fructus perdendi, qui non niſi vergente in finem die exire in vineam, non niſi declinante jam ſole vites fodere, & putare, non niſi ingruentibûs ſemper nocturnîs tenebrîs palmites excolere in conſuetudinem duceret; & hoc ultimo ad vindemiam menſe, ad ſera autumni tempora? Eadem eſt conditio hominum, qui emendationem morum, bona opera, & virtutum exercitia usque ad ſenium differunt, ubi dies vitæ in finem vergunt, vires deficiunt, natura fracta dehiſcit, ſenſus hebetantur, caput debile vacillat, totus homo tædioſus & moroſus efficitur. Ad quod præcavendum benè notandum venit illud, quod olim Mechtildis, ùt in vita ejus legimus, per divinam revelationem audivit: *O ſi ſcirent mortales, quantùm quolibet die mereri, ſuámque coronam augere poſſint; ſi ſcirent, quàm pretioſum ſit æquè, ac breve tempus hujus vitæ, exultarent, & jubilarent in ſpiritu manè, dum expergiſcuntur, ac immenſas agerent gratias Deo, quòd ejus gratiâ dies illa eis illuxiſſet, quo tantos ſibi theſauros, in omnem æternitatem manſuros, comparare liceret.* N. 8. *In vita.*

Aſt ſicut paterfamilias horâ undecimâ, ita & ego in ſenectute tota die otioſos reperio, qui, veluti à teneris annis divina contempſerunt, in ætate virili mundanis ſe impenderunt, ita & decrepiti ea, quæ Dei ſunt, nauſeant, templa, orationes, con- N. 9.

ciones, Roſaria, omnem cultum Dei, & B. Virginis averſantes, veſtigia ingrata Judæorum turpiter prementes, ut exhibet S. Codex in libris Exodi & Numerorum: Poſtquàm Filij Iſraël jam ab aliquo tempore in deſerto morabantur, cœperunt murmurare contra Moyſen & Aaron, quòd educti ex Ægypto, ubi panes comedebant in ſaturitate, jam fame occiderentur in ſolitudine. *Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce ego pluam vobis panes de cælo: Egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies.* Et pluit illis Manna in abundantia, tanquam eſcam angelorum, & paratum panem de cælo ſinè labore, omne delectamen-
Sap. 16. tum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem: At non ſapie-
Num. 11. bat cibus iſte Iſraëlitis; unde dicebant: *Anima noſtra arida eſt,*
Num. 21. *nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. Anima noſtra jam*
Ibid. 11. c. *nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Rationem ipſi aſſignârunt: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cepe, & allia.* Quia ſcilicet his eſculentis à pueritia aſſueti erant, ideò Manna ſuaviſſimum non erat ad ſtomachum illarum. Simile quid in quàm plurimis ſenibus advertere licet, quia à juventute innutriuntur in vanitatibus mundi, in delicijs corporis, in terrenis deſiderijs; hinc & in ſenectute Manna devotionis non eſt ad guſtum ipſorum, juxta illud: *Quod puer aſſueſcit, ſenex dimittere neſcit.*

N. 10. Sed, ô ſenes ſtupidi! quid ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam ſacratiſſimi Roſarij. Ecce dies vitæ veſtræ pauci ſunt, anni veſtri finientur brevì, & quid ſupereſt, niſi ſepulchrum? Mors ad fores pulſat. Mors eſt certa, hora incerta. Et quid in morte erit? Vobîs ſolîs relictîs, fugient omnes & omnia. Fugiet mundus, fugient amici; fugiet perſpicacitas ab oculis, rubor à labijs, robur à manibus, agilitas à pedibus, vigor omnis à membris; fugiet ab ambitioſo honor, ab avaro opes, à laſcivo voluptas; fugient à magiſtro diſcipuli, à parente liberi, à domino famuli, à duce milites, à rege ſubditi. Parati proinde eſtote, lumbos præcingite, Roſaria in manibus tenete, vigilate, & orate: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ, Amen.* Secùs enim actum erit de vobis, ut ipſa olim clementiſſima cæli Regina edixit apud S. Bonaventuram:
S. Bonav. *Qui neglexerit me, in peccatis ſuis morietur.* Econtra, ô verba
in Pſalt. ſolatiô plena! ô verba mellea! ô verba dulciſſima! quæ pro ijs, qui

qui Mariam piè in Roſario venerantur, aſtruit aſcetarum facilè princeps Thomas Kempenſis, dicens: *Nulli debet eſſe dubium, quin pia & miſericors Mater loquetur libenter pro fideli ſervo ſuo, de mundo pergente, verbum bonum, & ſuave, placando faciem dilecti Filij ſui Redemptoris, dicens: Fili mi amantiſſime! miſerere animæ famuli tui amatoris, & laudatoris mei, de cujus ore mihi devotæ Salutationis gaudia toties annuntiata ſunt. Memor ergo eſto hujus famuli mei, & da ei nunc invenire miſericordiam coram te, me cum omnibus Sanctis inſtanter pro eo ſupplicante.* Non minùs ad conſolationem veſtram loquitur S. Bonaventura, hîs verbìs: *Ipſa Dei Mater nos libenter ſalutat beneficiô, & conſolatione, ſi nos eam frequenter ſalutamus ſervitio, & oratione: Libenter nos ſalutat cum gratia, ſi libenter eam ſalutamus cum Ave Maria.* Cui complementum ſuperaddit S. Bernardus: *Si mille Ave Maria dicis in die cum devotione, millies, à virgine reſalutaris.*

Idem in Specul. B Virg c. 4.

S. Bern.

Hiſtoria.

Operarium ſimul, & patremfamilias in vinea ſacratiſſimi Roſarij egit Ludimagiſter ille, cujus meminit B. Alanus. Hic ob magicas artes carceri mancipatus, & deſperationis motu vix non in furorem actus, edocetur à concaptivo, quàm efficax ad quæque impetranda eſſet Mariani Pſalterij oratio. Ægrè quidem, attamen continuìs preſſus ærumnîs carceris, & metu mortis quaſi compulſus, fidem adhibet, ſpémque ſuam unicè collocare cœpit in Roſario, indies illud recitando. Pauci abiêrant dies, & adeò ſe magus ſuper ſua peccata contritum ſentit in corde, ut inter mille ſuſpiria nedum ſtatuerit ſeriò vitam ſuam emendare, ſed inſuper factô votô juraverit, ſi meritîs ſacratiſſimi Roſarij liberandus foret ex vinculis, ſe toto vitæ tempore huic devotioni addictiſſimum fore. Paulò poſt B. Virgo aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, catenæ ceciderunt de manibus captivi, ſimúlque Ludimagiſter non ampliùs in carcere, ſed in loco tuto, ignoto tamen, ſubſtitit, acceptô à B. Virgine mandatô, ut votum, quod diſtinxerunt labia ejus, ritè exſolveret, & devotionem ſacratiſſimi Roſarij, cujus ope incolumis evaſiſſet, ſtre-

B. Alan. p. 5. Operis redivivi c. 35

nuè promoveret in populo. Exinde in loco, quo à B. Virgine poſitus erat, Ludimagiſtrum agens, nihil priùs habuit, quàm ut parvulos (qui magnô numerô ad ſcholas ejus venerant) in devotione ſacratiſſimi Roſarij gnaviter inſtrueret, ad cultum Marianum totos quantos inflammaret, adeò, ut Magiſter cum diſcipulis nec ſcholas inchoaret, nec terminaret, quin Mariam in Roſario devotiſſimè ſalutarent univerſi. Nec ſinè duplici Mariani Patrocinij fructu. Cùm enim poſt aliquod tempus hoſtes irruiſſent totam viciniam deprædantes; alia verò vice voraciſſima flamma totum locum depopulata fuiſſet, domus illæ, ubi parvuli, Mariani Pſalterij devotiſſimi ſervuli, habitabant, & à direptione hoſtium, & ruina incendij pœnè non ſinè ingenti miraculo ſervatæ ſunt illæſæ. Intereà, ſicut Habacuc ab Angelo, ita contigit hunc Ludimagiſtrum denuò ad alienam terram transportari, ut veluti Paterfamilias iterùm exiret, & conduceret operarios in vineam Pſalterij Mariani. Scholas igitur publicas & hîc erexit, iterúmque eo, quo olim, zelo, promovit inter parvulos exercitia ſacratiſſimi Roſarij; parvuli id referunt parentibus, parentes id inculcant domeſticis, ut nedum in brevi per totam viciniam ſacratiſſima hæc devotio propagata fuerit, ſed inſuper ipſa B. Virgo quadam die in publica Eccleſia, omnibus in Roſario congregatis, viſibiliter ſuam benedictionem impertita ſit. Denique dictus Ludimagiſter, habitu Fratrum Ordinis Prædicatorum ſuſcepto, usque ad finem vitæ non deſiìt & pro ſua parte irrequietè in vinea Roſarij laborare, & alios conducere ſibi cooperarios, donec plenus bonis operibus, & meritis accepit denarium gloriæ æternæ.

B. Alanus loc. cit.

SER-

SERMO DECIMUS TERTIUS.

Dominica Sexageſimæ.

THEMA.

Aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8.

Corda Sodalium SS. Roſarij ſunt terra bona, in qua verbum Dei affert fructum centuplum bonorum operum in hac vita, & fructum centuplum gloriæ in cælis.

SÆpiùs Chriſtus loquebatur in parabolis, nuſpiam tamen ſuam ipſe parabolam ita dilucidè expoſuit, ſicuti hodie. Poſtquàm enim aptiſſimam ſparſi ſeminis diverſitatem adduxit hìs verbìs: *Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum:* Ad inſtantiam diſcipulorum hanc addidit parabolæ ſuæ declarationem: *Semen eſt verbum Dei; qui autem ſecùs viam, hi ſunt, qui audi-* N. 1.

audiunt verbum Dei; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Quemadmodùm enim conſtat, ad agros recenter ſeminatos turmatim advolare volucres prædatrices, & voraces, ſeménque avido ore auferre; ita, dum verbum Dei in concione, in confeſſionali, in catecheſi auditum, in homine fructificare incipit, mox adeſt diabolus, illúdque de corde conatur tollere. *Qui ſupra petram* (pergit Chriſtus) *ſunt illi, qui, cùm audiêrint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum; & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt;* id eſt, qui tempore, quo ſunt in Eccleſia, avidè audiunt verbum Dei, moventur, proponunt emendationem; aſt domum revertentes eunt in antiquam ſylvam, occaſionem peccandi non devitant, à mala ſocietate non cavent; ideò quæcunque bona propoſita iterùm evaneſcunt. *Quod autem in ſpinas cecidit* (ſubjungit Chriſtus) *hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Sicut enim illius, qui per ſpinas ambulat, veſtes à ſpinis attrahuntur, lacerantur, greſsúmque ambulantis retardant, ita in ordinatus uſus divitiarum, cupiditas voluptatum, & ſollicitudines ſæculi rapiunt cor humanum, millenîs angoribûs diſcruciant, & varia impedimenta ponunt, ne injectum verbum Dei fructum afferat. Tandem concludit Salvator: *Quod autem in terram bonam, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

N. 2. Sodales Mariani! Ejusmodi terram bonam eſſe corda veſtra eò minùs dubito, quò magìs idipſum ſancta Mater Eccleſia me edocere videtur; ubi enim hæc in Miſſis Privilegiatis SS. Roſarij, quas in ſuis Miſſalibus inſertas habent Fratres Ordinis Prædicatorum, & ex indultu Pontificio frequenter per annum legendi privilegium habent, idem Evangelium, quod hodie in univerſa Eccleſia legitur, providè ordinavit, & ſtatuit; quid aliud innuere videtur, quàm quòd anima, Mariano Pſalterio devota, ſit terra illa fœcunda, in qua verbum Dei ortum facit fructum centuplum; & quidem fructum centuplum bonorum operum in hac vita, fructum verò centuplum gloriæ in cælis.

N. 3. Fructum verbi divini in terra bona, quem unicô verbô S.
Matth. 13. Lucas reſtringit ad centeſimum, gradatim declarat S. Matthæus, qui eandem parabolam refert, ampliando illum à trigeſimo ad

ſexa-

ſexageſimum, à ſexageſimo usque ad centeſimum, hîs verbîs: *Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.* Quod ita exponit S. Remigius: Semen facit fructum trigeſimum, quando bonam cogitationem inducit in animum; ſexageſimum, quando bonam locutionem producit in ore; centeſimum verò, quando in fructum boni operis exit. Quemadmodùm enim in linea mali primò menti occurrit ſimplex cogitatio, deinde delectatio moroſa & motus pravus, ultimatim verò conſummatio operis, quorum unum excedit aliud in genere malitiæ; ita in linea boni moralis primò oritur ſalutaris cogitatio in mente, poſteà refrenata inducitur cuſtodia linguæ, demùm ipſe actus virtuoſus ponitur in executione, qui eſt veluti fructus centeſimus, & in ſe continet complementum totius perfectionis. Ex his *S. Remig.*

Quis non videt, quòd verbum divinum ad inſtar ſeminis cadens in corda Roſarianorum, nedum trigeſimum, & ſexageſimum, ſed etiam fructum referat centeſimum bonorum operum in hac vita, id eſt, nedum progerminet in corde ſalutares cogitationes, in ore verba ædificationis, ſed etiam ad extra opera exquiſitæ perfectionis Chriſtianæ. Hæc veritas adeò nota erat primîs temporibûs, ubi Roſarij devotio propagari cœpit in populo, ut, ſi occurrebat juvenis innocens, puella modeſta, viri devoti, mulieres piæ, ſenes zelantes gloriam Dei, id omnium opinione uni adſcriberetur Roſario: Si in aliquo honeſtas morum, verba ſale modeſtiæ, & pietatis condîta, opera externa advertebantur eſſe virtuoſa, communi quaſi proloquio arguebatur, fructum hunc trigeſimum, ſexageſimum, centeſimum, fructum eſſe ſeminis, quod cecidit in terram bonam, ſcilicet fructum SS. Roſarij. Ita ipſa B. Virgo ad Alanum, hîs verbîs: *Tanta fuit Pſalterij fama, ut, ſi qui fuiſſent devoti, mox ab omnibus ſuſpicabantur, eſſe Fratres Roſarij.* N. 4. *B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 17.*

Unde meô judiciô non incongruè Sodales Roſariani, qui verè tales ſunt, comparari poſſunt fertiliſſimæ terræ promiſſionis, ubi & in hortis, & in agris, & in vineis non niſi fructum centeſimum cernere erat. Liquet hoc ex illo, quod legimus in S. Scriptura: Fixerat populus Dei Iſraël tentoria ſua in deſerto Pharan, & locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: *Mitte viros,* N. 5. *Num. 1.*

qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum filijs Iſraël. Moyſes divino obtemperaturus juſſui, nullâ morâ interpoſitâ, delegit duodecim, & quidem Principes viros, quos miſit ad conſiderandam terram Chanaan, & dixit ad eos: *Aſcendite per meridianam plagam, cúmque veneritis ad montes, conſiderate terram, qualis ſit, & populum, qui habitator eſt ejus, utrùm fortis ſit, an infirmus? - -* ipſa terra bona, an mala? - - humus pinguis, an ſterilis? Duodecim hi exploratores, à Moyſe conſtituti, non tardabant id exequi, quod eis demandatum fuit, aſcenderunt, conſideraverunt omnia, attoniti hærebant in contemplatione fructuum, quos terra illa paſſim protulerat, & in teſtimonium hujus uberrimæ fertilitatis abſciderunt palmitem cum uva ſua, cui in vecte portando vix duo viri ſuffecerant. Similiter de malis granatis, & de ficis illius loci tulerunt ſecum ad caſtra, quos oſtenderunt omni multitudini narrantes, & dicentes: *Venimus ad terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverâ fluit lacte, & melle, ùt ex his fructibus cognoſci poteſt: Sed cultores fortiſſimos habet. Stirpem Enac vidimus ibi* de genere giganteo: *Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.* Huic pinguiſſimæ terræ ſimillima ſunt corda Roſarianorum. Terra hæc reverà fluit lacte & melle; lacte B. Virginis, quo frequenter paſtus fuit S. Bernardus, ubi intimis ſuſpiriis ſalutavit dulciſſimam Matrem ſuam, quo confortatus fuit S. P. Dominicus, eo ipſo tempore, quo propè Toloſam deliquium patienti apparuit glorioſa cæli Regina, eique concredidit Pſalterium ſuum prædicandum: Melle verò quindecim myſteriorum Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti, quo ſaturantur Sodales Mariani toties, quoties contemplandis prædictis myſterijs operam navant. Unde de cœtu Roſarianorum dici poteſt illud: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram: Ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.* Hoc ex fructibus, quos nullo non tempore, præcipuè in initio ſuo ferventi, protulit Archi-Confraternitas noſtra, abundè cognoſci poteſt. Sic enim loc. cit. B. Virgo ulteriùs loquitur ad B. Alanum: *Introducta hac Societate ſanctitas maxima, & contemptus mundi, honor Eccleſiæ, juſtitia Principum, honeſtas communitatum, & domorum ſic vigebat, ut nullus poſſit dicere ſufficienter. Scelcſti peccatores, & mulieres in ſanctam vitam mox convertebantur, gemitúsque, & fletus dabantur in abundantia:*

Deut. 32. *B. Alan. l. c.*

Devo-

Devotionis ardor in me, & erga meum Filium ſic florebat, ut angelos in terras veniſſe fortè putares. Et quis hos fructus enumeratos omnes eſſe centeſimos negabit? Accedit, quòd idipſum quoque Mariano Pſalterio proprium ſit, quod de terra Chanaan exploratores conteſtati ſunt, nimirum: *Habet cultores fortiſſimos, ſtirpem Enac de genere giganteo, & populum proceræ ſtaturæ.* Fratres enim SS. Roſarij ſunt illi tres fortes, qui ex myſterijs vitæ Chriſti, veluti ex ciſterna in Bethlehem hauriunt aquam: Sunt inſtar Judæ Machabæi, de quo dicitur: *Induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in præliis, & protegebat caſtra gladiô ſuô.* Sunt participes elogij illius, quod Sponſus apponit Dilectæ ſuæ: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ,* quæ altitudine ſua eminet inter alias arbores, & ſignum eſt victoriæ contra omnia tentamina hoſtium. *2. Reg. 13.* *1. Machab. 3.* *Cant. 7.*

N. 6. In confirmationem vigoroſi ſeminis Roſariani in terra bona aptè deſervit, quod legimus in vita S. Dominici. Exiît hic ſanctus Pater, ut ſeminaret ſemen ſuum in Hiſpanijs, in Italia, potiſſimùm autem in Gallia, verbum divinum ferventiſſimè per annos aliquot prædicando. Aſt dum ſeminat, aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud; aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem; aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud: Pauciſſima grana ceciderunt in terram bonam, & fructum ſpoponderunt non ſinè ingenti dolore ſeminantis, qui nulli unquam labori pepercit, donec tandem S. Dominico apparuit Deipara, ſicque eum affata eſt: *Non mireris, fili mi! nam hucusque arâſti in terra non madefacta, nec compluta. Scire enim debes, quòd, quando Deus erat reformaturus mundum, præmiſit pluviam, ſcilicet Annuntiationem Angelicam: Sícque optima conſecuta eſt reformatio. Tu igitur prædica Pſalterium meum, & proficies in populo orationibûs atque ſcientiâ.* Et ecce! ex poſt facto ſemen, ſeu Roſarium prædicatum, cadens in terram bonam, mox ortum fecit fructum centuplum, ubi S. Pater ultra centum millia hominum reduxit ad frugem meliorem. Simile quid hodiedum contingit in peccatoribus impijs, & inveteratis, ubi omne verbum Dei quaſi mortuum manet, & aratur in terra non madefacta, & compluta, haud diſſimili terræ Judæorum tempore Eliæ, ubi *1. Reg. 17.* non pluebat Dominus ſuper terram annîs tribûs, & menſibûs ſex.

Tunc triſtis ubique cernebatur rerum facies, exaruerunt in montibus arbores, in agris meſſis, in vineis uvæ, in campis gramina, in hortis flores, viror, & decor omnis elanguit emortuus. Aſt hæc ſterilitas tandem mutata eſt in fructus optatiſſimos, ubi nubecula parva aſcendebat de mari, ut refert S. pagina, quæ ſucceſ- *3. Reg. 18.* ſivè accreſcens contenebravit cælos, *& nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis*, quæ emarceſcentem terram quodammodò revivificavit, & fructus, diu deſideratos, jucundè reſtituit. Eadem eſt conditio peccatoris impij, & inveterati: Omni rore cæleſti, & pluviâ gratiæ divinæ deſtitutus vivit: Omnis virtus marceſcit, omne opus meritorium elangueſcit, radix omnis boni exſiccata jacet, omnis decor ſublatus eſt, adeò, ut, quidquid agant ſeminantes verbum Dei, arent veluti in terra non madefacta, nec compluta; & hoc tamdiu, donec aſcendat nubecula parva, & ſenſim ſeſe dilatans effundat fœcundam ſupernæ gratiæ pluviam, fertilémque denuò reddat ejusmodi creſcentem animam peccatoris.

N. 7. Et quæ hæc nubecula parva? Non alia (ſenſus & communis expoſitio eſt ſanctorum Patrum) quàm Virgó Maria, quæ, parva in humilitate, gradatim per omnium virtutum actus aſcendens, accrevit in nubem magnam, & Chriſtum veluti rorem & pluviam cæli effudit, totam terram feliciſſimè impinguandô; & hoc potiſſimùm in ordine ad Sodales Roſarianos. *Angelica enim* *S. Auguſt.* *Salutatio*, teſte S. Auguſtino, *eſt nubes illa rorida, unde mundus rigatur, floret & fructificat.* Maria in Roſario per ſuam interceſſionem reſtituit peccatori divinam gratiam, fructus bonorum operum, decorem virtutis, & abundantiam meriti; ſiquidem, quemadmodùm tunc, quando Deus erat reformaturus mundum, præmiſit pluviam, ſcilicet Annuntiationem Angelicam, ſicque optima conſecuta eſt reformatio; ita & nunc, dum in peccatore præmittitur Angelica Salutatio, & devotio SS. Roſarij, jam quaſi *Foſſæus in Tract. de Roſar. L. 1. diſcurſ. 4.* pluvia fœcundans effunditur, & conſequitur deſideratiſſima reformatio. Unde Foſſæus ita cunctos Fratres & Sorores alloquitur: *Quantociùs ad Mariam propera: Mariam ociùs interpella: Dabit ipſa velut nubes pluviam, dabit lachrymarum, virtutum, & donorum abundantiam.* Foſſæo conſentit Richardus, dicens: *Devota* *Richard. L. 12. de Laud. B. V.* *invocatio & recordatio nominis Mariæ non ſolùm ducit ad virorem gratiæ in præſenti.*

Sed

Sed etiam ad virorem gloriæ in futuro; quæ eſt ſecunda pars hujus Sermonis. Et benè; fructus enim gloriæ correſpondet fructui bonorum operum hujus vitæ, juxta illud: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: Et qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Et iterùm: *Filius autem hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Magna quidem & inexplicabilis erit gloria omnium Sanctorum in cælis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, nec ullus unquam explicare poterit, ùt ipſe diabolus olim ex ore obſeſſi faſſus eſt, etſi totum cælum foret pergamenum, totum mare atramentum, omnes ſtellæ Magiſtri Pariſienſes, cunctáque ſtramina camporum calami. Unde conſideranti gloriam cæleſtem ad inſtar Simonidis Philoſophi reſpondendum eſt. Hic à Girone Siracuſanorum Tyranno interrogatus: *Quidnam eſſet DEUS?* tempus reſolvendi petiît. Dúmque in reſpondendo nimìs longam protraheret moram, admonitus, ut interrogationi ſatisfaceret, rursùs tempus ad tantam difficultatem enodandam poſtulavit. Cúmque tandem urgeretur, ſuam hac de re ferre ſententiam, & dare Dei definitionem, dixit: *Quantò diutiùs conſidero, tantò mihi videtur res obſcurior.* Eodem modo, quantò aliquis diligentiùs magnitudinem gloriæ cæleſtis in Beatis conatur penetrare, tantò magis à ſplendore radiorum obfuſcatur intellectus. Hinc exclamat David: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.*

N. 8. — 2. Cor. 9. — Matth. 16. — Pſalm 83.

Hoc tamen non obſtante, ſicut, qui plùs peccavit, plus tormentorum ſuſtinet in inferno; ita & in Beatis, qui plura accumulârunt merita, plus quoque prœmij referunt in cælis, juxta illud Pauli, dum ex profeſſo de reſurrectione mortuorum loquitur: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate.* Cùm igitur Sodales Mariani fructum centeſimum bonorum operum in hac vita colligere valeant, eidem indubiè etiam fructus centeſimus gloriæ commenſurabitur in cælis; & hoc ex ſpeciali privilegio, quo glorioſa cæli Regina, ſollicita pro clientibus ſuis, non ceſſat illos dignos reddere, ut ad altiſſimum gloriæ thronum aſcendant, ùt ipſa quondam revelabat B. Alano, hîs verbîs: *Scias, Pſaltæ*

N. 9. — 1. Cor. 15. — B. Alanus.

mei pleroſque in gloria antecedent : Communiter ponentur in prima Hierarchia.

N. 10. Cujus revelationis tres afferri poſſunt non diſſonæ congruentiæ. Prima deſumitur ex triviali diſſimilitudine, quam aves inter, & homines quotidie advertimus. Aves videmus altiſſima aëris loca occupare, plerumque longè elevatas à terris ſuperiores regiones permeare, quaſi ad ipſum cælum infimum ſeſe remigiô alarum attollere : Ubi à contrario homo in terra repit, terræ affixus hæret, in terra ſuæ habitationis locum aſſignatum habet, cùm tamen homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus ſit, ut præeſſet piſcibus maris, & volatilibus cæli. Hæc perpendens amantiſſimus Marianæ laudis Encomiaſtes Richardus ad prima incunabula volatilium deſcendit, acutè advertens, illa primum ſuum ortum ex aqua traxiſſe, juxta illud: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Cùm igitur, pergit præcitatus Mariophilus, aqua ſit ſymbolum Mariæ, cujus & ipſum nomen à mari derivatur, quis non videt, omnes, qui Mariam colunt, Mariæ, ejúsque potenti interceſſioni ſua bona opera in acceptis referunt, à Maria ſpiritualiter ad vitam æternam procreantur, ſuper alios inſtar avium elevandos fore in gloria, altiorem in cælis locum occupaturos, propiùs ad ipſum thronum Dei fore acceſſuros. Et qui ſunt hi, niſi Fratres Roſariani, qui Mariam quotidie venerantur, maternîs ejus gratiîs, & favoribûs quotidie in omni opere bono confortantur, à Maria ſpeciali titulô ſæpiùs apud B. Alanum Filii & Clientes dilectiſſimi nuncupantur? Et ideò dixit Beatiſſima Virgo: *Pſaltæ mei pleroſque in gloria antecedent : Communiter ponentur in prima Hierarchia;* id eſt, quaſi aquilæ ad gradus altiſſimos gloriæ elevabuntur. Sicut enim Maria dicitur à SS. Patribus *Aquila grandis magnarum alarum*, quæ volatu ſuo ſuper omnes Sanctos aſcendit, ita vocatur *Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, quæ extendit alas ſuas, & aſſumpſit eos, atque portavit humerîs ſuîs;* id eſt, quæ non deeſt, ut Filios & Clientes ſuos, qui ei honorem exhibent, Roſarium recitant, obolum pauperi in ejus reverentiam exhibent, Miſſæ ſacrificium offerunt, quodammodò ad volandum provocet, ſuper eos volitans alas extendat, aſſumptos in humeris ſuis portet, ut volatûs ſublimitate in altiſſimis collocentur? Ideò Clientes

Gen. 1. *Rich. l. 9.* *Gen. 1.* *Ezech. 17.* *Deut. 32.*

entes Mariani, & Sodales ſacratiſſimi Roſarij, quod Pyrrhus glorioſiſſimus Bellidux ſuis commilitonibus, ubi ab illis ob generoſi animi indolem aquila dictus eſt, reſpondit: *Per vos aquila ſum, qui veſtrîs armîs, veluti alîs, ſublevor;* atteſtabuntur olim, ſcilicet: *Per te, ô glorioſiſſima Roſarij Regina! per te aquilæ ſumus, qui tua interceſſione, tuô Roſariô, tuô auxiliô, veluti alis, elevamur*, & fructum centeſimum gloriæ in prima Hierarchia conſequimur.

Secunda congruentia prædictæ revelationis ex eo defilatur, quòd frequenter & in domibus particularibus & in aulis Principum uſuvenit. In domibus particularibus non rarò obſervamus, quòd parentes filios & filias, quas præ cæteris diligunt, à potiori ſelectiori veſtimentorum ornatu condecorare ſtudeant. Ita in S. Scriptura legimus: *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eoquòd in ſenectute genuiſſet eum: Fecítque ei tunicam polymitam.* In aulis Principum commune eſt, ut Regis, Reginæque famuli certo veſtium decore, pretiosîs inſignibûs, aliîſque extraordinariîs honorum prærogativîs ab alijs diſtinguantur. Unde, poſtquàm Regina Saba, auditâ ſapientiâ Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus, & ingreſſa Jeruſalem multo cum comitatu, & divitijs, *vidit cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, - - non habebat ampliùs ſpiritum.* Si ergo hoc ſingulari parentum affectui conſuetum eſt, ſi hoc in aulis Principum uſitatum; quantò magis hoc credendum, quòd in aula cæleſti dilectiſſimi filij Mariæ, Sodales ſcilicet Roſariani, fideliſſimi famuli, & ancillæ Reginæ cælorum à cæteris extraordinario ornatu, pretiosîs inſignibûs, & ſpecialiſſimîs prærogativîs diſtinguendi ſint? Audite, quomodò hoc ipſa cuidam Religioſo Novitio oſtenderit, qui inter alia exercitia ſpiritualia à ſuo Magiſtro admonebatur, ut indies omni poſſibili devotione diceret Roſarium. Acquievit Novitius paterno monito ſui Magiſtri, nulla die intermiſit preces Roſarianas, dubius tamen de mercede, quam exinde recepturus eſſet; & ecce! in actuali hoc dubio affuit ei B. Virgo, illique oſtendit veſtem pulchram, pretioſam, & pellucidam dicens: *Hac veſte in cæleſti gloria ornaberis, ſi meus fidelis ſervus in Roſario permaneas.* Et hoc à potiori ideò, quia juxta S. Bernardum in B. Virgine quilibet etiam cælicus ordo reperit aliquid ſpeciale gloriæ.

N. 11. *Gen. 27.* *3. Reg. 10.* *S. Bernard de Aſſumpt B. V.*

Tertia

N. 12. Tertia congruentia præfatæ revelationis factæ fundatur in ratione illa Theologorum, in qua conſtituunt inæqualitatem viſionis beatæ, quia videlicet aliqui Beati intenſiùs, alij minùs intenſè intuentur eſſentiam Dei, divináſque perfectiones, juxta illud Concilij Florentini: *Beatos intueri Deum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectiùs.* Quis autem dubitet, Sodales Roſarianos pro menſura meritorum perfectiùs intueri Deum in æterna beatitudine? Si enim, innuente S. Scriptura: *Deus dedit Danieli intelligentiam omnium viſionum*, qua arcana abſcondita in Deo cognovit ea perfectione, qua à nullo alio Propheta manifeſtata fuère; & hoc indubiè ideò, quia iterùm, atteſtante S. Scriptura, *apertîs feneſtrîs in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem tribûs temporibûs in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo;* quidnî ſimile quid de Fratribus Mariani Pſalterij conjicere liceat? Feneſtra ſiquidem Deiparæ typus eſt, quia per illam lux in domum mundi hujus introivit. Ad hanc feneſtram veri Pſaltæ indies ter flectunt genua, adorant, & confitentur coram Deo ſuo in trino Roſario, quod pro poſſibili conantur omni die perſolvere; ergo conjecturare datur, quòd & illis danda ſit intelligentia viſionum, qua abſcondita in Deo aliîs perfectiùs, & intenſiùs ſint penetraturi. Unde ſicut S. Petrus de Alcantara poſt mortem apparens S. Thereſiæ dixit: *Felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam;* ita ſi Sodales Marianos piè in Domino defunctos contingeret ad nos reverti, meô judiciô nos alloquerentur: *Felix Roſarium, quod tantam vobis in cœlis promeruit gloriam.*

Concil. Florent. in decret. de Purgat.
Dan. 1.
Ibid. c. 6.
S. Auguſt. ſerm 15. de Temp.
S. Petrus de Alcant.

Hiſtoria.

ADagium eſt: *Principium fervet, medium tepet, finis languet.* Quod idipſum, ùt in Hiſtorijs legimus, verificatum fuit in ſervo quodam Mariæ, qui ejus venerationi primò addictiſſimus erat, ſenſim autem ſinè ſenſu non duntaxat torpere cœpit in cultu Mariano, ſed in graviores tentationes lapſus omninò nauſeare Roſarium, ſeipſum ita alloquens: Quid facio? quid mercedis hucusque recepi pro omni labore, quem impendi in cultu B. Virginis, ejúſque quotidiano Roſario? Utilius mihi foret, ſi

alia

alia exercitia ſpiritualia aſſumerem, fortè majora commoda inde miſero emergerent. Diu in his cogitationibus dubijs mens perplexa modò in unam, modò in alteram partem fluctuabat. Tandem vox de cælo lapſa eſt, dicens: Serva te in humilitate, & vide, ne labaris, quia tam facilè non reſurges. Sed quæ cauſa querelarum tuarum? Reſpondit tentatus: Hæc, quòd tamdiu Reginæ ſacratiſſimi Roſarij à ſervitijs fuerim, dicendo ejus Pſalterium, & tamen ſuppetias nullas obtinui. Replicat vox cæleſtis: Edic mihi, ubi ſunt Fratres tui? nonne mortui ſunt, & tu adhuc vivis ſanus & incolumis? annon vicinorum tuorum domus incendiô periêrunt, & ædes tuas flamma non corripuit? annon parentes tui lue peſtifera ſublati ſunt, & tu ſuperſtes es, contagia neſciens? quomodò ergo aſſerere audes, quòd pro devotione tua mercedem nullam retuleris? Sed ut penitiùs innoteſcat tibi, quàm copioſa ſit merces omnium, qui Reginæ ſacratiſſimi Roſarij inſerviunt, ad cælum leva oculos tuos. Simúlque ei in cælo demonſtratus fuit locus, ſolis inſtar ſplendidiſſimus, & in eo quindecim peralta caſtella, quorum quodlibet decem pulcherrimîs turribûs ornatum erat. Miranti denuò vox cæleſtis repoſuit: En! locum hunc tu tibi ædificâſti per preces Mariani Pſalterij, quindecim caſtella ſignificant quindecim *Pater noſter*, centum quinquaginta turres denotant centum quinquaginta *Ave Maria*, quæ toties in Roſario repetiiſti. P. Hier. Taxius l. 3. cap. 53.

SERMO DECIMUS QUARTUS.

Dominica Quinquageſimæ.

THEMA.

Poſtquàm flagellaverint, occident eum. *Luc. 18.*

Infelices illi ſunt, qui Paſſionem Chriſti non meditantur; felices verò Sodales Roſariani, qui his diebus Bacchanaliorum myſterijs Mariani Pſalterij ruminandis inſiſtunt.

N. 1. PRima fronte peregrinum videtur, cur S. Mater Eccleſia, aliàs in omnibus actibus ſuis ter provida, hoc Bacchanaliorum tempore mentionem ingerat de Paſſione Domini. Potior ſiquidem hodierni Evangelij ſeries ex Paſſionis compendioſa Hiſtoria amareſcit, dicente Chriſto: *Ecce! aſcendimus Jeroſolymam, & conſumabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur; & poſtquàm flagellaverint, occident eum.* Ad quid ergo hæc in Bacchanalijs, ubi ſtultorum, & gaudiorum plena ſunt omnia? utpotè longè aptiùs hic Evangelij contextus ad tempus Quadrageſimæ, ubi dies ſunt pœnitentiæ, reſervari po-

potuiſſet? Credidero tamen, S. Matrem Eccleſiæ hodie id ordináſſe, quod in Athenienſium Curia ordinatum fuiſſe antiquorum referunt Annales. Cùm enim Codrus Athenienſium Rex Delphis audiîſſet ex Oraculo Apollinis, patriam & populum ſuum ſervari non poſſe, niſi morte Regis, non dubitavit vitam ponere pro fratribus, deponens ornamenta regia, & aſſumens habitum gregarij militis, in quo incognitus durante prælio & fortiter in hoſtes ruebat, & glorioſè demum occubuit. In hujus heroici amoris perpetuam, gratámque memoriam Athenienſes publicô ſtatutô decreverunt, ut quotannis ex Curia ſanguinolenta Codri tunica palàm exponeretur, & publicus præco hæc verba declamaret: *En! tunica Codri Regis veſtri. Memor eſto popule Athenienſis victoriæ, quæ proprij ſanguinis diſpendiô tibi parta eſt. Codre! tu vitam dediſti, ut nos viveremus.* Haud diſſimiliter in hac Dominica agit S. Mater Eccleſia. Æterni Patris Filius benè gnarus, ſalutem hominis redimi non poſſe, niſi pretiô ſanguinis ſui, cùm dilexiſſet ſuos, usque in finem dilexit eos, non dubitans amariſſima tormenta pati, ut ſalvus eſſet homo, vitam ſuam ponere, ne moreretur homo, mortem oppetere, ut viveret homo. Unde in hujus infiniti amoris perpetuam, gratámque recordationem S. Mater Eccleſia quotannis in hac die ſanguinolentam Chriſti togam palàm quodammodò exponit, facítque per præcones ſuos in cathedra proclamari: *En! tunica Chriſti Regis veſtri: Memor eſto popule chriſtiane victoriæ, quæ à Chriſto proprij ſanguinis diſpendiô tibi parta eſt. Chriſte! tu vitam dediſti, ut nos viveremus.* Et quidem perquàm appoſitè fiunt hæc in Bacchanalijs, ut ſcilicet homo, ubi totus mundus eſt in maligno poſitus, intuens ſanguinolentam Salvatoris ſui togam moveatur ad compaſſionem, & non audeat de novo eundem peccatîs illudere, flagellare, conſpuere, & occidere. Hoc pium intentum eſt S. Matris Eccleſiæ; ſed non itidem debita filiorum degenerum obſervantia, qui abſorpti in delicijs ad ſanguinolentam Servatoris ſui togam aut planè non reſpiciunt, aut, indurati in nequitijs ſuis, nec minimùm moventur. Sed, ô infelices hos! felices verò Sodales Roſarianos, qui his diebus devotiùs Roſarium amplectuntur, & myſteria Vitæ & Paſſionis Chriſti contemplantur.

Annal. Athen.

Subtile ſatìs, & ingenioſum, quisquis fuerit, delineavit Emblema, cui, tituli locò, hæc verba in capite inſcripta erant: N. 2.

Quis mundi Dominus? Ab una parte Emblematis diabolus ſub ſpecie pulcherrimi pueri depictus cernebatur, vexillum figurîs penitûs delicioſîs ornatum in manu ſua portans: Hîc videbatur Juno cum Jove inceſtuoſè congrediens; illic Mercurius furtîs implicatus, & rapinîs: Hîc Jupiter in Argi mortem conſpirans homicidium meditabatur; illic Bacchus crateres evacuans compotationibus vacabat: Hîc Mars diſcordias diſſeminans bella excitare pergebat; illic varij alij Dij ſuis flagitijs operam navabant, adeò, ut quaſi in compendio omnium Deorum vitia, tanquam facta heroica, in Emblemate intueri, & percurrere liceret. Infra hanc picturam turba copioſa, ex omni genere hominum congregata, ſequebatur ſigna diabolica, & caſtra infernalia, cum hac ex parte ſtygij Belliducis appoſita Epigraphe: *Non crucifigor, & adoror.* Ex altera Emblematis facie viſebatur Chriſtus, in crucem ſublatus, ſanguine multo ex vulneribus manuum, pedúmque profluente, cui appictus erat Pellicanus, qui roſtrô pectus dilacerans pullos proprio ſanguine enutriebat, cum addito: *Suos en! ſanguine paſcit.* Ex latere Chriſti levis, & exiguus populus aderat, qui cruce onuſtus veſtigia divini ſui Anteſignani premēbat; imò & ex his non pauci, oneris, & crucis pertæſi, paſſim caſtra, & ſigna Chriſti deſerebant, deficientes & transfugientes ad tentoria diaboli, dicentes: *Dura diſplicent, blanda placent.* Pro complemento, & declaratione totius picturæ inventor adſcripſit hæc: *Prôh nefas! Chriſtus reficiens deficit, diabolus decipiens proficit.*

N. 3. Emblema hoc hodierna quoque tempora, præcipuè hos dies Bacchanaliorum, pereleganter adumbrat. Ex una parte diabolus ſuos convocat milites, oſtendendo fornicationes Junonis, homicidia Jovis, rixas Martis, fraudes Mercurij, pocula Bacchi, aliáque mundi & carnis opera nefanda. Et turmatim, nunquam magìs, quàm nunc, accurrunt pueri, & puellæ, viri, & mulieres, anus, & ſenes decrepiti. Ex altera parte Chriſtus crucifixus elevat vexillum ſuum, exponit togam ſuam ſanguineam, & puſillus eſt grex, qui ad ſigna & caſtra Chriſti congregatur, dura diſplicent, blanda placent; ab oppoſito non pauci, qui aliàs ſtrenuè cæleſtem Belliducem ſequi videbantur, perſæpè in Bacchanalijs deficiunt, & fiunt infideles deſertores, perduelles transfugæ. Unde ſicut olim Jeremias contra domum Iſraël conqueſtus eſt, ita & nunc

Jerem. 2. juſtiſſimè conqueritur Deus: *Quid invenerunt Patres veſtri in me*

iniqui-

iniquitatis, quia elongaverunt ſe à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. - - Sacerdotes non dixerunt: Ubi eſt Dominus: & tenentes legem neſciêrunt me, & paſtores prævaricati ſunt. Prophetæ prophetaverunt in Baal, & ideò ſecuti ſunt. - - Conſiderate, & videte, ſi factum eſt hujusmodi, ſi mutavit gens Deos ſuos. Et certè ipſi non ſunt Dij; populus verò meus mutavit gloriam ſuam in idolum. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.

Et utinam hîc ſiſteret, & non ulteriùs progrederetur malitia N. 4.
hominum in his Baccho dicatis ferijs! Non enim multis ſufficit Chriſti ſigna turpiter deſerere, ad hoſtem tartareum nefandè tranſire, ſed inſuper ei, cui fidem in baptiſmo jurârunt, violentas affectivè injiciunt manus, peccatis ſuis *rurſum crucifigentes* Heb. 6.
ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes, ait Apoſtolus, renovantes vulnera, renovantes dolores pientiſſimi Salvatoris ſui, agoniam montis Oliveti in oblatione calicis amariſſimi per immoderatas compotationes & ebrietates, flagella & denudationem corporis ſanctiſſimi per oſcula, tactus, aliáque opera abominanda Veneris denudatæ, coronam ſpineam, & illuſionem in larvis aſſumptis, & ſertis iniquæ vanitatis, crucis impoſitionem, dum in dorſo ejus fabricant peccatores, ipſam crucifixionem per conſtantem inimicitiam crucis Chriſti illorum, *quorum finis interitus*, Philipp. 3.
quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Unde ſat doloroſè inſonant in auribus Chriſtianorum lamenta illa Salvatoris noſtri amantiſſimi apud S. Bernardum S. Bern.
hîs verbîs: *Nónne ſatis propter vos vulneratus ſum? nunquid pro iniquitate tua afflictus ſum? cur addis afflictionem afflicto? Magis me aggravant vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei.*

Hæcque malitia tanta eſt etiam in æſtimatione diaboli, ut, N. 5.
illâ motus, in præcitato Emblemate audeat contra Chriſtum inſurgere, eique illudere, hôc modô: En! quanta turba ſtipat latus meum, quàm celeri gradu totus ad me currit mundus. Ego pro hominibus nullos ſubivi dolores, ſpinas caput meum non ſenſit, manus & pedes clavîs perforati non fuêre; ego neque flagellatus fui, neque crucifixus, neque ullam ſanguinis gut-

tulam effudi; & tamen cuncti mihi adhærent, cunctis libet ſub vexillo meo militare, ſub me ſua mereri ſtipendia. Quid tibi profuêre flagra, corona ſpinea, ſputa, illuſiones, opprobria, crux &c.? Mundus dura averſatur, ſuavia & delicioſa amplectitur: Hìs triumpho, hîs omnia ad meipſum traho, hîs mundum ſubjugo.

N. 6. Et quid ad hæc vos, ô cæci & inſenſati Mundiophili! an ſanguinea Servatoris veſtri toga non commovet viſcera indurati cordis? non emollit affectus ſaxeos? non ſcindit medullas oſſium? non excitat à ſomno mortis? An hodiedum eſt verum illud, quod in Paſſione & morte Salvatoris contigit, ubi terra tremuit, ſol obſcuratus eſt, ruptæ ſunt petræ, velum templi ſciſſum, ſepulchra aperta fuerunt, ſolus autem homo commoveri non potuit?
Iſa. 63. Annon quæritis cum Iſaia: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* An & vos inter illos, de quibus jam dudùm conquerebatur Deus veſter:
Pſalm. 141 *Conſiderabam ad dexteram, & videbam: Et non erat, qui cognoſceret me.*

N. 7. Aſt ſi Paſſio Domini JEſu Chriſti non moveat, moveat vos ſaltem damnum proprium, quod ex negligentia, & omiſſione ſaluberrimæ hujus meditationis incurritis, ubi maledictio in vos
Marc. 11. jam lata eſt in figura, quam legimus apud Marcum: Exiît Chriſtus cum diſcipulis ſuis à Bethania regreſſus in Jeruſalem. In via, dum eſuriret, vidit non procul ſecùs viam ficulneam, foliîs pulcherrimîs exornatam, ramos altos & denſos undequaquam dilatantem, fructus uberrimos promittentem. Acceſſit, fructus inquiſivit, ſed nihil invenit, niſi ſola folia, ſpeciem decoris externi, frondes inanes. Unde non immeritò indignatus maledixit arbori infructuoſæ, eámque ab illo momento areſcentem igni deſtinavit comburendam. Sed qui hoc rei, Sanctiſſime Redemptor? quid arbor peccavit, quòd, te eſuriente, poma non habuerit, quorum necdum tempus advenerat? Addit ſiquidem S. Marcus: *Non enim erat tempus ficorum.* Deinde, eſto, hæc arbor fructum non tulerit, tamen plures aliæ terram occupant, ex quibus nullus unquam fructus ſperandus eſt. Inutilis eſt rubus, infructuoſa pinus, ſterilis cypreſſus, & ſic de cæteris, numerô vix explicandis:

Nihil-

Nihilominùs nec ullibi invenimus, te maledixiſſe rubo, pino, cypreſso, aliive arborum, vel plantarum germini; ſola ficulnea tuo maledicto ſubjacet, & areſcit. Quid hoc myſterij? Nodum aptè reſolvunt S. Bonaventura, & Venerabilis Beda. Doctor Seraphicus per ficulneam, extra viam poſitam, intelligit hominem dulcedini mundanæ deditum, delicias ſæculi amantem, idem fermè ſentientem, quod ficus ſenſit, ubi imperium ſuper alias arbores ipſi delatum eſt: Recuſando enim hoc ficus reſpondit: *Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructúsque ſuaviſſimos, & ire, ut inter ligna promovear.* Ejusmodi homo eſt extra viam poſitus, pergit S. Bonaventura, quia viam carnis tenet, non viam ſpiritûs, viam obliquam, non viam rectam, viam peccatorum, non viam juſtorum. Penès hanc viam, præſertim hoc Bacchanaliorum tempore, eſuriens tranſit Salvator noſter, intuetur ficulneam pulcherrimìs foliìs exornatam, & fructus ſpondentem copioſos, quia homo chriſtianus eſt, homo in Eccleſia collocatus, homo donîs cæleſtibûs affatim locupletatus, homo Chriſti ſanguine impinguatus. At ſolìs foliìs contentus non eſt, fructus eſurit bonorum operum, fructus inquirit congruos ſtatui, fructus exſpectat ſanctiſſimæ ſuæ Paſſionis, effuſi ſui ſanguinis, amariſſimæ mortis in cruce, per frequentem ſcilicet ſuorum dolorum memoriam & contemplationem. Si ergo fructus nullos inveniat, quid mirum, ſi inopinata ſuperveniat maledictio, & talis arbor infructuoſa æternum deſtinetur ad ignem, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Unde Venerabilis Beda ſic concludit: Arefecit Dominus arborem maledictô, ut homines hoc videntes, ſive audientes multò magis intelligerent, ſe divinô condemnandos eſſe judiciô, ſi absque operum fructu, de plauſu tantùm ſibi religioſi ſermonis, velut de ſonitu, & tegumento viridantium blandiuntur foliorum. Arbor non peccavit, ſed peccavêre homines, qui in domo Domini negotia ſæcularia gerebant, & fructum pietatis, quem debuerant, quémque in eis Dominus eſuriebat, ferre ſuperſederant; qui conſiderandæ Paſſioni Salvatoris ſe applicare negligunt.

Bonavent. ſerm. 1. Dom. 7. poſt Pent. Venerab. Bed. Hom. 7. in Quadrag. Judic. 9.

Ven. Bed. l. c.

N. 8. Sed, Sodales Mariani! ſinamus mortuos ſepelire mortuos ſuos. Ego vobis gratulor de felicitate veſtra, ſi his diebus ſolitô magìs preces veſtras multiplicaveritis, in contemplandis myſterijs Vitæ & Paſſionis Chriſti ferventiores extiteritis. Quemadmodùm namque filij hujus ſæculi peccatîs renovant, & refricant vulne-

vulneraRedemptori ſuo; ita & vos eſtis,qui per Roſaria veſtra do-
In vita. lores lenitis. Liquet hoc ex vita S. Gertrudis, cui in hac ipſa olim Dominica Quinquageſimæ divinus Sponſus ſe conſpicuum dedit, flagellis totus dilaceratus, & inter duos latrones infamiter circumductus, quorum unus acerbiſſimas ſpinas capiti impreſſit, & doloroſiſſimè ſanctiſſimam faciem dilaniavit. Sancta Virgo, funeſto hoc ſpectaculo piè mota, cœpit amarè flere, & tremula voce à Dilecto petiit; an ergo nullus leniendi doloris locus ſupereſſet? Omninò, repoſuit Dilectus. Si quis amaram Paſſionem meam devoto, & compaſſivo cordis affectu ad mentem ſeriò revocaverit, ſéque exinde in animo compungi ſentiens, pro peccatoribus Deum precatus fuerit, is utique ſuaviſſimum afflicto cordi meo emplaſtrum conficiet, quo mediante meus hic dolor mitigari, lenior ac tolerabilior fieri poteſt. Felices proinde vos, Sodales Roſariani! Vobis datum eſt in doloroſo Roſario Paſſionem Chriſti devotè meditari; vobis datum eſt in Pſalterio veſtro indeſinenter pro peccatoribus orare; vobis media quotidiana ad manum ſunt, ut ſuaviſſimum conficiatis emplaſtrum, quo dolor JEſu lenitur; præcipuè hoc Bacchanaliorum tempore, quo ipſe, ſicut olim ſe itidem S. Gertrudi manifeſtavit, apparet in ſimilitudine infirmi & languentis, ſuſpirans & clamans: *Fulcite me floribûs, ſtipate me malîs, quia amore langueo.* Id eſt: Fulcite me floribûs Pſalterij Mariani, ſtipate me roſîs Archifraternitatis veſtræ, quia amore languens à vobis exhilarari deſidero.

N. 9. Ad hujus rei pleniorem intelligentiam notandum ex S. Scriptura, quòd nullibi reperiatur, gratioſiſſimum Salvatorem adeò hilarem, jucundum, & ſerenum ſe exhibuiſſe, ſicut in monte Thabor, ubi facies ejus facta eſt ſicut ſol, veſtimenta ejus ſicut nix,
Matth. 17. ſimúlque vox Patris ſuper eum intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sed quæ hujus lætitiæ cauſa,
Luc. 9. hujus ſerenitatis origo? Sanctus Lucas rationem indicat, dicens, in monte Thabor transfigurato Filio hominis aſtitiſſe duos viros, nimirum Moyſen & Eliam, qui loquebantur cum eo, *& dicebant exceſſum ejus, quem erat completurus in Jeruſalem*; id eſt, addunt SS. Patres, exceſſum amoris, exceſſum Paſſionis, exceſſum truculentiſſimæ mortis, quem poſteà in Jeruſalem complevit Filius hominis. Et iſte diſcurſus, iſta ſermocinatio, memoria Paſſionis unica erat cauſa, cur adeò hilaris, jucundus & ſerenus

viſus

viſus fuerit in monte Thabor. Sicut enim homines, dum in converſationibus grata, & placita afferuntur, læto vultu, ſerenîs oculîs, erectîs auribûs aſtant, ita & Salvator noſter facta mentione de exceſſu Paſſionis ſuæ ſummoperè gaudebat, plurimùm exhilarabatur. Hanc eandem animi jucunditatem cauſant Deo ſuo incarnato Fratres Roſariani toties, quoties meditando myſteria ſacratiſſimi Roſarij quodammodò cum eo loquuntur de exceſſu, quem complevit in vita, Paſſione, & morte ſua; de exceſſu in Nazareth, ubi Rex regum, & Dominus dominantium ſibi elegit matrem pauperrimam, de cujus patre dicitur: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* De exceſſu in domo Zachariæ, ubi infans ligatus in utero materno infantem Joannem nondum natum ſolvit à vinculo originali; de exceſſu in Bethleem, ubi, in ſplendoribus ſanctorum genitus, in ſtabulo denuò inter bruta animalia naſci dignatus eſt; de exceſſu in templo, quando ſecundùm conſuetudinem legis offerri voluit, & redimi, qui nunquam legi ſubditus erat, & quidem ad normam pauperis, in quo omnes theſauri ſunt abſconditi; de exceſſu in Jeruſalem, quando inter Doctores repertus cum Maria & Joſeph venit in Nazareth, & erat ſubditus illis, de quo dictum eſt: *Mare, & venti obediunt ei.* De exceſſu in horto Gethſemani, ubi ſanguineo ſudore deturpatus pavere & tædere cœpit, in quem deſiderant angeli proſpicere; de exceſſu in prætorio Pilati, ubi virgîs cæſus, flagellîs dilaceratus, Lemma habuit: *Non eſt ſpecies ei, neque decor*, qui appellatur *ſpecioſus præ filijs hominum;* de exceſſu inter milites, ubi ſpinîs coronatus illudebatur, qui gloria & honore coronat Sanctos ſuos; de exceſſu in bajulatione crucis, ubi ponderi ſuccubuit, qui *tribûs digitîs appendit molem terræ, & librat in pondere montes, & colles in ſtatera.* De exceſſu in monte Calvariæ, ubi mortua vita fuit, ut mors in morte vinceretur.

Pſalm 111. *Matth. 8.* *Iſa. 53.* *Pſalm. 44.*

Accedit, quòd his diebus Roſariani non ſolùm diminuant dolores Redemptori ſuo, ſed & cumulum meritorum ſuorum plurimùm augeant. Cùm enim præfata S. Gertrudis tempore Bacchanaliorum orationibus, ſilentio, mortificationibus corporis, aliiſque ſpiritualibus exercitijs ferventiùs incubuiſſet, vidit JEſum ſedentem in throno, & Joannem Evangeliſtam ad pedes ejus ſcribentem. Quærenti S. Gertrudi, quid ſcriberet, reſpondit Dominus JEſus hoc modo: Ego ſingula obſequia, ab hominibus per hoc tempus mihi impenſa, & impendenda, curo annotari, ut, cùm ego, cui Pater omne N. 10.

In vita L. 2.

judicium dedit, unicuique poſt mortem fideliter reddidero mercedem bonam pro operibus bonis, & ſuperaddidero menſuram confertam ex fructu Paſſionis, & mortis meæ, ducam eos cum hac charta ad Patrem, ut ex paterna benignitate ſuperaddatur eis menſura coagitata, & ſupereffluens pro beneficijs mihi exhibitis in hac perſecutione, qua à mundanis tempore Bacchanaliorum infeſtor. Si enim Rex David, qui omni tempore non prætermiſit benefacere his, qui ei addicti erant, die mortis ſuæ appropinquante, ubi regnum ſuum depoſuit in manus Salomonis, filio ſuo energicè recommendavit filios Berzellai, dicens: *Filiis Berzellai Galaaditis reddes*
3. *Reg.* 2. *gratiam, erúntque comedentes in menſa tua; occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalon fratris tui.* Quantò magìs ego omnium fideliſſimus non obliviſcar compenſare his, qui mihi fideles fuerint in adverſitate hac, quæ mihi hìs diebûs imminet ab univerſo mundo? Siquidem, ſicut à quovis gratiùs acceptatur beneficium, exhibitum in adverſis, quàm in proſperis; ſic magìs & ego accepto fidelitatem, quæ mihi modò exhibetur, dum mundus plùs peccando me magìs offendit.

N. 11. Notate verba, ſignate dicta, ab ore æternæ Veritatis prolata. S. Joannes Evangeliſta ſedens ad pedes JEſu omnia opera bona, hìs diebûs facta, diſtinctim annotat: Magiſter cæleſtis cunctis annotatis addit valorem Paſſionis, & Mortis ſuæ. Hoc modo valorata deportat ad Patrem ſuum clementiſſimum, ut eis ſuperaddatur menſura coagitata & ſupereffluens. Quàm copioſum ergo erit meritum & præmium noſtrum, ſi preces noſtras hoc tempore multiplicabimus, in meditatione myſteriorum Mariani Pſalterij ſolitò magìs perſeverantes pergemus? Berzellai Galaadites unus erat ex ijs, qui Regi David, ejusque militibus, ubi à facie rebellis, & degenerantis filij
2. *Reg.* 17. ſui Abſalon profugus factus eſt, tulerunt *frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer.* Et David jamjam agonizans memoriam hujus à Galaadite recepti beneficij ſecum emori neutiquam paſſus eſt, ſed Salomoni filio, & ſucceſſori ſuo præcepit, ut in ſignum grati animi nedum patrem, ſed & filios gratijs & favoribus ſuis recommendatos, imò & in menſa regia ſibi commenſales habere meminiſſet. Adhuc ampliorem recompenſationis portionem promittit Chriſtus ijs, qui ipſi fideles fuerint tempore Bacchanaliorum, qui nunc à latere ejus non diſceſſerint, conſtantem ei famulatum præſtiterint.

Eja

Eja igitur, Fratres Roſariani! Jungamus preces precibus, addamus Roſaria Roſarijs, compaſſivo corde recogitemus ſanctiſſima myſteria Salvatoris noſtri, cujus hodie ſanguinolentam togam S. Mater Eccleſia exhibet. Merces noſtra multa erit in cælis. Vocate cœtum, congregate Conſodales, ſanctificate dies hos, premite veſtigia Romanorum, quibus conſuetum erat ad publicam vexilli bellici expoſitionem turmatim concurrere, ad bella ſe accingere, non niſi arma parare & meditari. Unde ait Cicero: *Vexillô opus eſt, & convolabunt.* Hoc autem inprimìs tunc contigit, ut annotat Tacitus, & cum Tacito S. Iſidorus, quando exponebatur vexillum coccinei coloris, dictum Phœniceum, quia in eo Phœnix depicta erat. S. Mater Eccleſia hodie vexillum rubei coloris protendit, togam Chriſti JEſu ſanguine ab integro purpuream, & conſperſam. In hoc vexillo Phœnix depicta eſt, & quidem cæleſtis: Sicut enim Phœnix unica eſt; ita Chriſtus JEſus unicus Patris æterni, & Matris temporalis Filius fuit. Sicut Phœnix & igne naſcitur, & igne moritur; ita Dominus noſter, ardenti amoris igne accenſus, ex immortali mortalis, ex æterno temporalis, ex incomprehenſibili comprehenſibilis, ex Creatore creatura fieri dignatus eſt, & inter homines converſari; poſteà verò eodem charitatis ardore æſtuans in infami crucis trabe pro ſalute hominum mortuus eſt, & denuò ad inſtar alterius Phœnicis poſt mortem revixit. Sicut Phœnix omne venenum abominatur, & ideò in ſola arbore, quæ cinnamomum dicitur, nidificat, quia hæc ab omni veneno immunis eſt, nullum virulentum animal ad ramos ſuos admittit, imò cuncta venenata longè ab umbra ſua repellit; ita Chriſtus omne virus peccati ſummoperè deteſtatur, & ſolîs roſîs hîs diebûs deſiderat fulciri, quæ ab omni veneno peccatorum immunes ſunt, delicias mundi, & carnis non admittunt. Accurrite ergo, ad bella adverſùs Principes tenebrarum vos accingite, arma parate, globulos ſcilicet Marianos, arma cogitate, quibûs Dominus veſter victor evaſit, nempe myſteria Vitæ & Paſſionis.

N. 12. — *Cicero.* — *Tacitus.* — *S. Iſidor.*

Hiſtoria.

Efficaciſſimam eſſe contemplationem Paſſionis, & mortis Domini noſtri JEſu Chriſti, communis eſt omnium SS. Patrum conſenſus cum Origene hîs verbîs: *Ubi mors Chriſti animô circumfertur,*

Origenes.

fertur, non poteſt regnare peccatum, nec triumphare concupiſcentia. Argumentum hujus habemus noviſſimum. Neapoli ante pauciſſimos annos puella nobilis, & prædives ab adoleſcente paris nobilitatis in conjugem petebatur. Jam in id conſenſerant utrinque parentes, propterea pro connubialibus pactis, ex utraque parte ſtabiliendis, in unum convenientes. Interim puella, in camera ſua ante pendentem è cruce Chriſtum proſtrata, altioribûs cogitationibûs cœpit agitari, & divinioribûs flammîs accendi. Quid, ajebat, quid ago, JEſu Fili Dei, & hominum amator? Siccíne, dum tu carnem tuam innocentiſſimam tam atrociter tractas, ego voluptates, licèt in conjugio licitas, conſectabor? Siccíne, dum tu vulneribus, & ſanguine deformaris, ego formæ excolendæ, ego gemmîs & monilibûs exornando corpori operam dabo? Non fiet hoc; facto quaſi cum S. Catharina Virgine & Martyre hoc propoſito: Sponſum potentem, ſpecioſum, & glorioſum habeo in cælis; an ergo eligam ſponſum infirmum, deformem, monſtroſum, mortalem, ignobilem in terris? Hîc dictîs continuò ſibi præſcidit comam, eâque ad pedes Crucifixi appenſâ, illam ipſam effigiem manu gerens, è camera egreſſa eſt; & quidem recto pede ad conclave, in quo congregati erant ſponſi, ſponſæque parentes, ut pro firmando matrimonio ultimam manum apponerent. Dein animoſa puella ad matrem converſa, non eſt, inquit, domina, quòd de conjugio meo ulteriùs agatis: Ecce! Sponſus iſte meus eſt, quem elegi, & cujus pedibus crines meos, tanquam arrhas, appendi. Huic me offero; ipſe enim eſt Deus meus, Amor meus, Sponſus meus. Mira hinc inter omnes præſentes turbatio, confuſio, alteratio: Admirantur aliqui, fremunt & indignantur alij, elingues aſtant univerſi: Sed tamen penès Chriſtum, novámque ejus Sponſam ſtetit victoria.

Similis victoria erit penès nos, ſi in meditatione myſteriorum ſacratiſſimi Roſarij his diebus ſeduli perſeverabimus.

In Annalibus S. J. Pannequin p. 2. c. 16.

SER-

SERMO DECIMUS QUINTUS.

Dominica Prima Quadrageſimæ.

THEMA.

Ductus eſt JESUS in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Per Roſarium Sodales aut à tentationibus præſervantur, aut in iis confortantur.

Militia eſt vita hominis ſuper terram. Hoſtis noſter quotidie ſtat in acie; & quidem adeò pollens viribus, ut ipſi comparati, juxta teſtimonium Spiritûs ſancti, *ſimus quaſi palea, & lignum putridum in ordine ad ferrum;* hoſtis jam dudùm in prælio exercitatus, ſex mille fermè annis adversùs hominem obarmatus. Omnia genera tentandi, omnes artes, & inſidias dejiciendi, uſu ipſo vetuſtatis didicit, tot, tantósque Heroes jam aggreſſus eſt, ut, qui victores terrarum evaſerunt, ipſi victas manus dederint. Opportunitas pugnæ illi paſſim obvia eſt: In divitijs, ut per abuſum non tam ab homine poſſideantur, quàm ipſæ cor hominis dominativè poſſideant: In paupertate, ut per injuſta contra Deum murmura ſuo ſtatu contenta non ſit, concupiſcat & rapiat aliena: In ſanitate, ut homo ſui amans, tem-

N. 1.

Job. 1.

poralia appetens, obliviſcatur æternorum: In infirmitate, ut animus, inordinatâ exuberans triſtitiâ, à bono deficiat: In vigilia, ut homo obdormiſcat in peccatis: In ſomno, ut mens, variîs phantaſiîs agitata, evigilet ad delectationem: In cogitatione, verbo, & opere, ut miſeri mortales in omnibus motibus ſuis ſinè fine aberrent à fine. Imò eò audaciæ jam proceſſit hoſtis humani generis, ut ipſum Dei filium hodie ſuîs tentationibûs ter aggredi auſus fuerit. Vidit ſuam ſuperbiam per humilitatem Chriſti penitùs calcatam, omnem cupiditatem carnis per jejunium quadraginta dierum eliſam, mentem uni Deo per continuatas in eremo orationes unitam; nihilominùs de felici ſucceſſu non deſperavit improbitas. Tentat Chriſtum in deſerto de gula: *Dic, ut lapides iſti panes fiant.* Tentat Chriſtum in pinnaculo templi de ſuperbia, ut, vanâ inflatus gloriâ, ſe mittat deorſum, exſpectans occurſum angelorum, qui manus ſupponant. Tentat Chriſtum in monte excelſo de cupiditate, & avaritia, oſtendens, & promittens omnia regna mundi, ſi cadens adoraret eum. Non ſolitudo eremi, non ſanctitas templi, non altitudo montis, non innocentia perſonæ cohibuit audacem, quin congreſſum tentaverit; & hoc ad noſtram doctrinam, ut diſcamus, neminem in hac vita à tentatione ſecurum fore, non eremitas in deſertis, non ſacerdotes in Eccleſiis, non paſtores in montibus, non juſtos in opere ſuo. Unde exclamat S. Hieronymus: Erras, erras, frater, ſi putas Chriſtianum unquam perſecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri, licèt in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: Magnus hic campus montes habet: Intùs incluſum eſt periculum, intùs eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite, antenna figatur, tranquillitas iſta tempeſtas eſt. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum. Hinc non abs re erit, ſi hodie Roſarianos per Pſalterium ſuum ita privilegiatos aſſeram, ut aut à tentationibus diaboli præſerventur, aut in iis deſuper confortentur.

S. Hier. Tom. 3. Ep. 1. ad Heliod

N. 2. Adeò commune eſt, hominem in hac vita in continuo verſari conflictu, ut effatum ſit Magni Gregorij: *Non ſolùm unus ſpiritus malus electorum ſingulis, ſed innumeri deputantur.* Rationem aſſignat S. Auguſtinus hîs verbìs: *Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſinè tentatione, quia profectus noſter fit per*

S. Greg. M. S. Auguſt. ſuper Pſal. 20.

per tentationem, nec quiſquam ſibi innoteſcit, niſi tentatus, nec poteſt coronari, niſi vicerit, nec vincere, niſi certaverit, nec certare, niſi inimicum, & tentationes habuerit. Unde quò magìs aliquis in virtutibus proficere nititur, eò fortiùs ipſi pugnandum eſt. Hoſtis enim noſter, teſte S. Gregorio, tantò ampliùs nos impugnare contendit, quò magìs ab ipſo diſcedimus; eos verò pulſare negligit, quos quieto jure ſe poſſidere novit, ad eum fermè modum, quo piſcator grandiores piſces, minoribûs contemptîs, attentiùs ineſcat, pyratæ naves, ditiùs onuſtas, invadunt, prætermiſsîs minùs habentibûs, præliantes plùs Ducem, & Officiales petunt, quàm militem, latrones, non ubi fœnum, & paleæ, & calamus, ſed ubi aurum & argentum eſt, ibi fodiunt, & continuò vigilant. *S. Greg. L. 29. moral.* *Similia.*

N. 3. Hoc non obſtante certum eſt, hominem, ſi non ex integro, ſaltem ex parte per ſpecialem Dei miſericordiam, per interceſſionem Sanctorum, per protectionem B. Virginis ſæpiùs præſervari à tentationibus, maximè ab iis, quæ plus videntur in ſe periculi habere, & potentiores ſunt ad hominem inducendum in peccatum, ùt & ex varijs hiſtorijs liquet, & ego de altiſſimo Auguſtiſſimæ ſacratiſſimi Roſarij Reginæ patrocinio ſuper Sodales ſuos aſſerere nullatenùs dubito; & quidem fundamentô deſumptô ex eo, quod de naturali flore roſarum atteſtantur medici, ipsâque experientiâ luculenter compertum eſt, ſcilicet ad morſus rabidorum canum arcendos exquiſitius, & efficacius præſervativum, & antidotum non reperiri, niſi roſa melle condita. Canis rabidus eſt dæmon, dum tentat hominem, quia ſumma rabie latrans, & mordens circuit, & cuique obvio venenatos dentes infigere quærit. Canis eſt, ait S. Aſterius, & quidem ſimilis cani illi in fabulis Æſopi. Sicut enim hic, carnis fruſtô è faucibus abjectô, illius umbram, quam in præterfluentibus aquis conſpexerat, eſt inſectatus; ita diabolus, cùm eminentiſſimam Archangeli dignitatem, & ordinem obtineret, dum DEO ſimilis eſſe voluit, nec divinitatem, quam captabat, adeptus eſt, & Archangeli, quo fulgebat, honorem amiſit. Canis rabidus eſt, quia ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Chriſti quoslibet aggreditur, & inſuper caninâ aſtutiâ ex ea potiſſimùm parte appropinquat, ubi commodiùs putat, dentes ſuos infigere poſſe. Novit enim infernalis beſtia, ait S. Leo, cui carnis illecebras ingerat, cui virus invidiæ in- *S. Aſterius* *S. Leo.*

fundat,

fundat, cui incitamenta luxuriæ apponat; novit, quem mœrore conturbet, quem gaudiô fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit mores, omnium ventilat cauſas, omnium ſcrutatur affectus; & ibi quærit locum nocendi, ubi viderit quemlibet diligentiùs occupari.

N. 4. Aſt, Sodales Mariani! nolite timere canem hunc rabidum. Timor inordinatus plùs nocet, quàm prodeſt. Sicut enim nauta, *Simile.* quando ad exortas procellas animô concidit, ad regendam navim eam, quam debet, animoſitatem, & robur priſtinum non habet; ita animus, ſi timori, puſillanimitati, & ſcrupulis cedat, aut frequentioribûs tentationibûs obruetur, aut victoriæ amittendæ periculum incurrit. Vobis medium, & antidotum contra morſus canis rabidi efficaciſſimum ad manum eſt, nempe roſa melle condita, Roſarium unà cum meditatione Myſteriorum Vitæ & Mortis Chriſti, ubi hujus roſæ, & mellis odorem ſentit infernalis beſtia, non audet accedere, non audet dentes exerere, non audet *S. Auguſt. Serm. 179. de temp.* minas facere. Tunc vel maximè verificatur illud S. Auguſtini: Alligatus eſt diabolus tanquam canis innexus catenis, latrare poteſt, mordere non poteſt, niſi volentem, niſi eum, qui per voluptates & cupiditates ſæculi voluerit ſe ipſi conjungere, mortifera ſecuritate ad eum accedere. Expertus hoc eſt S. Joannes Baptiſta. Etſi enim hodie tentatus fuerit ipſe unigenitus DEI Filius, tentati fuerint Apoſtoli, tentati Martyres & Confeſſores, tentatæ Virgines & Viduæ, ùt paſſim tum in Scriptura, tum in Vitis Sanctorum res eſt patula, nullibi tamen legitur, quòd Cerberus *S. Ambroſ.* tartareus auſus fuerit tentationis morſum intentare S. Joanni Baptiſtæ. Et quare hoc? Ideò, reſpondet S. Ambroſius. In domo ejus, in nativitate ejus, poſt nativitatem ejus aderet B. Virgo *quaſi tribus menſibus*, poſtquàm viſitavit Eliſabeth matrem Joannis; ideò in præſentia ejus infans ungebatur, & quaſi bonus Athleta exercebatur in utero matris, ut eum aggredi non præſumpſerit tentator diabolus. Eodem modo, Sodales Roſariani, & vos uncti eſtis in præſentia B. Virginis ab illo tempore, quo nomina veſtra dediſtis catalogo Mariani Pſalterij: Oleô ex roſis, & melle confectô toties perfundimini, quoties Roſarium veſtrum cum contemplatione Myſteriorum perſolvitis: Odor roſarum, & mellis ex ore, ex manibus, ex veſtimentis veſtris toties redolet, quoties floridum precum veſtrarum ſertum Mariæ nectere cogitatis. Quid ergo

mirum,

mirum, ſi rabidus canis avernalis non audeat vobis appropinquare? ſi à morſu, & tentationibus ſaltem in plurimum præſervemini?

In robur horum dictorum aptè inſervit, quod Ariſtoteles narrat de quibusdam locis monti Æthnæ finitimis, præſertim de quadam vicinia, & amœnitate ſitûs, & ubertate fructuum commendatiſſima. Nedum enim, ait Ariſtoteles, in his campis (indubiè ob calores intenſos montis ignivomi) per totum anni decurſum, etiam in media hyeme, ubi omnia gelu rigent, invenire eſt perpetuum virorem, fructus floridos, & maturos mira ſuavitate arridentes; ſed & illud mirabile, quòd, dum venatores illuc conveniunt, canes venaticos emittunt, qui indefeſsè feras inſequuntur, ſi fera ad hos campos recurrat, mox canes, fragrantiâ loci deterriti, animal dimittunt, inſequi ceſſant, & rectâ viâ ad venatores retrocedunt. Cani venatico jam dudùm diabolum comparavit S. Anſelmus. Dum enim hic S. Epiſcopus iter ageret, & cum ſuis ſocijs per ſylvas eques proficiſceretur, contigit, ut eodem ſimul tempore in locis ſui tranſitûs venatio haberetur. Conclamabant ruſtici, reſonabant cornua, currebant hinc inde canes, fixîs oculîs aſtabant in ordine venatores. Inter hæc lepuſculus, cane inſequente, erumpit ex dumetis, pavet, currit, & quidem rectâ viâ, celerrimo pede, ad equum ſancti Antiſtitis, abſcondit ſe ſub pedibus equinis, ibique aſylum quærit, canem perſequentem fortunatè eludens. Quo viſo S. Vir ad ſuos converſus hoc morale eruit. En! inquit, en lepuſculum hunc! Eo modo, quo hoc innocuum animal canem ſe perſequentem habet; ita hominis veſtigia moloſſus infernalis premit, poſt eum currit, eum perſequi non deſinit. Sed ubi aſylum? Ad crucem Domini confugiamus, ſub cruce Redemptoris abſcondamur, ſub cruce ſecuritas. Ego ulteriùs addo, Sodales Mariani! Ad Mariam in Roſario curramus, Maria præ cæteris in Roſario eſt Refugium peccatorum, Conſolatrix afflictorum, Auxilium Chriſtianorum. Ita B. Alanus: *Pſalterium Mariæ cunctis diaboli machinamentis adverſatur, & inquinamentis.* Imò plùs aſſero: Si ſub protectione glorioſæ Reginæ ſacratiſſimi Roſarij, in ejúsque Archi-Fraternitate perſeverantes manebimus, vix canis ſtygius audebit ad nos appropinquare, ſuìs tentationibûs nos inſequi, ſi non ex integro, ſaltem magna ex parte, ab aſſultibus illius canis liberi erimus, à cujus morſu præſervari intenſiſſimè flagitat David: *Circumdederunt me canes multi - - erue*

N. 5. *Ariſtot. de admirand. audit.*

S. Anſelm.

B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 8.

Pſalm. 21.

erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis unicam meam.

N. 6. Ratio hujus eſt, quia Archi-Fraternitas noſtra eſt campus fertiliſſimus, hortus amœniſſimus, omni tempore floridîs & maturîs fructibûs abundans, cujus fragrantiam canis venaticus infernalis nauſeat, refugit, abominatur, nec à longè ad illam appropinquans. Et quidem Archi-Fraternitas noſtra campus fertiliſſimus, hortus amœniſſimus eſt propter finitimos calores montis Æthnæ, JESU ſcilicet, & Mariæ. Quidnì enim Æthna eſt ſymbolum JESU? quia, ſicut mons iſte ignes emittit, ita Salvator noſter atteſtatur: *Luc. 12.* *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Quidnì Æthna eſt ſymbolum Mariæ? ait doctiſſimus ſymbolorum *Picinelli.* congeſtor Picinelli. Sicut enim mons Æthna, è latere candidiſſimam nivem, ad radices dulciſſimos fructus, geminúmque virorem conſtantem oſtendens, Lemma habet: *Vireſcit, & albeſcit;* ita Maria geminô prodigiô ſimul & puriſſimam virginitatis nivem, & *S. Ilde-* fœcundiſſimum maternitatis fructum præſentat. Unde S. Ilde- *phonſ. de* phonſus: *Ecce! inſolitô modô, inſolito ordine, in una perſona, in* *Virg. Ma-* *uno corpore alternat honor Matris & Virginis: Alternat in gene-* *riæ c. 2.* *rante Virginitas, & in Virgine generandi facultas. Neutrum impeditur ab invicem.* Et ex his Æthnis noſtræ Archi-Fraternitatis fertilitas, fructuum abundantia, florum amœnitas, odoris fragrantia, quam adeò horrent, deteſtantur, & expaveſcunt canes venatici, ab orco emiſſi: Et ab his Æthnis illa virtus, ut in Archi- *4. Reg. 11.* Fraternitate noſtra ſecuri latitent Sodales, veluti Joas abſconditi ab altera Joſaba, Maria ſcilicet, contra furorem, & iram Principis tenebrarum; veluti David in domo Michol, elabentes de manibus quærentium animas eorum; veluti Jonas in ventri ceti, illæſi & integri; veluti Daniel in ſpecu leonum, ſalvi & incolumes; *Plutarch.* ſicut cerva illa, de qua Plutarchus, quæ à Cæſare plurimùm dile- *in vita* cta, ne in venatorum tela, vel manus incideret, in torque impreſſa *Alexand.* geſtabat verba hæc: *Noli me tangere, quia Cæſaris ſum.* Iîſdem quippe verbîs ſibi inſcriptîs gloriantur Fratres Roſarij: *JESU & MARIÆ ſumus, noli nos tangere.* Unde callidus animarum venator diabolus tam facilè non audet ad illos ſuîs tentationibûs accedere, non præſumit tela inſidiarum ſuarum ad ipſos detorquere, rete malitiæ ſuæ ad eos capiendos extendere. Regis regum ſunt,

à

à Regina ſacratiſſimi Roſarij plurimùm diliguntur; ideò ſaltem in multis à gravioribus tentationibus privilegiantur.

Dixi: *Saltem in multis;* quia hominem immunem eſſe omni tentatione, non eſſet utile: Quemadmodùm enim carnes, ſi ſale non aſpergantur, corrumpuntur, veſtimenta, ciſtæ incluſa, ſi non diſcutiantur, à tinea corroduntur, aquæ in paludibus, ſi non agitantur, computreſcunt; ita anima hominis, ſi non ſuîs aliquando tentationibûs quatiatur, moveatur, & quaſi ſaliatur, paulatim pigreſcit, deſidiâ diſſolvitur, & putrefit in otio. Econtra ſicut triticum, quò frequentiùs per cribrum ventilatur, purius efficitur, lapides & marmora eò commodiùs ædificio adaptantur, quò crebrioribûs tunſionibûs elaborantur, arbores eò profundiùs in terra radices agunt, quò validioribûs ventorum turbinibûs concutiuntur; ita & homo per temporaneas tentationes magis purificatur, exornatur, in omni bono firmatur, ad modum militis non domi, vel intra muros, ſed in prælio, & in acie comprobatus. Hunc in finem non dicam, Confratres Mariani Pſalterij præſervari ab omni tentatione dæmonis; addam tamen, ingruentibûs tentationum aſſultibûs Roſarianos eo gaudere ſolatio &c. ut ſecurè confidant, ſe ſpeciali favore, gratia extraordinaria, virtute altiori confortandos & confovendos fore à Maria. Mihi enim videtur Sodalibus Marianis id applicari poſſe, quod in Annalibus Britanniæ legimus de Arcture pijſſimo ejusdem regni Monarcha. N. 7. *Similia.*

Arctures continuò à vicinis Anglis infeſtatus, perpetuîs bellîs laceſſitus, viribûs ſuîs ſucceſſivè quaſi penitùs attritus, eò demùm devenit, ut ſeſe propemodùm regni imperiô exutum cernens ſeriò cogitare, & conſultare cœperit, qua via ſuis hoſtibus potenter occurrere, patriam generoſè defendere, ſéque in ſolio ſuo glorioſè manutenere poſſet. Verùm nullum conſilijs his executioni demandandis expediens & ſufficiens reperiebatur medium, omnia in pejus vergebant, & ultimum videbantur minitari exitium. Quare Arctures ad Divam Virginem converſus in ea, quæ terribilis eſt ùt caſtrorum acies, omnem ſpem ſuam firmiter collocavit, propthereà jubens, ut in inferiori ſcuti ſui parte pulcherrima B. Virginis imago depingeretur. In hanc imaginem ex poſt facto, quoties cum hoſte congreſſurus erat, oculos ſuos conjiciebat Arctures, ab illáque intimîs ſuſpiriîs opem implorabat. Nec fruſtra; nullum enim deinceps committebatur prælium, quo N. 8. *Annal. Britan.*

Rex Britanniæ, fuſo hoſtium ſuorum exercitu, non evaſerit victor, Marianô deſuper auxiliô ad vota confortatus. Una ſolùm die contigit, quòd cruento in certamine Arctures, viribus impar, jamjam viderit dextrum exercitûs ſui cornu totaliter deletum, ſiniſtrum verò citatîs paſſibûs fugam meditari. Aſt regius Mariophilus mox inverſo clypeo, oſtenſáque Mariæ Virginis imagine ſic ſuos milites eſt allocutus: *Ne formidetis ingruentem humanis viribus hoſtem, ecce! qua nos militamus, per hanc triumphus ſtabit ex parte noſtra.* Dictum, factum. Milites enim ad intuitum ſanctiſſimæ imaginis, ſimúlque verbîs Regis ſui animati, ùt furibundi leones in hoſtiles phalanges irruerunt, & totum exercitum proſtraverunt. Ob quam memorabilem victoriam poſt clypeo illi inſculpta ſunt verba hæc: *Maria ſalus patriæ;* éſtque DEO conſecratus, ac in templo in Virginis honorem extructo appenſus: Et hoc Arcturis ſucceſſores dudùm in cunctis prælijs uſi inſignibûs ſæpè ſæpiùs potiti ſunt victoriîs.

N. 9. *Applicatio.* Sodales Roſariani! Frequenter accidit nos undique infeſtari à ſpiritibus malignis, iteratò laceſſiri ad bella, ita atteri in ſenſibus externis & internis, in intellectu & voluntate, ut actum eſſe videatur de nobis. Et quid in tanta neceſſitate remedij? quid in hoc facto auxilij? Ah! Arcturis Regis conſilium arripite, & ad Mariam in Roſario confugite: Ipſa ſit ſola ſpes noſtra, ipſa duce viriliter contra hoſtes dimicate, & indubiè victoriam impetrabitis; etenim data eſt ei omnis poteſtas in cœlo, & in terra. A Maria validiſſima turre Davidica, ex qua pendent mille clypei, ſcutum Roſarij depromite, in hoc clypeo ſcriptum legimus: *Maria ſalus patriæ, Maria ſalus infirmorum, Maria auxilium indeficiens.* Quæ ultima verba Myrtillus, generoſiſſimus Græcorum Dux, ſuo clypeo inſcripſit, poſtquàm ſub patrocinio Minervæ nunquam niſi adeptô triumphô, & ad internecionem usque deleto hoſtili agmine è campo regreſſus fuit, mutato tamen nomine, Mariæ locò, nomen Minervæ more gentilium clypeo apponens.

N. 10. Non diffidite, Sodales dilecti! præter auxilium indeficiens glorioſæ Reginæ ſanctiſſimi Roſarij, plures quoque ex parte noſtra ſunt, qui junctîs viribûs, unitìs manibûs nobiſcum pugnant adverſùs Principes tenebrarum harum, quàm fortè gloriantur inimici ſuis

ſe

ſe numerare in caſtris, ita, ut idipſum hodiedum in favorem noſtrum fiat, quod refert S. pagina. Rex Syriæ pugnabat contra Iſraël, & poſtquàm conſilium iniîſſet cum miniſtris ſuis, ut inſidias ponerent Iſraëlitis, eósque ex improviſo dolô tenerent, factum eſt, ut Propheta Eliſæus, cuncta per revelationem divinam edoctus, mox Iſraëlitis denuntiârit, ſícque univerſa Syrorum machinamenta irrita fecerit, & inania. Hæc reſciens Rex Syriæ, protinùs in furiam actus, miſit equos, & currus, & robur exercitûs ad civitatem Dothan, ubi tunc Eliſæus diverterat, ut eum de nocte obruerent, vinctúmque ad caſtra Syrorum deportarent, digna morte mulctandum. Altô, & dulcî ſomnô ſopitus erat Propheta: Puer autem ejus de manè conſurgens, & videns in circuitu civitatis & equos, & currus hoſtium, clamare cœpit, & ejulare: *Heu! heu! heu! domine mi, quid faciemus?* Evigilavit inter hæc Vir DEI, neutiquam tamen conturbatus, ſed potiùs omnem inimicorum potentiam fortiter contemnens, reſpondit puero: *Noli timere; plures enim nobiscum ſunt, quàm cum illis. Cúmque orâſſet Eliſæus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit dominus oculos pueri, & vidit: Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Hæc omnia in figura contigerunt antiquis, nunc autem myſticè adimplentur in fidelibus. Unde fermè ſimile quid legimus in Rosweido de priſtinis novi teſtamenti eremicolis. Inter alios Abbas Moyſes perpetuis illuſionibus, præſtigijs, & impugnationibus diaboli pænè ſuccumbens jam eò devenerat, ut fugam meditaretur ex eremo, & manum ab aratro retrahere cogitabat. At periclitanti ſubveniebat Iſidorus, eremi pientiſſimus cultor; & quidem hoc viſu. Ex una parte IſidorusMoyſi oſtendit quotidiana humanarum tentationum pericula, & vitæ hujus mortalis multiplicata gravamina, ex altera parte verò copioſa divinæ gratiæ auxilia, & deſideratiſſimas ex alto in arena ſuppetias. Cùm enim Abbas Moyſes juxta nutum inſtructoris ſui Iſidori oculos deflexiſſet in Occidentem, vidit ex latere illo immenſam dæmonum multitudinem, qui ad capiendos homines laqueos expediebant, ſtruendis inſidijs indefeſſam operam navabant, ad aggreſſum omni inſtanti aſtabant parati. Paulò poſt folium vertebat Iſidorus, & Moyſen reſpicere juſſit ad Orientem. Et ecce! longè majorem ibi cernere erat copiam angelorum, cœleſtiúmque ſpirituum, qui à contrario in

4. Reg. 6.

Rosweid.

ſuccurſum, in defenſionem, in confortamen hominis tentati aderant, & debilem in ſpem victoriæ erigebant.

N. 11. Idem momentaneè experiuntur Sodales ſacratiſſimi Roſarij. Etſi enim ex una parte, ex latere Occidentis, magnô numerô inſtent hoſtes infernales technîs ſuîs, minîs, & inſultibûs; etſi ſæpiùs contingat hominem in ſuis preſſuris exclamare cum puero Eliſæi: *Heu! heu! heu! domine mi! quid faciemus?* Aſt nolite timere. Ecce! *Mons plenus equorum, & curruum igneorum in* S. Gregor. *circuitu.* Mons miniſtrat arma, ait S. Gregorius, ad defenſionem Prophetæ Eliſæi præparata, ut cognoſcamus Virginem Deiparam armamentarium eſſe, quod arma ſubminiſtrat, quibûs ſervi DEI & proteguntur, & vincunt inimicos. Nolite timere. Aſtat à dextris Regina ſacratiſſimi Roſarij in veſtitu deaurato, in quo veſtitu Pſalm. 44. Mariam à dextris DEI aſtitiſſe vidit David: Id eſt, legit S. Hie- S. Hieron. ronymus, in veſtimento ſcutilato, cui varia intexta ſunt ſcuta ad morem antiquæ gentilitatis, quæ veſtes ſuorum Heroum variîs ornabat immixtîs ſcutulîs, & in ſcutulis depicta exprimebat acta Varro. & facta illorum, quæ olim laudabiliter geſſerant, ùt teſtatur Varro. In ejusmodi veſtimento aſtat Regina ſacratiſſimi Roſarij plena ſcutîs, & in ſcutis centena, & millena cernere eſt acta, & facta, quibûs ſuos Roſarianos ſemper defendit, roboravit, exaltavit contra omnes diabolorum tentationes. Nolite timere. Ad Orientem cum Maria aſtant quaſi tot angelorum turmæ, quot ſunt Fratres & Sorores ſacratiſſimi Roſarij in univerſo mundo, omnes parati in ſuccurſum, ad ſuppetias, ad bellandum nobiſcum, quoniam cuncti pro invicem diu, noctúque, orant: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Sancta Maria, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ, Amen.* Omnes armati ſunt, & quodammodò lapidibûs impetunt, & fugant hoſtes tartareos ad eum modum, quod id Joſue 10. ex Scriptura notum eſt. Quinque Reges conſertìs viribûs inſurrexerant contra Iſraël, nempe Rex Jeruſalem, Rex Hebron, Rex Jerimoth, Rex Lachis, Rex Eglon ſimul cum exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt circa Gabaon. Inter hæc autem apparuit Dominus DEUS Joſue, & dixit ei: *Ne timeas, in manus enim tuas tradidi eos; nullus ex eis tibi reſiſtere poterit.* Irruit ergo Joſue magnô animô in fœderatos Reges, & cùm illos commiſsô prælió egiſſet in fugam, addit S. Textus: *Dominus miſit ſuper eos,* (fugi-

(fugientes ſcilicet) *lapides magnos de cœlo usque ad Azeca: Et mortui ſunt multò plures lapidibûs grandinis, quàm quos gladiô percuſſerunt filij Iſraël.* Cœlum Maria eſt, ait S. Damaſcenus; lapides magni & ponderoſi, etſi in ſeipſis exigui, ſunt globuli Sacratiſſimi Roſarij, quos paſſim in manibus tenent, digitíſque volvunt Confratres Mariani Pſalterij; & hi ſunt, qui non ceſſant unita vi lapides de cœlo mittere, lapidibûs hoſtes infernales impetere, perſequi, triumphare, toties videlicet, quoties mutuîs pro invicem precibûs orant, ne intremus in tentationem. *S. Damaſcen. Orat. 1. de Nat. B. Virg.*

N. 12. Unde pro concluſione verba Chriſti Domini, quibûs nos contra tentationes obarmat, adduco: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem; ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Vigilate,* addit S. Auguſtinus, *corde, vigilate fide, vigilate ſpe, vigilate operibûs; & orate mente, orate ore, orate ſocietate.* Id eſt: Orate mente, meditando Myſteria ſanctiſſima Vitæ, & Paſſionis Chriſti: Orate ore, preces Mariani Pſalterij devotè repetendô: Orate ſocietate, convenientes ad Congregationem, ubi in Eccleſia Roſarium alta voce recitatur. *Matth. 26. S. Auguſt. Serm. 23. de Verb. D.*

Hiſtoria.

DUriſſima eſſe certamina illorum, qui, poſtquàm diaboli jugo ſe mancipârunt, abjecta autem poſtmodùm ejus ſervitute, ad Chriſti confugiunt caſtra, ipſâ experientiâ ſat comprobatum novimus. Huic conformiter, ubi Bonnæ propè Coloniam Vir quidam concubinarius ſeipſum in camera ſua ex deſperatione ſuſpendit, œconoma ejus, & concubinaria, nomine Alheidis, facto hoc nefando adeò turbata, & territa fuit, ut alienô periculô cautior ex arena ceperit conſilium, mundo tergum verterit, & Monaſterio ſe incluſerit. Statim autem, ut monitîs Eccleſiaſtici uteretur, neceſſe fuit: *Fili, accedens ad ſervitutem DEI, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Diu noctúque ei inſidiabatur diabolus, ut vix non Alheidi impoſſibile videretur, tentationibus tanto impetu ingruentibus ulteriùs reſiſtere. Aliquando accidit, ut neo-converſa in dormitorio per feneſtram proſpexerit, & ecce! dæmon in forma ſpecioſi juvenis *Eccl. 2.*

ad

ad fontem inferiùs ſtabat, & mox tabulato fontis innixus ad feneſtram conabatur aſcendere, caput proſpicientis ſua manu apprehenſurus. Territa Alheidis in clamores validos prorupit, & concurrentibûs Sororibûs tota debilitata ad lectum deportatur. Vix autem abiêrant Sorores, & dæmon larvâ ſtygiâ ſub ſpecie formoſi juvenis ſe repræſentat, promittens, ſi Alheidis in voluntatem ejus peccaminoſam conſentiret, ſe procuraturum fore ei nuptias prædivites, & nobiles, imò omnia ad proprium votum, & nutum toto vitæ tempore. Aſt ſurdæ cecinit: Alheidis pede, quo cœpit, in via mandatorum immobiliter ſtetit, nec cum uxore Loth ad relictam Sodomam oculos reflexit. Diabolus interim perrexit ſolitô plùs ſuîs inſtigationibûs, illuſionibûs, & tentationibûs miſeræ adeò importunus eſſe, ut præ anguſtia ſpiritûs vix ampliùs reſpirare poſſet. Tandem Sorores, compaſſione motæ, perſuadent tentatæ duo: Inprimìs, ut ſemper penès ſe aquam luſtralem paratam habere, cujus aſperſione ſeſe contra tentantem muniret, & aggredientem in fugam averteret: Secundò, ut ingruente tentatione illicò Roſarium in manus ſumeret, altáque voce pronuntiaret Salutationem Angelicam. Bonum conſilium, fortiſſima arma! Vim aquæ luſtralis faſſus eſt ipſe diabolus, exclamans apud moribundum: *Maledictus ille, qui primus hanc aquam introduxit!* Salutatio Angelica, & preces Roſarij tantæ erant efficaciæ in Alheide, ut tentator aliquoties confuſus imposterùm non ampliùs auſus ſit redire. Cæſarius Ord. Ciſt. Tit. *Confeſſio.* Exemplô 11.

SER-

SERMO DECIMUS SEXTUS.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

T H E M A.

Bonum eſt; nos hîc eſſe, faciamus tria tabernacula. Matth. 17.

Sodales Roſarij per tres Pſalterij partes ædificant ſibi tria tabernacula, in quibus bonum eſt eſſe.

FElices hodie æſtimandi ſunt Petrus, Jacobus, & Joannes, quos præ alijs Apoſtolis Chriſtus ſuæ in monte Thabor factæ Transfigurationi intereſſe voluit, cujus rei variæ à SS. Patribus adducuntur rationes congrui. S. Joannes Damaſcenus exiſtimat, omnes quidem Apoſtolos cæteros hujus prærogativæ fuiſſe dignos, ſolùm autem Judam Iſcariothen ob ſcelera ſua indignum. Unde, ne ipſe ſolus excluſus pateretur aliquam ſui nominis infamiam, unà cum ipſo & alij Apoſtoli Transfigurationis gratiâ privati fuerunt. Lucas Burgenſis ideò opinatur, tres prænominatos hunc favorem fuiſſe conſecutos, quia Petrus paulò ante egregium Salvatori ſuo dedit teſtimonium, dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi;* & ideò gloriæ Chriſti intereſſe meruit, Jacobus, ex collegio Apoſtolorum primus, pro Chriſti fide vitam & ſanguinem erat expoſiturus; ideò præ reliquis prælibata gloriæ cœleſtis dulcedine erat

N. 1. *S. Joannes Damaſc.* *Luc. Burgenſ.* *Matth. 16.*

erat ad mortem animandus. Joannes prævidebatur cunctos alios Apoſtolos in longam annorum ſeriem ſuperviĉturus; ideò, ut aptior, & ſolidior eſſet ad confirmandos in fide fideles, in teſtem vivum gloriæ Chriſti fuit aſſumptus. Didacus Stella præordinationem trium Apoſtolorum, ut Transfigurationis ſplendore bearentur, ex eo deducit, quia hi ipſi tres Apoſtoli erant, qui initiô Paſſionis agoniæ & ſudori ſanguineo ſui Magiſtri in monte Oliveti intereſſe deberent; ideò, ne animô caderent, aut in fide titubarent, prævia oſtenſione Divinitatis confirmati ſunt. S. Joannes Chryſoſtomus totum refundit in ſingularia merita horum trium Apoſtolorum: Petrus præ alijs tenerrimè diligebat Magiſtrum ſuum, non dubitans propterea ipſum citare in teſtimonium ſuæ dilectionis, inquiens. *Domine, tu ſcis, quia amo te!* Joannes erat diſcipulus ille, quem diligebat JEſus, & ex privilegio amoris ſupra pectus Domini in cœna recubuit: Jacobus zelô honoris DEI ardebat præ cunctis: Petrus erat, cui concredendæ fuerant claves regni cælorum: Joannes, cui erat committenda DEI Mater poſt mortem Filij: Jacobus, qui primum Martyrium pro Magiſtro ſuo ſubiret: Ideò illis gratia facta eſt, ut in hodierna Transfiguratione etiam in hac vita prægustarent aliquam portionem cœleſtis beatitudinis. Ubi Chriſtus transfiguratus eſt ante eos, reſplenduit facies ejus ſicut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix per oſtenſionem quadruplicis dotis corporum glorioſorum, quæ in Beatis, juxta mentem S. Vincentij Ferrerij, ſeptuplô ſole majorem lucem, ſplendorem, & claritatem præſeferent. Unde non mirum, quòd Petrus in delicijs tantæ gloriæ penitùs abſorptus exclamârit: *Domine, bonum eſt, nos hîc eſſe, faciamus hic tria tabernacula!* Similem felicitatem hodie vendicabo Sodalibus Roſarianis, quia & hi per tres Pſalterij Mariani partes tria ſibi ædificant tabernacula, in quibus bonum eſt eſſe.

Didac. Stella in c. 9. Luc.

Joann. Chryſoſt. Hom. 57. in Matth.

S. Vincent. Ferrer. in Dom. in Albis.

N. 2. Quòd Fratres ſacratiſſimi Roſarij tria ſibi præparent beatæ viſionis tabernacula, ipſe DEUS hoc modo manifeſtare dignatus eſt. Quidam devotus Mariæ ſervus diu anceps, & perplexus hærebat in mente ſua, num Mariani Pſalterij tanta eſſet efficacia, tanta dignitas, & tantus valor, quantus à Concionatoribus proclamabatur ex cathedris, audiebatur in populo, percrebreſcebat per urbes & regna? In hac ambiguitate conſtituto una die cœlum aperiebatur, & in cœlo triplex demonſtrabatur tabernaculorum ambitus ad modum

dum triplicis civitatis diſtinctæ. Prima civitas ex auro puriſſimo, & probato cernebatur ædificata, gaudioſis nati Salvatoris Myſteriis paſſim, & artificioſè exornata. Secunda civitas elevatior eminebat, conſtructa ex pretioſis, & pellucidis margaritis, quæ præſentabant amaram Chriſti Paſſionem, & doloroſa in cruce morientis inſtrumenta. Tertia civitas adhuc altiùs erigebatur ex materia incognita, quaſi tota ex fulgentiſſimis ſtellis, quæ exhibebat glorioſum Chriſti reſurgentis triumphum, & ampliſſimam in cœlum aſcendentis gloriam. In qualibet tabernaculorum parte cernere erat quinquaginta turres, quæ ſplendorem vix explicabilem civitatibus addiderunt: Per ſpatium intermedium ſcala ſe extenderat quinquaginta graduum, mirô artificiô elaborata, per quam de una civitate ad aliam amœniſſimus erat tranſitus: Intùs congregati videbantur innumeri Sodales Mariani Pſalterij, qui ſinè intermiſſione pergebant in Roſario ſalutare glorioſam cœli Reginam. Hæc fixìs oculìs contemplanti angelus aſtitit, dicens: En! hæ ſunt condignæ Confratrum ſacratiſſimi Roſarij manſiones. Qui in Mariano Pſalterio devotè ſe exercent, per unamquamque Salutationem Angelicam gradum faciunt ad ſanctiſſimam Trinitatem, ubi Mater Unigeniti partes clientum ſuorum agit, & ſibi inſervientes copioſâ remuneratur gloriâ in perpetuam æternitatem.

Porrò, quod hîc in viſu, id jam olim pientiſſimus DEUS videtur nobis indigitâſſe in figura; legimus enim de populo Judaico ex captivitate Babylonica Jeroſolymam redeunte: *Invenerunt ſcriptum in lege, DEUM præcepiſſe in manu Moyſi, ut habitent filij Iſraël in tabernaculis in die ſolemni, menſe ſeptimo, & ut prædicent, & divulgent vocem in univerſis urbibus ſuis, & in Jeruſalem: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt. Et egreſſus eſt populus, & attulerunt, & fecerunt tabernacula.* Notate verba, ſignate myſteria! Juſſi ſunt Judæi ſibi conſtruere tabernacula, & quidem ex frondibus olivæ, ex frondibus myrti, ex ramis palmarum; quod ſanè, meô judiciô, absque cauſa, absque myſterio factum non fuit, ſed potiùs ad noſtram doctrinam, & eruditionem Sodalium Marianorum, qui ſibi per tres Roſarij partes trina ædificant tabernacula.

N. 3.
2. Eſdræ 8.
Levit. 23.

N. 4. Oliva, teſte Pierio, antiquis uſitatum erat ſymbolum miſericordiæ & manſuetudinis. Unde illi, qui pacem annuntiabant, vel de pace acturi ad alios mittebantur, ramos olivæ manibus ſuis præferebant, & capiti innectebant. Pariter, dum hominis irati animum emollitum, & ad veniam inclinatum vellent ſignificare, oleæ ſurculum ramis quercinis immiſcebant, & ſociabant, ad innuendum, jam omne diſſidium ſublatum eſſe, quo aliàs quercus, & olea adeò inter ſe contrariari dicuntur, ut altera in alterius ſcrobe implantata ociùs emoriatur. Oliva, teſte Plinio, tumores ſanat, fiſtulis non duntaxat vitia extrahit, ſed inſuper ijs medendis eſt pharmacum præſentiſſimum. Similiter oliva, teſte præcitato Pierio, mira pollet virtute emolliendi ferrum, illúdque, ſi nimìs indureſcat, uſui fabrili adaptandi. Olivæ ſeipſum comparat Chriſtus JEſus hìs verbîs: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo DEI.* Quod confirmat Jeremias: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen tuum.* Quod maximè verificatur de Chriſto in Incarnatione, & Myſterijs gaudioſis, ubi parvulus natus eſt nobis, & vocatum eſt nomen ejus *Princeps pacis;* ubi plenus miſericordia & manſuetudine immortalis odij diſſidium, quod tot ſæculis inter Deum & hominem duraverat, compoſuit, & fecit utraque unum inflexibilis quercûs ramum ſociando ſurculo olivæ, id eſt, divinam Juſtitiam cum divina Miſericordia; ubi reclinatus in præſepio, & viliſſimis involutus pannis tumorem humanæ ſuperbiæ compreſſit, fiſtulis inveteratæ malitiæ jamjam computreſcentibus vitia extraxit, illáſque ſanavit; ubi cœlum ferreum, quod jam olim minitabatur DEUS: *Dabo vobis cœlum deſuper, ſicut ferrum;* ſua gratia, & virtute emollivit, hominíque adaperuit. Et ad hanc olivam toties Fratres ſacratiſſimi Roſarij egrediuntur, quoties primam Mariani Pſalterij partem abſolvunt: Ab hac oliva tot frondes ſcindunt, quot in contemplandis gaudioſis Myſterijs pias in corde concipiunt cogitationes: Ab hac oliva quaſi columba Noëtica reportant in ore ſuo ramos olivæ virentibûs foliîs in ſignum ceſſantis diluvij, ſeu iræ divinæ, iíſque ſibi primum conſtruunt tabernaculum.

Pierius. *Plinius.* *Pſalm. 51.* *Jerem. 11.* *Levit. 1.*

N. 5. Non minùs apportant frondes myrti Fratres Roſariani, quas ad erigenda ſua tabernacula conquirere juſſi ſunt ab ipſo DEO Judæi. Myrtus frutex potiùs eſt, virgultum, & arbuſcula, quàm arbor, perpetuò tamen virens, exuberans ſuccô rubeô, qui expreſſus diſſo-

lutum

lutum ſtomachum conſortat, & lapſis ex alto eſt antidotum peraccomodum. Inſervit myrtus hortis in ornamentum, dum in varias per abſciſſionem ſurculorum efformatur figuras, & amœnitati hortorum addit ſplendorem. Ideò Lemma habet apud Philippum Picinelli: *Ex vulnere decor*. Myrti ſimilitudinem Chriſtus in Paſſione ſua habuit, ubi verè erat arbuſculum exiguum, ùt ipſe fatetur: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectis plebis;* perpetuò tamen virens, quia ſicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum: In Paſſione ſuccô rubeô exuberavit, quo diſſolutum per pomi eſum humani generis ſtomachum nervosè confortavit, & lapſis ex paradiſo cœleſti pharmacum optatiſſimum factum eſt, juxta illud: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* In Paſſione varimodè conſciſſus fuit, flagellîs penitùs deturpatus, ſpinîs dilaceratus, clavîs perforatus, & *ex vulnere decor*, & ornamentum Eccleſiæ. Et ex hac myrto, quam jam dudùm promiſerat DEUS: *Dabo in ſolitudine myrtum;* Fratres ſacratiſſimi Roſarij frondes colligunt, dum in ſecunda parte Mariani Pſalterij occupantur, doloroſa, amaræ Paſſionis Myſteria compaſſivo corde contemplantur, Chriſtum ad montem myrrhæ ſequuntur, & ſub crucis umbraculo ſecundum ſibi conſtituunt tabernaculum.

Pſalm. 21. — *Iſai. 53.* — *Ibid. 41. c.*

N. 6. Denique & de ramis palmarum abundè proviſum eſt Sodalibus Marianis, quos ramos in conſtructione tabernaculorum tertiô locô congerere demandatum fuit Hebræis. Palma in ſignum victoriæ omni tempore apud cunctas nationes ita communiter recepta fuit, ut paſſim apud Oratores & Scriptores palma idem ſonet ac victoria. Unde & Chriſtus in Reſurrectione ſua, & Maria in glorioſa Aſſumptione ad cœlum paſſim palmæ aſſimilantur, juxta illud Sponſæ ad Sponſum: *Comæ ejus ùt elatæ palmarum.* Et Sponſi ad Sponſam: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Et benè; quidnî enim palma ſit in Reſurrectione & Aſcenſione ſua Redemptor noſter? Tacendo enim victoriam, quam de morte, & inferno tunc reportavit, quid magìs mirandum, quàm quòd poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem omnia ſimulacra gentium, quæ Oraculîs ſuîs, ùt v. g. idolum Jovis in Delphis, idolum Minervæ Romæ, idolum Apollinis Carthagine, toti gentilitati erant celeber-

Cant. 5.

 rima

Zoſimus l. 5. Hiſt. rima, gloriosè vicerit, & muta reddiderit, ùt narrat Zoſimus; à tempore enim Reſurrectionis deſiêrunt oracula edere, & non ita frequenter incautos homines per ſortilegia decipere, præcipuè in præſentia ſacerdotum, & miniſtrorum DEI. Unde ſacrificulis, antequàm Oraculum conſulebant, in more poſitum erat, alta voce clamare: *Procul hinc lotus & unctus*, id eſt, Chriſtianus in baptiſmate aquâ ablutus, & ſacrô oleô inunctus; donec tandem omninò obmutuerunt. Quidnî palma ſit Maria gloriosè in cœlum aſſumpta & in cœlis coronata, quæ veluti Amazon, Hercule fortior, tot victoriîs in hac vita claruit? Si enim Hercules adhuc in cunabilis geminos angues, à Junone immiſſos, manibûs eliſit; Maria in prima ſua Conceptione ſerpentem tartareum, venenum peccati originalis afflare conantem, contrivit. Si Hercules hydriam lernæam, abſciſſa continuò capita reproducentem, ferro, & face proſtravit; Maria ſeptem peccata capitalia, ſicut & omnia venialia heroicè triumphavit. Si Hercules Archelaum, nunc in forma draconis, nunc in forma tauri aggredientem, viriliter occidit; Maria ſimili laude inſignita fuit, ubi draconem, & taurum in-

Gen. 3. fernalem pedibûs calcavit, juxta illud: *Tu inſidiaberis calcaneo illius, & ipſa conteret caput tuum.* Si Hercules Alceſten, Admeti Regis conjugem, ex inferis reduxit ad terram; Maria millenos jam peccatores, ex faucibus inferni ereptos, tranſtulit ad regna cœlorum, & plurimas indies animas ex purgatorio transportat in terram promiſſionis. Potiori ergo jure palmam, quam cæca gentilitas Herculi conſecravit, nos conſecramus Salvatori noſtro gloriosè à mortuis reſurgenti, gloriosè ad cælos aſcendenti; ſimiliter dilectiſſimæ ejus Matri, victoriosè in cœlum aſſumptæ, victoriosè in cœlis coronatæ. Et hæc utraque palma ſubminiſtrat Fratribus ſacratiſſimi Roſarij ingentem copiam ramorum & frondium, ut tertium ſibi ædificent tabernaculum, ubi in glorioſo Roſario, quoties prædicta Myſteria devota mente recolunt, toties non niſi ramos palmarum decerpunt, ſibíque tertium ſtatuunt tabernaculum.

N. 7. O quàm dilecta ſunt hæc & Deo, & B. Virgini tabernacula! Hæc

Proverb. 14. ſunt, de quibus jam mentio facta eſt: *Domus impiorum delebitur; tabernacula verò juſtorum germinabunt*; in roſis ſcilicet & floribus.

Jerem. 10. Hæc ſunt, de quibus meminit Jeremias: *In tabernaculis habitabitis cunctîs diebûs veſtrîs, ut vivatis diebûs multîs ſuper faciem ter-*

Cant. 1. *ræ, in qua peregrinamini.* Hæc ſunt *tabernacula illa paſtorum*, vide-

videlicet JESU & Mariæ. JESUS Paſtor bonus eſt, & paſcit cog- *Joan. 20.*
noſcitque oves ſuas; Maria paſtoriſſa eſt, & paſcit hœdos, jux- *Cant. 1.*
ta illud Sponſi: *Paſce hœdos meos*, ſcilicet peccatores, ait noſter *Hugo Cha-*
Hugo; quia peccatores recipit, pro peccatoribus intercedit, pec- *renſ.*
catorum commune eſt refugium. Ex his

Baſis ad ſecundam Sermonis hodierni partem jam poſita eſt, N. 8.
nempe Sodalibus Roſarianis bonum eſſe, in his tabernaculis habitare. Pro cujus ulteriori ſoliditate meô judiciô aptè deſerviet quæſtio illa, quæ olim apud Plutarchum inter Philoſophos acutè agitabatur, *quæ ſidelicet domus, ſeu habitatio in orbe cenſenda eſſèt optima?* Aliqui ſuîs votîs in eam collimabant domum, in qua ſummus latitaret theſaurus; quia pecuniæ obediunt omnia, &, teſte Gregorio Nazianzeno, *Auro loquente iners eſt omnis ratio.* Alij *S. Greg. Nazianz. in ſent.* illi domui palmam dabant, quæ contra hoſtiles aſſultus tutiſſima nec ferrum, nec ignem timeret. Alij domûs dignitatem à poſſeſſore deducebant, dicentes, illam, quam primus inhabitaret Monarcha, primas jure merito tenere partes; quia, ubi Rex, ibi gratiæ. Alij, incolumitatem corporis humani attendentes, pro illa domo ſtabant, quæ ad auram ſaluberrimam ædificata ſanitati plurimùm conduceret; quia à ſanitate pendent univerſa. Tandem Cleobuli erat opinio, eam domum præferendam eſſe cunctis, in qua plures ſunt, qui diligunt.

Si ſimilis quæſtio noſtro tempore proponeretur, ego unicô N. 9.
verbô dicerem, inter omnia habitacula prærogativam æſtimationis deberi tribus tabernaculis Mariani Pſalterij, quia in his, quidquid ſubtilitas Philoſophorum requirere poterat ad dignitatem diviſim, omnia continentur collectivè. In Mariano Pſalterio latet theſaurus abſconditus, quem qui invenit homo per maturam mentis contemplationem, præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, ut poſſideat illum, videlicet indulgentiæ innumeræ, & certa vitæ æternæ aſſecuratio: Ex Mariano Pſalterio pendent mille clypei, & omnis armatura fortium, ut hoſtes tum viſibiles, tum inviſibiles appropinquare non audeant: In Mariano Pſalterio, ejúſque Myſterijs Regiam Sedem tenent glorioſiſſima cœli Regina, ſimúlque Rex regum, & Dominus dominantium: Ad Marianum Pſalterium Spiritûs Sancti gratia ſpirat ſaluberrimos effectus, repellens morbos corporis, & animæ. Denique ſi ea domus præferenda eſt univerſis, in qua plures ſunt, qui diligunt,

gunt, ô quàm bonum & jucundum erit habitare Fratres in unum in tabernaculis ſacratiſſimi Roſarij, in quibus tot millia, & millia hominum, Pontificum & Sacerdotum, Religioſorum, & Monachorum, Regum, & Principum, virorum, ac mulierum, veluti membra ejusdem corporis, veluti Fratres, & Sorores ejusdem Matris, veluti ſocij, & amici participantes in mutuis bonis operibus, in vinculo dilectionis & amicitiæ alternæ, in communicatione ſuorum ad invicem meritorum coadunantur.

N. 10. Inprimìs enim, quemadmodùm in contractu ſocietatis à jure civili videmus multos, ſola æquitate juris naturalis ductos, inter ſe dividere bona ſua, illáque inter ſe ea lege communicare, ut uterque participet in lucro emergente; ita certum eſt, omnes Fratres & Sorores ſacratiſſimi Roſarij participes fieri omnium bo-
Act. 2. norum operum, quæ à Conſodalibus ſuis in toto terrarum orbe exercitantur. Sicuti enim legimus, quòd in primitiva Eccleſia omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia; nam poſſeſſiones & ſubſtantiæ vendebantur & dividebantur omnibus, prout cuique opùs erat: Ita & nunc Sodales ſacratiſſimi Roſarij vi ſui inſtituti, & Archi-Fraternitatis omnia bona ſpiritualia, omnes preces, & merita inter ſe condividunt, ſibi invicem communia habent. Jam perpende, quot ſacerdotum millia, quantus numerus virorum clauſtralium rigoroſiſſima ſub diſciplina degentium, quot cœtus virginum DEO conſecratarum, quanta multitudo laicorum, cælibum, viduarum, & matronarum, adoleſcentium, & adultorum, in ſæculo ad omnem virtutem enitentium, nomen ſuum in Albo ſacratiſſimi Roſarij inſertum habent; & horum omnium virtutum meritîs, pietatis operibûs, ſanctimoniæ exercitiîs & tu gaudes, ſi lethalis delicti obice non reſiſtas, ſi Roſario adſcriptus leges illius ex parte quoque tua adimpleas. Quod ipſum non minùs ad animas quoque in purgatorio extenditur, quibus ſimiliter cuncta ſalutaria Archi-Fraternitatis noſtræ in emolumentum, & ſuffragium cedunt, veluti ſcala deſerviens, qua tormentîs ſolutæ ad paradiſum tranſeunt.

N. 11. Huic ſimile eſt alterum beneficium, quod in tabernaculis ſacratiſſimi Roſarij cohabitantibus proprium eſt, dum nimirum participes fiunt omnium meritorum, & piorum exercitiorum, quæ fiunt, aut ullo tempore fient, ab univerſis utriusque ſexûs Religioſis Ordinis Prædicatorum. Sic namque in Capitulo Generali

rali celebrato Venetijs anno 1467. declaratum, & decretum legimus, omnes Fratres & Sorores S. Societatis de Roſario, approbante ſummo Pontifice Innocentio VIII. in partem, ſortémque omnium ſpiritualium beneficiorum, & meritorum, quæ DEI benignitate Ordini noſtro collata, aut conferenda ſunt, in perpetuum gratuitò fuiſſe acceptatos. Quam adoptionem etiam Leo X. & cæteri poſt eum Pontifices confirmârunt. Sanè mirum, magnúmque beneficium! Quid, quæſo, optatius, quàm omnium Miſſarum, orationum, prædicationum, ſtudiorum, vigiliarum, jejuniorum, abſtinentiarum, laborum, cæterorúmque bonorum operum, ac meritorum, quæ per Fratres, & Sorores tanti Ordinis, per totum terrarum orbem copioſiſſimè diffuſi, divina Bonitas fieri dederit, gratuita communione & participatione gaudere? Conſidera, quæſo, quot, & quanta debeant eſſe bona, quæ in Europa, in Africa, in Aſia, in America, in omnibus regnis, & provincijs à tam multiplici Religioſarum perſonarum cœtu diu, noctúque exercentur? Quot Miſſarum ſacrificia, quot orationes, quot officia divina, quot jejunia, & abſtinentiæ, quot vigiliæ, quot ex imo manantia ſuſpiria, & ſingultus, quot fletus, & lachrymæ, quot verberationes pectoris, quot colliſa in orationibus genua, quot auſteritates, quot pœnitentiæ, quot cilicia, & diſciplinæ, quot in ſtudijs, confeſſionibus, concionibus fatigationes, labores, dolores, & ſudores; quæ denique, & quanta ſpiritualium fructuum ubertas in Ordine tanto, tam digno, tanquam in vita, & moribus, Regula, & Conſtitutionibus, ſcientia, & eruditione approbato, in quo reperiuntur tot ſanctiſſimi Deo, ejúsque Matri dilectiſſimi Viri Apoſtolici, Martyres, & Doctores, Virgines & Confeſſores? Et horum omnium participes fiunt Fratres & Sorores Mariani Pſalterij.

Quidnî igitur exclamemus cum Divo Petro: *Bonum eſt nos hîc* N. 12.
eſſe, faciamus tria tabernacula, in quibus plures ſunt, qui diligunt, innumeri, qui per dilectionem & conſodalitatem, veluti ſocij & amici, veluti Fratres & Sorores, veluti membra unius corporis conjunguntur, mutuáque ſibi communicant virtutum merita. Effatum Eccleſiaſtici eſt: *Amicus fidelis protectio fortis, qui invenit illum,* *Eccli. 14.*
inveniet theſaurum. Roſariani non unum, ſed tot numerant amicos, quot Marianos nanciſcuntur in orbe Conſodales, qui omnia ſua bona ſpiritualia communia habent. Oraculum Sapientis eſt: *Frater, qui* *Proverb. 18.*
adjuvatur à fratre, civitas firma, & judicia, quaſi vectes urbium; id eſt, legunt ſeptuaginta: *Frater à fratre adjutus, tanquam urbs mu-*

nita & excelſa; invaleſcit autem, tanquam fundatum regnum. Roſariani à tot Confratribus adjuvantur, muniuntur, confortantur, quot ſunt, quorum nomina Albus Sodalitatis noſtræ continet. Do-
1. Cor. 12. ctrina Apoſtoli eſt: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Si pedi eſt infixa ſpina, univerſum corpus ſentit
Simile. dolorem, & incurvatur deorſùm, oculi accuratè vulnus circumſpiciunt, ipſa mens attentè conſiderat, quonam pacto ſpina meliùs extrahi poſſit, manus leniter, & cautè ſpinam evellit, omnia alia membra ſua operam conferunt, ut parti læſæ ſuccurratur. Roſariani cuncti ad invicem membra ſunt, de quibus jam pridem ajebat
Rom. 12. Apoſtolus: *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Ideò in neceſſitatibus, in tribulationibus, in anguſtijs unus adjuvatur ab altero, alienô erigitur ſuffragiô, communibûs confortatur orationibûs ſuorum Conſodalium.

N. 13. Unde reverà bonum eſt nos hîc eſſe, bonum eſt pluribus adjungi in tabernaculis Roſarij, qui diligunt. Quemadmodùm enim creatura rationalis ex natura ſua eſt ſocialis, & renuit manere ſola; ita in ſenſu morali homini valdè proficuum eſt, ſociari pluribus in Archi-Fraternitate Mariani Pſalterij, quia hoc modo imperfectus, dum virtuoſis conjungitur, pius paulatim efficitur; ſejunctus verò, etſi in ſe innocens ſit, ſucceſſivè intepeſcit, ea fermè ratione, qua Thomas Apoſtolus, Apoſtolico collegio abſens, in amore, & fide erga Magiſtrum
Joan. 20. ſuum ita frigeſcebat, ut incredulus dicere auſus ſit: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum -- non credam.* Et carbo accenſus, ab alijs ſeparatus, ſenſim extinguitur; alijs verò ignitis immiſtus denuò reaccenditur, & reviviſcit. Haud diſſimiliter Roſariani, in tabernaculis Mariani Pſalterij commorantes, preces, ſalutaria opera, ac quotidiana Conſodalium merita participantes, in DEI amore, virtutiſque ſemita indies magìs efferveſcunt; econtra verò, ubi ab hac Sodalitate ſunt excluſi, ac ſimul alienîs ſuffragiîs privati, facilè omnem ardorem perdunt, charitatis vigor, perfectionis deſiderium, omniſque virtutis calor in ijs extinguitur. Unde concludit B.
B. Alan. in Alanus: *Ad hanc igitur Fraternitatem veniant juſti, quia carbo*
Apol. c. 16. *vivus emoritur ſolus, aliis verò vivis adjunctus gliſcit ferventiùs.*

N. 14. Non minùs bonum eſt habitare in tabernaculis ſacratiſſimi Roſarij; quia Confratres gaudent meritîs, juvantur ſacrificiîs, cunctorúmque piorum operum, quæ in toto Ordine Prædicatorum fiunt, participes ſinè ullo labore conſtituuntur. Et quanta de hac ſorte

ſpe-

ſperanda erit felicitatis portio? Si enim ſudarium Jacobi contactu ſuo Philetum, nexibûs diaboli ligatum, ſolvit; tunica Petri debiles quosque, ſpe ſanitatis eam contingentes, ſanitati corporis, & animæ reſtituit; quantum igitur tot Religioſorum pia ſuffragia, tot virtutis, & pœnalitatis exercitia, tot ſupererogationis opera poterunt præſtare his, qui devotè, effectuoſéque ea poſtulârint? Si in Vitis Patrum proditum eſt, quòd pauperes revertentes à Sanctis in eremo, quos inviſerant, arenâ, greſſibûs Sanctorum contactâ, ſinus ſuos impleverint, ſecúmque domum delatâ ſuos agellos, alioquin ſteriles, conſperſerint, fructu uberrimo inde percepto; quantò magìs ſuffragia, atque opera ſalutaria, quæ frequentantur in tota Familia S. Patris Dominici, erunt quibuscunque pro voto magìs proficua, quàm ſterilis arena, Sanctorum pedibus conculcata? Si Saul jam reprobus, Prophetarum ſociatus cuneis, promeruit gratiam Prophetalem, juxta illud: *Num & Saul inter Prophetas?* Quidnî homo Chriſto devotus, ac intentus, ex piæ devotionis affectu, Sanctorum Chriſti, & piorum tot Confratrum adſcriptus collegio, optata conſequetur merita, gratiarum munera, & pœnarum debitarum remedia? *1. Reg. 10.*

Profectò igitur bonum eſt habitare in tabernaculis ſacratiſſimi Roſarij, ubi plures ſunt, qui diligunt, alternis participantes in meritis. Quot enim erunt extra Confraternitatem Mariani Pſalterij, qui fortè intra eam alienîs adjuti precibûs ad meliorem frugem rediîſſent! *Si Stephanus non oráſſet, Eccleſia Paulum non habuiſſet*, Sententia eſt Divi Auguſtini. *Orate pro invicem, ut ſalvemini: Multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua*, adhortatur nos S. Jacobus in ſua Epiſtola. *Job ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia*, promiſſum eſt benigniſſimi Numinis. Huc ergo, huc ad tabernacula Mariani Pſalterij properate fideles; ad hunc meritorum cumulum accelerate, quicunque recognoſcitis bona propria minùs vobis eſſe ſufficientia. N. 15. *S. Auguſt. S. Jacob. c. 5. Job. c. 42.*

Hiſtoria.

Cùm Sanctus Dominicus non minori fervoris energia, quàm multiplici laborum ſuorum fructu Roſarium prædicare cœpit per Italiam, contigit, ut vir quidam, ſicut genere, ita & malitiâ potens, Bartholomæus nomine, verbîs ejus commotus, Sanctum Patrem acceſſerit, eíque peccata ſua confiteri poſtulaverit. Peracta

acta confeſſione Vir DEI, divina revelatione illuſtratus, protinùs cognovit, hanc confeſſionem ùt plurimùm fuiſſe defectuoſam, quia pœnitens ſive ex oblivione, ſive ex negligentia prævij examinis multa omiſit peccata, de quibus nec contritus erat, nec ſe accuſabat in confeſſionali. Ut ergo S. Pater ſaluti, & bono ſui pœnitentis providè conſuleret, Bartholomæo conſignavit Roſarium, etiam atque etiam orans, ut ſibi id cordi haberet, à ſe nunquam dimitteret, ſæpiùs devotè recitaret, quo ſic tum propriîs meritîs, tum ex communicatione bonorum operum, & per orationes Conſodalium totius Confraternitatis ſacratiſſimi Roſarij, gratiam obtineret à Deo, arcana cordis ſui, quæ forſitan laterent, profundiùs pervadendi, eáque fideliter imposterùm in confeſſione aperiendi, explicatîs inſuper Bartholomæo Myſteriîs, quæ in dicendo Roſario ad quamlibet Decadem meditaretur. Pœnitens ſalubri huic conſilio acquieſcens, & intuitu bonorum operum, quæ ab alijs Confratribus Roſarianis peragebantur, indubiè à DEO illuminatus, paulò poſt non ſolùm occulta peccata ſua penitùs perſpexit, eáque contrito corde confeſſus eſt, ſed etiam intra breve temporis intervallum ad eum perfectionis, & virtutis apicem pervenit, ut ſequenti illum viſione cœleſti DEUS dignatus ſit. Inter orandum vidit ſibi Angelum adſtare, qui, quoties unam Salutationem Angelicam pronuntiâſſet, parvum lapillum ſurſum miſit, eúmque glorioſæ cœli Reginæ præſentavit, quæ ſuper montem altum ſtans ex lapillis, quos ad eam Angelus dederat, magnificum exſtruebat palatium. Mirum erat, quòd lapilli, utcunque primitùs exigui, mox, ubi ad ædificium palatij acceſſerant, in eam excreverint molem, ut facili labore, & brevî temporis ſpatiô opus fuerit perfectum; finitô enim Roſariô palatij quoque magnificentiſſima ſtructura omnibûs numerîs abſoluta adſtabat. Viſione hac Bartholomæus adeò inflammatus fuit amore, æſtimatione, & devotione in Marianum Pſalterium, ut, ubicunque à negotijs vacaret, Angelicam Salutationem in corde & ore ruminaret, donec tandem, cognito per Mariam fine vitæ ſuæ, piè obiît, receptus in æterna tabernacula. B. Alanus p. 5. operis redivivi cap. 42.

SER-

SERMO DECIMUS SEPTIMUS.

Dominica tertia Quadrageſimæ.

THEMA.

Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi : Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Luc. 11.

Roſariani cum hodierna muliere laudem dicunt Mariæ, & confundunt ejus oſores.

SI omne trinum perfectum, trinum, quod hodie pientiſſimus N. 1.
Salvator energumeno exhibuit beneficium, ſanè abſolutiſſimum æſtimandum eſt. Seriem rei geſtæ fuſiùs, quàm hodierni Evangelij Hiſtoria, ita deſcribit S. Matthæus : *Tunc* *Matth. 12.*
oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus : Et curavit eum, ita, ut loqueretur, & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant : Nunquid hic eſt filius David? Phariſæi autem audientes dixerunt : Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub Principe dæmoniorum. Damnabilis malitia! inexcuſabilis nequitia! Poſſeſſus à dæmone liberatur, mutus loquitur, cæcus videt; & Phariſæi diabolicâ invidiâ implentur, ad laudes turbarum obmuteſcunt, ad lucem trini miraculi obdurati cæcutiunt, beneficia carpunt, virtutem divinam pernegant, quæ DEI ſunt, Beelzebub Principi dæmoniorum attribuunt. Dæmonium, ùt benè advertit doctiſſimus Salmeron, ad juſſa ſui Creatoris promptiſſimum mox, ùt im- *Salmeron.*
perata audiît, hoſpitium reliquit, ab obſeſſo diſceſſit, nec verbum

 in

in contrarium opponere præſumpſit: At verò Phariſæi, ipſo dæmone pejores, benefacienti contradicunt, obedientiam retractant, calumniantur miracula. Si aliquis Phariſæorum filiorum, aut nepotum opus ſimile præſtitiſſet, eum usque ad ſidera, crepantibûs buccîs, extuliſſent: Filius hominis hoc præſtitit, & proclamatur ùt magus, traducitur ùt incantator, vilipenditur ùt operans au-
Pſalm. 49. xiliô dæmonis. Verè, ô Synagoga! *Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos!* Ratio tota hujus impietatis erat invidia Phariſæorum in Chriſtum. Quem in finem non abs re hanc Hiſtoriam S. Mater Eccleſia legit in tertia Dominica Quadrageſimæ, in quam ſimiliter incidit Hiſtoria Joſeph, quomòdò per invidiam fratrum ſuorum venditus fuerit Ægyptijs: *Sicut*
S. Bonav. *enim* (verba ſunt S. Bonaventuræ) *fratres ex invidia vocaverunt Joſeph inventorem ſomniorum; ſic iſti dicebant Chriſtum invocatorem dæmonum.* Aſt in firma elegit DEUS, ut confundat fortia! Phariſæîs impiè blaſphemantibûs opera Servatoris extulit vocem
Lyran. quædam mulier (Lyranus cum alijs exiſtimat, hanc mulierem fuiſſe unam ex ancillis in Caſtello Bethaniæ, & ex domeſticis Marthæ & Magdalenæ, quæ poſteà unà cum Lazaro, Magdalena, Martha, & Maximino mari impoſita Marſiliam appulit, & vocabatur Marcella) quæ forti animo, interrito pectore, altiſonis verbis laudes Filij DEI confeſſa eſt, dicens: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti!* Et ſimul hoc modo accuſavit perfidiam Phariſæorum, confudit calumnias invidentium, confregit odia & conſilia malignantium. Sodales Mariani! Quemadmodùm Filio ſuas laudes invidebant, calumnias imponebant Phariſæi; ita hodiedum plures invenire eſt, qui & ad laudes, Sanctiſſimæ Matri ejus decantandas, obmuteſcunt, & ex odio, invidia, & execrabili malitia omnem venerationem, cultum & honorem Beatæ Virginis Mariæ ſupprimere, eliminare, ſugillare impijſſimîs auſibûs allaborant. Dicam ergo, Roſarianos perſimillimos eſſe hodiernæ mulieri, dum extollendo vocem ſuam & laudes dicunt Mariæ, & confundunt illius oſores.

N. 2. Glorioſiſſimæ cœli Reginæ omnem ab homine deberi venerationem, ex eo liquet, quòd ſit conſtituta noſtrûm omnium Mater, quæ in Chriſto JEſu ſpiritualiter nos generat, & longè majori ju-
Judica 5. re titulum Maternitatis ſibi vendicat, quàm Debbora. Si enim hæc nuncupatur Mater Iſraël propter defenſionem & protectio-

nem

nem populo impenſam, quantô magìs prudentiſſima Virgo Maria Mater omnium fidelium dicenda eſt, quæ ſub umbra alarum ſuarum fortî brachiô, & potentî auxiliô protegit, & defendit Clientes ſuos. Jam nemo eſt, quem præceptum divinum lateat: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Exod. 20. Nemo eſt, cui ab ipſa natura non dictetur honor, & reverentia in protectorem, & defenſorem ſuum.

Aſt quibûs te laudibûs efferam, ô Beata Virgo? Quibûs te N. 3.
honorum titulîs deprædicabo? Quibûs encomiorum prærogativîs enuntiabo excellentiam tuam? Sanè non aliîs meo judiciô, quàm illîs, in quibus ipſa Mater, & Domina laudum ſuarum ſummam collocavit, ſcilicet ſæpè repetita Salutatione Angelica. Audite ipſam ad S. Mechtildem ita loquentem, & ſingula Salutationis Angelicæ verba hoc modo explicantem: Digniùs, & dulciùs me nemo ſalutare poteſt, quàm is, qui me ſalutat illâ reverentiâ, qua DEUS Pater me ſalutavit in hoc verbo *Ave*, confirmans per omnipotentiam ſuam, ut eſſem libera ab omni *Væ* culpæ. Non minùs Filius meus ſuâ me illuſtravit ſapientiâ, ut ſim clarum ſydus, quo cœlum, & terra ſuperno reſplendent lumine; & hoc per nomen *MARIA*, quod ſonat maris ſtella, intelligendum datur. Spiritus ſanctus, ſua me dignando dulcedine, eas mihi contulit gratias, ut, qui in me gratiam quæſîerit, inveniat illam, quod innuitur per tò *Gratiâ plena.* In illis verò duobus verbis, *Dominus tecum*, admoneor inæſtimabilis onionis & operationis, quam tota Trinitas effecit in me, ubi carnis meæ ſubſtantiam divinæ copulavit naturæ in unitate perſonæ, ut DEUS fieret homo, & homo DEUS, cujus dulcedinis ſenſum, quem olim habui, nullus unquam penetrare poterit hominum. Porrò, ubi additur: *Benedicta tu in mulieribus;* altitudo myſterij omni creaturæ explicatur, ut admirandô celſitudinem, & venerandô dignitatem conteſtetur me benedictam inter filias Jeruſalem, & exaltatam ſuper omnia. Denique ſequitur: *Et benedictus fructus ventris tui.* Per quod, ùt condecet, benedicitur, extollitur, deprædicatur excellentiſſimus, & perutilis fructus ventris mei, qui hominem innovavit, vivificavit, ſanctificavit, & manet benedictus in ſæcula. Hæc B. Virgo ad S. Mechtildem.

Pro cujus pleniori intelligentia recordor mirificæ illius viſi- N. 4.
onis, quæ olim oſtendebatur Joanni. *Et ego Joannes* (verba *Apoc. 21.*
Scrip-

Scripturæ ſunt) *vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam virô ſuô -- habentem claritatem DEI, & lumen ejus ſimile jaſpidis ſicut cryſtallum.* Cujus Sponſæ elegantiſſima ornamenta, & laudum encomia ibidem fuſiùs declarabantur per duodecim pretioſiſſimos lapides, quibus à Sponſo ſuo exornata refulgebat: *Fundamentum primum, Jaſpis: Secundum, Saphirus: Tertium, Chalcedonius: Quartum, Smaragdus: Quintum, Sardonyx: Sextum, Sardius: Septimum, Chryſolithus: Octavum, Beryllus: Nonum, Topazius: Decimum, Chryſopraſus: Undecimum, Hyacinthus: Duodecimum, Amethyſtus.* Hæc eadem ornamentorum genera continet in ſe Salutatio Angelica, in tot quaſi æſtimatiſſimos uniones diviſa, quot verba in eadem diſtincta inveniuntur: Tot laudum præconiîs Mariam condecorant Fratres ſacratiſſimi Roſarij, quot Salutationes Angelicas, & in ijs quodammodò ſyllabas, & voces pronuntiant, ait B. Alanus. Prima Salutationis Angelicæ vox, ly *Ave* (pergit B. Alanus) denotat Adamantem, qui fortè à S. Pagina ob ſimiles qualitates vocatur Chryſopraſus: Quemadmodùm enim Adamas habet virtutem pellendi dœmonem, & attentata ſtygiæ poteſtatis maleficia; ita *Ave* Angelicum, ad Mariam delatum, primitùs ex mundo fugavit Principem tenebrarum, & ſuſtulit maledictum, primo parenti Adæ à DEO impoſitum. Vox ſecunda Salutationis Angelicæ, *MARIA*, eſt alter Carbunculus; ſi enim iſte & in aquarum profundo, & in tenebris noctis exardeſcit veluti carbo ignitus, nomen *MARIÆ*, à S. Hieronymo interpretatur *Illuminatio*, ſeu *Illuminatrix* hominum, quamdiu mare hujus mundi titubantes enavigant, & in tenebris peccatorum cæcutientes aberrant. Vox tertia, *Gratiâ plena*, Jaſpidis virtutem, & pulchritudinem indicat; ſi enim Jaſpis, ex Iſidoro lapidario, eſt viridis coloris, plenus tot virtutibûs, quot virgulîs, & ſignîs eſt diſtinctus, pellit humores corporis, & præbet jucunditatem animi; Maria pænè innumerîs eſt dotata virtutibûs, & donîs extraordinariîs ab alijs Sanctis diſtincta, vocatur Salus infirmorum, & obtinet homini hilaritatem conſcientiæ. Vox quarta, *Dominus tecum*, applicatur Saphiro, qui ex noſtro Alberto M. eſt lapis cœleſtis coloris, & generat animoſitatem, & audaciam; non minùs Maria ex eo, quòd Dominus fuerit cum ea, & Unigenitus DEI Filius ex ſanctiſſimo illius utero naſci dignatus

B. Alan. part. 4.

S. Hieron.

S. Iſidor.

B. Albert. M.

tus eſt, quaſi ad cœlum ſuper omnes creaturas evecta eſt, &, ex S. Auguſtini oraculo, reddit animum mortalem ſecurum, audacem, potentem, ut nihil ſit, quod timeat. Vox quinta, *Benedicta*, ingerit proprietates Chalcedonij. Cùm enim Chalcedonius ex Alberto noſtro mira polleat virtute attrahendi paleas, & vincere faciat in cauſis judiciorum; Maria peccatores, qui paſſim à Sanctis Patribus paleis comparantur, in ſuum recipit patrocinium, ſuíſque Clientibus in extremo Deo judicio procurat victoriam cauſæ deciſivæ. Sexta vox perſonalis, *Tu*, appropriatur Smaragdo; veluti enim Smaragdus ex Iſidoro ſuſcipit in ſe rerum aliarum imagines,& olim uſitatus erat in annulis ſponſalitijs; ita Maria erat perſona illa eminentiſſima,in qua,ſicut in ſpeculo, perfectè refulſit imago Sanctiſſimæ Trinitatis,Omnipotentia Patris in confœderatione Maternitatis & Virginitatis, Sapientia Filij in intelligentia divinorum myſteriorum,Bonitas Spiritûs Sancti in annulo ſubarrhationis,quo ab eodem fuit aſſumpta in Sponſam. Per vocem ſeptimam, *In mulieribus*, indigitatur Sardonix,qui ex Iſidoro & Alberto triplici diverſificatur colore, nigro, rubro,& albo, ſimúlque ejus eſt naturæ,& qualitatis, ut implantet homini amorem caſtitatis: Maria ſimiliter eſt mulier triplici colorata amictu, nigra in humilitate, rubea in compaſſione patientis Filij, alba in dono puriſſimæ virginitatis, quæ progerminat virgines, & famulos ſuos mites facit, & caſtos. Vox octava, *Benedictus*, aptatur Sardio. Sardius ex Iſidoro metum alleviat,& melancholiam, ſimúlque proſperitatem confert in adverſis: Maria à benedicto Filio ſuo habet, ut in ſcrupulis, & anxietatibus puſillanimes erigat, in adverſis verò intituletur Conſolatrix afflictorum. Vox nona, *Fructus*, innuit Chryſolithum, qui ex Iſidoro & Dioſcoro defendit contra timores nocturnos, nec non confortat intellectum,turbida hinc inde phantaſmata commutando in melius: Mariæ fructus eſt ex Hieronymo, ſuos Clientes liberare à timore nocturno, & dæmonio meridiano, quia jam dudùm contrivit caput ſerpentis: Mariæ fructus eſt ex S. Auguſtino, confortare & roborare intellectum in recta fide, & veritate contra errores hæreticorum, & deceptionem falſitatis. Vox decima, *Ventris*, ſimilitudinem denotat cum Beryllo, qui à noſtro Alberto illius dicitur eſſe eminentiæ,ut,ſicut bellorum incendia extinguit,ita manum geſtantis occulta quadam virtute nedum calefaciat, ſed inſuper ſubtiliter adurat: Maria à S. Auguſtino appellatur Domina bellorum; juxta

S. Auguſt. *B. Albert. M.* *S. Iſidor.* *Idem.* *S. Hieron.* *S. Auguſt.* *B. Albert. M.* *S. Auguſt.*

S. Odolo. S. Odolonem verò corda, & opera noſtra, quæ paſſim in ſenſu morali per manus intelliguntur à SS. Patribus, ignea reddit, & ardentia in fervore amoris divini. Vox undecima, *Tui*, attribuitur Topazio; ſi enim Topazius ab Iſidoro dicitur aurei, & cœleſtis coloris, *S. Iſidor.* pretioſiſſimus in theſauris Regum, juvamen lunaticorum, & ſubitaneæ mortis averſio; Maria aureæ, & cœleſtis erat converſationis in terris, pretioſiſſimus theſaurus coram Deo, & homine: Maria *S. Bernard.* juxta S. Bernardum de fatuis, rudibus, & ſimplicibus facit ſapientes, & Doctores, eóque ipſo à morte ſubitanea tuetur, quia à mala morte ſuos liberat. Denique vox ultima, *JESUS*, adumbratur in Hyacintho. Quemadmodùm enim Hyacinthus ex Iſidoro ſecundùm auram mutatur, in cœlo ſereno ſerenus, in nubilo nubiloſus, & ſpeciale eſt antidotum contra venena; ita JEſus & Maria mutantur ad varietatem affectuum noſtrorum, diligendo diligentes ſe, deſerendo deſerentes ſe, & longiſſimè à nobis repellunt venena peccatorum. Hæc & ſimilia B. Alanus.

N. 5. Extollite igitur voces veſtras, Sodales Roſariani! laudate Matrem veſtram, ſalutate Mariam. En! illiadem laudum Marianarum, ſummam omnium encomiorum, compendium totius excellentiæ, qua Maria ab homine honorari, exaltari, deprædicari valet, complectitur Salutatio Angelica. Quot verba enuntiantur, tot honorum tituli ſublatent, quibûs immenſa B. Virginis gloria amplificatur: Quoties Angelica Salutatio devotè pronuntiatur, toties in Maria ingens illud gaudium innovatur, quod habuit, quando *Diſcipulus Serm. de Annunt.* fuit ſalutata ab angelo, ait Diſcipulus. Singulæ voces Salutationis Angelicæ ſunt ſinguli lapides pretioſi, quibûs à Roſarianis ornatur Sponſa cœleſtis, & quaſi coronatur. Unde Filius illius *S. Auguſt.* apud S. Auguſtinum: *Angelica Salutatio eſt corona gloriæ, conſtans gemmîs meritorum, & aurô charitatis, qua mater mea coronatur,* *P. Anton. Sterni.* *quoties ſalutatur.* Unde non inepta eſt comparatio, quam P. Antoninus Sterni inter B. Virginem, & adoleſcentulas hujus ſæculi adducit, hoc modo: Quemadmodùm experientiâ novimus, ſponſos ad honorandas ſponſas ſuas muſicos conſtituere, cantibus, varióque inſtrumentorum muſicalium concentu publicis in plateis comparere, ad fores patriæ domûs applaudere, & decantare laudes dilectæ ſuæ; ita Mariæ laudes intonant, Mariæ applaudunt, Mariam Angelicîs vocibûs, cœleſtî muſicâ venerantur Sodales ſacratiſſimi Roſarij. Sponſa, ubi concentum audit, ad feneſtram ſedet,

auſcul-

auſcultat, congaudet, & tanti ejusmodi ſigna honoris æſtimat, ut reciproco honoris, & amoris affectu ſuo ſponſo occurrere allaboret: Maria, ubi Angelicum melos, *Ave* ſuum, à Roſarianis intonari audit, ſumma animi jucunditate attendit, multiplici exultat gaudiô, & ſibi in tantum complacet, ut ſummo dilectionis affectu reaſſiciatur in illos, ſi non pro illo, ſaltem pro alio tempore congruo, copioſiſſimè hæc obſequia ſibi præſtita olim remuneratura. Ita ipſa Sponſo, & Sodali ſuo B. Alano: *Gaudere me feciſti toties, quoties me in Pſalterio meo ſalutâſti. Et quidem me gaudente ſæpiùs tu contriſtabaris, graviſſimè torquebaris, ſæviſſimè affligebaris. Sed cur? Dare tibi dulcia decreveram, ideò multos per annos præbebam amara.* *B. Alanus de Laud. Pſalt. c. 4.*

N. 6. Plùs ultra S. Bernardus exaltat dignitatem Salutationis Angelicæ, ut illam oſculo aſſimilet, quod ipſi cœlorum Reginæ imprimere licet, hîs verbîs: *Eſt tibi oſculum imprimere, hunc audire Verſiculum: Ave Maria. Toties enim, ô Beatiſſima Virgo! oſcularis, quoties ſalutaris. Eja ergo, fratres chariſſimi, ad imaginem ejus accedite, genua flectite, oſcula imprimite, Ave Maria dicite.* Extollite voces veſtras, laudate Matrem veſtram, ipſa ſiquidem alloquitur quemlibet veſtrûm in perſona Sponſæ: *Oſculetur me oſculô oris ſui.* *S. Bernard.* *Cant. 1.*

N. 7. Verùm enimverò Sodales Roſariani non ſolùm cum hodierna in Evangelio muliere laudes dicunt B. Virgini, ſed inſuper ejusdem oſores intrepidè confundunt. Argumentum hujus veritatis ex ipſo ortu, & progreſſu Archi-Fraternitatis manifeſtè eruitur, ubi inſtitutum ſacratiſſimi Roſarij à Spiritu Sancto afflatum, à glorioſa cœlorum Regina dictatum, à S. P. Dominico promulgatum, directè opponebatur impijs erroribus hæreticorum Albigenſium, qui blaſphemîs labîîs, ſacrilego ore puritatem, & integritatem B. Virginis impugnabant, lacerabant, pernegabant, per ſummam impudentiam DEI Matrem (prôh ſcelus!) ſcortum appellantes. Hæc ſpurciſſima Albigenſium machinamenta ferre non ſuſtinens S. Dominicus (cui nihil poſt DEUM cordi erat, niſi filialis amor, debitus cultus, & ſubmiſſa veneratio ſanctiſſimæ DEI Genitricis) omnibûs viribûs hæreticorum errores, execranda ſcelera, & horrendas blaſphemias oppugnare cœpit, nunc concionibûs, nunc diſputationibûs, nunc ſcriptîs, & ſignîs, per totum triennium ingenti labore, exiguo tamen fructu, voluntate hæreticorum jam indurata, & in

malo obſtinata. Ideò S. Dominicus, humanâ non ſufficiente operâ, ſpem ſuam collocavit in Auguſtiſſima cœlorum Regina, cui ſingulare eſt maledicti ſerpentis caput proterere, omnémque hæreſim interimere. Jam tertius dies erat, ubi Mariophilus in ſylva, Toloſatibus proxima, opem B. Virginis, & præſidium contra Albigenſes continuîs ſuſpiriîs, lachrymîs, jejuniîs, & duriſſimîs corporis caſtigationibûs impenſè deprecabatur; & ecce! dum tertia die S. Pater inter verbera fractîs viribûs collaberetur, fortiſſimo Pugili adfuit benigniſſima Mater, eúmque à terra per ſocias tres cœleſtes Virgines elevatum in ſuos amplexus recepit, fixîs oſculîs baſiavit, caſtiſſimis uberibus appreſſit, largóque materni ſui lactis hauſtu refecit, hîs verbîs compellans: Fili mi Dominice, quia adverſùs fidei, meóſque hoſtes ſtrenuè depugnâſti, ecce tibi adſum, opem, auxiliúmque allatura. Nunquid ſcis, quæ, & qualia Beata Trinitas acceperit arma, cùm totum mundum reformare voluit? Beata certè Trinitas, ut omnia peccata deleret, arma non elegit alia, quàm Pſalterium Angelicum, quod eſt totius novi teſtamenti fundamentum. Quocirca, ſi fructum exoptas tuæ prædicationis, prædica, commenda, & inculca Pſalterium meum, & brevì tantorum malorum apparebit finis. Dixit, & B. Dominicum de ſacratiſſimi Roſarij ritu, præſtantia, utilitate plenè inſtruxit, addito juſſu, ut indilatè Toloſam iret, & prædicaret Pſalterium, additóque promiſſô de plena hæreticorum confuſione, & extirpatione. Eventus veritatem confirmavit. Ubi enim, Virgineæ laudis Orator, urbem ingreditur; ecce! Cathedralis Ædis campanæ ultrò conſonant omnes ſimul. Fit concurſus ad ſacram Ædem. Videtur illic Dominicus, auditur de Roſario. Hæc inter obſtrepunt hæretici, nauſeant audire Dominicum, execrantur prædicantem, facto agmine ex templo erumpunt, & omnia mala in caput novi Præconis moliuntur. Aſt mox cœpêre horrendum in modum mugire tonitrua, frequentiſſima coruſcare fulgura, venti omnes effuſi fremere, terra concuti, ut ſuprema dies omnibus adeſſe videretur, nec quiſpiam auderet templo egredi. Pergit S. Pater in exponendo Pſalterio Mariano: Hæretici inviti remanent in Eccleſia, imago Deiparæ, quæ in Eccleſia illa colebatur, protendit occultâ vî manum ſuam, & minitatur aſtantibus, niſi Dominicum audire voluerint: In aëre altus auditur cacodæmonum planctus & ululatus. *Væ, væ, nobis! quia ab Angelis per Pſalterium religamur*

ligamur catenîs igneîs. Tantîs igitur ſignîs territi Toloſates pallent, tremunt, inhorreſcunt, victas manus ad comminantem Virginem tendunt, magnîs omnes lachrymîs & vocibûs veniam deprecantur. Audiît benigniſſima DEI Mater, & illicò in clementiæ ſignum minitabundam manum retraxit, elementa compeſcuit, ubi ſtatim hæreſis Albigenſium profligari cœpit, & ſucceſſivè penitùs extirpari. Hoc modo primitùs per Roſarium confuſi ſunt oſores B. Virginis Mariæ.

Non minùs efficax erat Salutatio Angelica tempore poſthumo, ubi Turcæ jurati Chriſtiani nominis hoſtes, JEſu, & Mariæ extremi oſores, vix non toti Chriſtiadûm orbi ultimum minitabantur excidium. Sed erat tunc ad clavum Eccleſiæ Summus Pontifex Calliſtus III. qui non defuit verbo & opere, armis & conſilio, ſumptibus & adhortatione Principum, afflictæ fidelium Reipublicæ ſuccurrere, antè omnia à DEO, exercituum Domino, & Beata Virgine, inſtar aciei caſtrorum ordinatæ terribili, auxilium depoſcens. Hunc in finem inprimìs votum vovit DEO Jacob, hîs verbîs: Ego Calliſtus Pontifex DEO Omnipotenti voveo, & Sanctæ individuæ Trinitati, me bellô, maledictîs, execrationibûs, & quibûscunque demum rebûs potero, Turcas, Chriſtiani nominis ſæviſſimos hoſtes, perſequi non ceſſare, quamdiu ſpiritus vitæ artus corporis mei vivificare non ceſſaverit. In honorem autem Beatiſſimæ Virginis Mariæ univerſalem per Eccleſiam divulgavit ordinationem, ut omni die ad meridiem campana quædam pulſaretur, ad cujus ſonitum, tanquam ad ſignum commune, univerſus populus auxilium Matris miſericordiæ imploraret, flexîs genibûs ter dicendô Salutationem Angelicam. Nec ſinè deſiderato fructu! Vix enim fideles huic devotioni attendentes ſuſpiria ſua ad Mariam, utpotè infallibile Chriſtianorum auxilium, emiſerant, oſores Chriſti, & Mariæ territi, ad internecionem cæſi, coram toto orbe confuſi fugam arripuerunt. Si ergo Salutatio Angelica ter ſolummodò repetita adeò efficax eſt ad confundendos cultûs Mariani adverſarios, quàm potens erit toties à Sodalibus ſacratiſſimi Roſarij in eadem die replicata? Si propterea per totam Eccleſiam laudabiliſſimus invaluit uſus, ut hodiedum in pagis & oppidis, urbibus & ſuburbijs campanîs ſignum detur ad ſalutandam ſub meridie B. Virginem, quantò ma- N. 8.

gis oportet, ut Sodales Mariani non deſinant omni die, & hora clamare ad Matrem ſuam: *Ave Maria.*

N. 9. Simile quid legimus in Annalibus Eccleſiæ de Gregorio IX. Summo Pontifice. Irruperat tunc in Italiam cum copioſo milite Fridericus II. Vir belloſus, Pontificum perſecutor, perpetuus interturbator pacis Eccleſiaſticæ, blanditiis, & præſagiis ſuorum firmiter perſuaſus, ſe univerſi orbis futurum eſſe dominum, Romanæ Sedis everſorem, & triumphatorem. Unde ſuperbiâ triumphi, antequàm decertaverat, elatus, ſequentibûs Verſibûs clam ad cameram Pontificis importatîs, excidium Romæ augurari moliebatur:

Fata docent, ſtellæque monent, aviúmque volatus:
Totius mundi malleus unus erit.
Roma diu titubans, variîs erroribûs acta,
Totius mundi deſinet eſſe caput.

Friderico vi paſtoralis ſolicitudinis ſe oppoſuit Gregorius IX. inprimis præfatis Verſibus acutè reſpondens, hoc modo:

Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quàm tibi vita brevis, pœna perennis erit.
Niteris incaſſum navem ſubmergere Petri,
Fluctuat, & nunquam deſinet eſſe ratis.

Deinde virtuti mirabili Angelicæ Salutationis confidebat Pontifex Maximus, ſtatuens, ut manè, & veſpere ter Salutationem Angelicam factô campanæ ſignô dicerent fideles. Et ecce! in feſto Aſſumptionis B. Virginis turris, cujus ſe præſidiô tegebant milites Friderici, ſubitò corruit, omnésque, antequàm vivere deſiîſſent, ſub ruderibus ſepelivit; cives Mediolanenſes jugum hoſtile, facta rebellione, excuſſerunt; Placentini flumine immiſſo everterunt adjacentia caſtra; Parmenſes vicinum ſibi exercitum profligârunt? ipſe Fridericus à Manfredo filio ſuo ſpurio pulvinarî ſuffocatus interiît. Ita Odoricus Rayn T. 3. apud Paciuchelli.

N. 10. Jam quid dicam de confuſione, qua Sodales Roſariani triumphant de Principe tenebrarum, & angelis ejus, quibus vel ſolum nomen Mariæ terribile eſt, cultus Marianus odibilis, Salutatio Angelica tonitru horrificum. Figûram hujus legimus confuſionis

1\. Reg. 17. in libris Regum, ubi in conſpectu totius Iſraël *egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſtinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis*

nis ſex cubitorum, & palmi: & caſſis ærea ſuper caput ejus, & loricâ ſquamatâ induebatur: Porrò pondus loricæ ejus quinque millia ſiclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: Et clypeus æreus tegebat humeros ejus. Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium. Ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcentos ſiclos habebat ferri: Et armiger ejus antecedebat eum. Stánſque clamabat adversùs phalanges Iſraël, & dicebat eis: Quare veniſtis parati ad prælium? Nunquid ego non ſum Philiſtæus, & vos ſervi Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. Si quiverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi: Si autem ego prævaluero, & percuſſero eum, vos ſervi eritis, & ſervietis nobis. Hæc inter nemo erat in populo DEI Iſraël, qui audebat cum Philiſtæo congredi; econtra ait S. Textus: *Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſtæi hujuscemodi ſtupebant & metuebant nimis*, donec tandem David puer parvulus acceſſit ad Regem Saul, & in hunc modum allocutus eſt eum: *Non concidat cor cujusquam in eo: Ego ſervus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philiſtæum - - Vadam, & auferam opprobrium populi: Quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircumciſus, quia auſus eſt maledicere exercitui DEI viventis - - Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi hujus.* Dixit, & eligens quinque limpidiſſimos lapides de torrente, fundáque armatus, ubi adversùs Philiſtæum animosè proceſſit, *tulit unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percuſſit eum in fronte: Et infixus eſt in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. Prævaluítque David adversùs Philiſtæum in funda, & lapide, percuſsúmque Philiſtæum interfecit*, præ confuſione recedente integro exercitu Philiſtæorum, & fugam turpiter arripiente.

Seriem hujus figuræ eleganter Sponſus Marianus, B. noſter Alanus, exponit de ſanctiſſimo Roſario & Sodalibus ejus: In perſona proceri & præſumptuoſi gigantis Goliath intelligit Principem tenebrarum, qui non ceſſat, plenus ſuperbiâ, inſultare hominibus, frequenti inſultu, tentatione, & verſutia nos ad pugnam provocare, omni apparatu bellico inſtructus, ut terreat puſillanimes: Per humilem David præfigurantur fideles: Fundæ aſſimilatur Marianum Pſalterium: Denique quinque limpidiſſimos lapides B. Alanus reducit ad quinque Decades in unaquaque ſanctiſſimi N. 11. *B. Alan. in Apol. c. 23.*

ctiſſimi

ctiſſimi Roſarij parte comprehenſas. Hîs igitur armati Roſariani obviàm procedunt ſtygio Philiſtæo, eminùs, cominùs fortiter pugnant, fundæ ſuæ ſecurè confidentes, & dicentes: *Vadam, & auferam opprobrium populi: Quoniam quis eſt iſte Philiſtæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui DEI viventis*, id eſt, fideli populo? Nec deeſt victoria; vix enim fundam ſuam elevant, lapidem imponunt, ictum vibrant, ſatanam in fronte feriunt, ad terram proſternunt, percuſſum confundunt. Unde Apoſtolus Marianus: *Pſaltæ ſacratiſſimi Roſarij ſunt Davides in funda Pſalterij, & quinque limpidiſſimîs lapidibûs quinquagenæ Goliath ſatanam proſternentes*, & confundentes totum orcum.

Idem l. c.

Hiſtoria.

Fideliſſimo famulo Virginis Mariæ S. Dominico, magnum Roſarij Myſterium publicè Carcaſſonæ in Gallijs annuntiante, innumera populi multitudo ſe tam ſancto, & devoto ſervitio B. Virginis devovebat, extollentes voces, & laudantes Mariam in Pſalterio. Quidam verò hæreticus ſectæ Albigenſis hoc ægrè ferens nedum hoc pium exercitium diris devovebat, ſed ex odio laudis Marianæ plurimos à ſancto ſuo propoſito retrahere allaborabat, variîs calumniîs novum Concionatorem ſacratiſſimi Roſarij impetens, palámque illi ubique contradicens. Aſt Virgo Mater, zelans laudes ſuas, ita confudit hunc oſorem ſuum. Mox enim juſtô Dei judiciô hæreticus, quindecim millibûs dœmonum obſeſſus, fremere, ejulare, & ſpumare cœpit, adeò, ut ſeipſum dentibûs dilaniaret, veſtes in fruſtra diſcerperet, & ægrè tandem, catenîs conſtrictus ferreîs, cohiberi potuerit. Nec malo huic remedium inveniebatur, donec miſellus ad S. Patrem Dominicum delatus eſt, & quidem eodem tempore, ubi coram univerſo populo, qui excedere credebatur duodecim millia hominum, Concionem de Roſario habebat. Gaviſus S. Pater de hac peridonea dignitatem ſacratiſſimi Roſarij confirmandi occaſione hæc verba, toto circumſtante populo audiente, locutus eſt: *Gratias tibi ago Domine DEUS: Beneficiô enim hujus obſeſſi comprobabitur mea hodie prædicatio.* Deîn converſus ad dæmoniacum ait: *In nomine Virginis Mariæ, cultúsque ipſius, de quo jam verba feci, impero vobis,*

ma-

maligni Spiritus, ut quæſtionibus, quæ à me nunc vobis proponentur, dilucidè coram omni populo reſpondeatis. Inter alias quæſtiones (quas hîc adducere neceſſe non eſt) hæc erat: Quodnam eſſet medium, quod ipſi dæmones potiſſimùm odîſſent, in illorúmque cederet confuſionem? Quis eſſet Sanctus in cœlo, quem ipſi magìs reformidarent, & quem homines maximè glorificare, diligere, & colere deberent? Hîs auditîs dæmones rugire, clamare, longas texere excuſationes, obmuteſcere, tergiverſari viſi ſunt, donec tandem plusquàm centum angeli, aureîs ſuccincti armîs, apparuerunt, & in medio glorioſiſſima, & Beatiſſima Mater DEI, quæ virgâ aureâ, quam in manibus habebat, percutiens dæmoniacum reſpondere compulit hîs verbîs: *Reſpondete Servo meo Dominico ſecundùm ſuam petitionem.* Volentes igitur nolentes maligni Spiritus exclamare cœperunt, dicentes: *Chriſti Mater potens eſt nimìs in præſervandis ſuis ſervis, quò minùs præcipites ruant in barathrum noſtrum inferni, & coacti fatemur, neminem nobiſcum damnari, qui ejus ſancto cultui, & pio obſequio devotus manet, nullum in exercitio Roſarij perſeverantem æternos ſubire cruciatus; ipſa enim devotis ſervis ſuis veram impetrat contritionem, qua fit, ut peccata ſua confiteantur, & eorumdem indulgentiam à DEO conſequantur.* Poſt hæc S. Dominicus hortatus eſt ſingulos de populo, ut clara voce, & tractim Roſarium B. Virginis recitarent, ſub cujus recitatione ad ſingulam Salutationem Angelicam multitudo copioſa à corpore miſeri hæretici in ſpecie carbonum ardentium erumpebat, donec homo totus ſanus, & incolumis manſit in præſentia S. Dominici, plurimíque hæretici, hoc modo confuſi, hæreſim abjurârunt, & ſervitio Mariano ſe mancipârunt. B. Jordanus, Humbertus, Joannes major in magno Speculo Exempl. tit. Roſar. Exemplo 1.

SERMO DECIMUS OCTAVUS.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

THEMA.

Impleti ſunt. Joan. 6.

B. Virgo providet Sodalibus Roſarij de neceſſariis vitæ, & affectu, & effectu.

N. 1. MIrabilia ſemper erant divinæ Providentiæ opera. In principio DEUS creavit cœlum, & terram, ſub cœlo tres diſtinctas regiones aëris, in terra profunda fluminum, & maris, in aëre volatilia pennata, in profundo aquarum ſquamata piſcium genera, in terra frugum, & plantarum fertilem abundantiam, in viſceribus terræ locupletem mineræ copiam. Et in quem hæc omnia finem, niſi in alimentum, confortationem, & delicias hominum? Aër, alatîs dives incolîs, eſt promptuarium quoddam, ut homo habeat, unde vivat, & lautiùs vivat: Maria, & flumina, piſcibûs referta, ſunt quædam cellaria, ut homo refrigeretur, reficiatur, & potetur: Terra, fructibûs abundans, eſt quaſi granarium, ex quo homini quotidianus ſubminiſtratur panis, & præbetur cibus in ſuſtentationem neceſſariam: Mineralia in gre-

gremio terræ ſunt theſauri abſconditi, ex quibus locupletatur homo, & diteſcit mortalium paupertas. Hîs non contentus DEUS ſpeciali quoque modô ſuis providere nunquam deſtitit. Primum hominem in paradiſo creavit, aſt non alio tempore, quàm ubi ad plenam ejus ſatietatem fructus erant maturi, & ad uſum placitum penduli ex arboribus. Toti Ægypto, & dilecto Iſraël, ne in ſeptenni ſterilitate terræ deeſſet panis, per Joſeph Proregem præparavit in anteceſſum ſupererogantem frumenti penum. Iſraëlitis in deſerto panem de cœlo miſit pro omni die tantam portionem, quæ unicuique domui ad numerum familiæ abundè ſufficiebat. Poſteà poſuit præceptum Moyſi: *Pones ſuper menſam panes Propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Et hoc non aliam ob cauſam, ait noſter Oleaſter, niſi ut miſericordiſſimus DEUS aſpiciendô panes continuò recordaretur indigentiæ humanæ. Imò in tantum Regius Pſaltes extollit Divinæ Providentiæ amplitudinem, ut eam in jumentis quoque, & volucribus cœli ſat mirari nequeat, hîs verbîs: *Præcinite Domino in confeſſione: Pſallite DEO noſtro in cithara: -- Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Eſto enim, ea ſit corvorum barbara indoles, ut pullos ſuos potiùs innatô primitùs odiô proſequantur, quàm diligant, eóſque vix excluſos prorſùs repudient neglectâ nutriendi curâ; Divina tamen Providentia ab illis non recedit, parandô cibum eſurientibus, aut quibûsdam minutîs animalculîs, & vermibûs, ùt vult S. Baſilius, aut de pinguedine roris cœleſtis, ùt aſſerunt alij. Ponderoſum hujus Providentiæ exemplum hodie iterùm adducit S. Evangelij hiſtoria. Abiît JEſus trans mare Galilææ, ſequebatur eum adeò copioſa multitudo hominum, ut putaret Philippus, ducentorum denariorum panes non ſufficere, ut modicum quiſque acciperet. Aſt JEſus, acceptîs à puero quodam quinque panibûs hordeaceîs,& duobûs piſcibûs ita ſua benedictione hæc multiplicavit, ut nedum virorum quaſi quinque millia ſaturata fuerint, ſed inſuper ex relictis fragmentis duodecim cophini impleti ſint. Unde S. Hieronymus: *Nemo timeat, nemo dicat: Si ſenuero, unde habeo vivere? ſi infirmus factus fuero, unde vivo? Chriſtum habes, & times? Si volatilia cœli paſcit, dubitas, quòd poſſit te paſcere? Diabolus paſcit ſuos homines, & Chriſtus non paſcet ſervos ſuos?* Simile quid hodie dicam de miſericordiſſima DEI Matre in ordine ad Sodales Roſarianos, quomodò

Exod. 25.

Oleaſter.

Pſalm 146.

S. Baſilius.

S. Hieron. in Pſalm. 107.

dò ſcilicet ijs jugiter provideat de neceſſarijs vitæ tum in affectu, tum in effectu.

N. 2. Duplicî hodie miſericordiâ eſurienti ſuccurrit populo benigniſſimus Salvator, affectu videlicet, & effectu. Affectu, ubi enim,

Marc. 8. ùt fuſè explicat S. Marcus: *Turba multa eſſet cum JESU, nec haberent, quod manducarent, convocatîs diſcipulîs, ait illîs: Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduô ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Et ſi dimiſero eos jejunios in domum ſuam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt.* In effectu verò; quia, commiſeratione ſola non contentus, ad opus quoque proceſſit, in re & opere non defuit, ut eſurientes impleret bonîs, & famelicis daret eſcam in tempore.

N. 3. In affectu & effectu Mater aſſimilatur Filio, potiſſimùm in ordine ad Sodales ſacratiſſimi Roſarij. Hunc in finem quoad affectum aliqui SS. Patrum miſericordiæ Matrem volunt præfiguratam

Gen. 41. fuiſſe in Joſeph Prorege Ægypti, quem ex Scriptura novimus ea ſolicitudine, & commiſeratione ſuper univerſum populum ſuum fuiſſe tactum, ut, poſtquàm ſeptenniô antè præcognovit ſeptem alios ſequentes annos ſteriliſſimos, & conſtitutus eſſet à Pharaone in œconomum domûs regiæ, nulli pepercerit labori, nullum non moverit lapidem, diu, noctúque eò ſuas intenderit curas, quo fami venturæ maturè præcaveret, & toti regno providè conſuleret. Egreſſus eſt enim in univerſam terram, dum adhuc fertilitas ſeptem annorum præcedentium repleverat horrea, circuivit pagos, & oppida, urbes & villas, conſtruxit granaria, collegit fruges, coëmit frumentum, replevit promptuaria, ut tempore

Sebaſtianus à Matre Dei. penuriæ ſupereſſet, quo egenti ſubveniretur populo. Non minùs pro ſuis Clientibus ſolicita eſt Regina cœli, & terræ: Ipſa enim *ad hoc deputata eſt, ut omnia neceſſaria, recurrentibus ad ſe, pro-*

S. Bonavent. *videat ſolicitè.* Ipſa *intelligit ſuper egenum, & pauperem, miſeretur, & commodat.* Ipſa *omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut*

S. Bernard. *de plenitudine ejus accipiant univerſi.*

N. 4. Alij comparant Virginem Deiparam illis animalibus, quæ vi-

Apoc. 4. dit Propheta Ezechiel, & Joannes plena oculîs antè, & retrò, quo-

S. Juſtin. Mart. ad faciem quidem quatuor in numero, in ſe tamen juxta opinionem S. Juſtini Martyris unum, quadruplici facie præditum, nempe facie hominis, facie leonis, facie bovis, & facie aquilæ. Simile quid de Beata Virgine affirmare licet. Aquila erat per al-

tiſſimam

tiſſimam contemplationem: Faciem bovis referebat, quia plurimùm laboravit ad excolendum agrum Ecclesiæ: Leo erat, quia voce ſua, quaſi rugitu magno, terruit omnes Poteſtates: Faciem denique hominis induit, quia plena eſt commiſeratione, plena humanitate, cura & ſolicitudine erga Clientes ſuos, plena oculîs, reſpiciens univerſas conditiones ſervorum ſuorum, ſtatus, ſexus, ætates, gradus, miſerias, neceſſitates, indigentias, ut omnibus proſit. Unde divinus ad eam Sponſus ſic loquitur: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Sed quare oculi Sponſæ ſimiles dicuntur piſcinis in Heſebon? quare non potiùs piſcinæ in Gabaon? quare non piſcinæ in Hebron? quare non piſcinæ Samariæ, celebri ex urbe adjacente ejusdem nominis? quare non piſcinæ in Sion, quæ in eo monte magno opere exſtructa fuit à Nehemia? quare non piſcinæ Natatoriæ Siloë, ad quam Chriſtus cæcum, à ſe ſanatum, miſit, ut in ea ſe lavaret? quare demùm non piſcinæ probaticæ, quæ hebraicè cognominabatur Bethſaida, cujus aqua certîs temporibûs movebatur ab angelo & qui prior in eam deſcenderat infirmus, à quacunque premeretur infirmitate, ſanabatur? Hîs autem omiſsîs oculi Sponſæ ſolummodò aſſimulantur piſcinis in Heſebon; & hoc ideò, ùt putat Soto major, quia ad motum aquæ in piſcina probatica unicus tantummodò ſingulîs annîs curabatur infirmus: Ad piſcinam Siloë ſolus cæcus natus recepit viſum: Ad alias piſcinas nulla memorantur à Scriptura beneficia, quæ hominibus fuiſſent exhibita. At verò piſcinæ in Heſebon erant duæ, quæ inprimìs formam oculorum præſeferebant: Deîn ſitæ erant ad portam civitatis Heſebon, ad quam ſemper videre erat magnam turbam hominum in- & egredientium: Ita quoque Beatiſſima Virgo Maria videtur tota eſſe oculata, quaſi tota in duos transformata oculos, quibûs ad dextram, & ſiniſtram circumſpicit, neceſſitates ſuorum famulorum attendit, qui ad eam turmatim quotidie conveniunt, ad eam ſubſiſtunt, ab ea auxilium præſtolantur.

Cant. 7. *2. Reg. 2.* *2. Reg. 4.* *3. Reg. 25.* *2. Eſdr. 3.* *Joan. 9.* *Joan. 5.* *Soto major*

N. 5. Luculentum hujus veritatis argumentum invenimus in nuptijs Canâ Galilææ. Aderat ibi JEſus, aderant diſcipuli, aderat B. Virgo Maria, aderant multi alij convivæ, omnes hilares in domino, jucundè comprandentes, amicô poculô ſponſis congratulantes. Tandem nondum quidem penitùs defecerat, attamen deficere incipiebat vinum. Advertit defectum JEſus, & diſſimula- *Joan. 2.*

mulavit: Adverterant diſcipuli, & ſe non moverunt: Adverterunt convivæ, & non curârunt: Adverterunt ſponſus & ſponſa, & triſtes ſiluerunt: Advertit Maria, & ſtatim proprio motu, à nullo interpellata, vel rogata, quaſi tacitè, & confidenter rogandô, loquitur ad Filium: *Vinum non habent.* Poſteà ad miniſtros menſæ: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Quod totum eò magìs meô judiciô eſt mirandum, quia tunc convivium jam pænè erat conſummatum, convivæ jam videbantur abundè refecti, & ſaturati, jam tempus ſurgendi de menſa inſtabat, vini ulterioris non erat ulla neceſſitas; & tamen adeò ſolicita eſt Mater miſericordiæ, præcisè ideò, vel ut completæ hoſpitum jucunditati deeſſet nihil, vel ut ſponſis non contingeret, de quo contriſtarentur. Sanè res longè aliter hìc in nuptijs CanáGalilææ agebatur inter convivas jam ſatures, quàm in hiſtoria hodierni Evangelij inter populum famelicum, qui cum JEſu erat. Sequebatur JEſum turba magna in deſertum: Jam tres dies erant, quò nihil alimentorum ſumpſerant: Non vinum duntaxat, ſed & panis deſiderabatur: Multi ex turba ex penuria eſcæ, & potûs deficiebant in via; & tamen, proh mirum! nullus in tanta multitudine adfuit, qui hanc inopiam ſibi cordi ſumeret, qui, turbarum miſertus, Chriſto ſuggeret, ut turbas ſatiaret, ne deficerent. Adſunt Petrus & Andreas; at tacent: Adſunt Joannes & Jacobus; at non dant commiſerationis indicium: Adeſt Philippus; at iſte, propoſita rei difficultate, potiùs Chriſtum à miſericordiæ officio avocat, dicens: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Adſunt alij diſcipuli; at omnes altum tenent ſilentium, nullus rogat, nullus urget, nullus interpellat, ut reficiantur turbæ. Et unde hoc diſcrimen? unde hæc rerum differentia? In Cana Galilææ ſolum vinum deficere videbatur, & admonetur pietas Salvatoris; in deſerto nec quidquam panis, nec minimum vini habebatur, & nemo rogat Salvatorem, ut ſuppetias ferat? In nuptijs jam plena, & jucunda refectio præceſſerat, & rogatur Chriſtus, ut vini jam epotati complementum ſuperaddat; in deſerto omnes eſuriunt, & non moneturChriſtus, ut ſuccurrat eſurientibus, imò præ fame jam deficientibus? Unde hoc? Planè non alia de cauſa, quàm quòd in deſerto cum turbis non adfuerit perſpicax, & compaſſiva DEI Genitrix, quæ omnium miſerias videt, ut ſuorum indigentiæ ſubveniat:

niat: In nuptijs autem aderat miſericors Mater; ideò non mirum, ſi indigentiam etiam minimam convivarum attendens ſtatim acceſſerit Filium rogandô, & monendô, dicens: *Vinum non habent.*

Jam ergo, Sodales Roſariani! Si Mater JEſu hæc fecit non invitata, non rogata; quid faciet toties à vobis in Roſario rogata toties invocata? Si hoc fecit, ubi vinum nondum penitùs defecit; quid præſtabit, ſi dura rerum penuria aliquem veſtrûm premere incipiet? Si tanta ſolicitudine intenta erat, ut convivarum jucunditas perficeretur ampliùs; quo miſericordiæ affectu amplectetur dilectiſſimos filios ſuos, ſi neceſſitas, ſi inopia nos diſcruciat? Si tam promptè interceſſit, ubi nemo illam convenit, quid non ſperare poſſumus, qui indies ad eam accedimus, indies eam ſalutamus, indies ejus patrocinium imploramus, indies ad DEUM in Roſario oramus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?* Si tantam ſolicitudinem oſtendit degens adhuc in terris, quàm liberalis, quàm miſericors erit erga ſuos in cœlis, ubi divitiæ ejus terminum neſciunt, & oculi ejus perſpicaciſſimi ſunt in pauperes filios Adæ? Ubi ei aptiſſimè S. Bonaventura accommodat verba illa Booz ad Ruth: *Benedicta es à Domino filia, quia priorem miſericordiam poſteriori ſuperâſti.* N. 6. *Ruth. 4. 10.*

Nolite ergo, Dilectiſſimi! nolite ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducemus, aut quid bibamus? Scit enim Mater veſtra cœleſtis, quid vobis neceſſe ſit: Ipſa veſtrûm omnium curam gerit. *Ipſa paſtum ſubminiſtrat famelicis*, ait Richardus à S. Laurentio, *& potum ſitientibus. Unde de ea dici poteſt, ſicut de Filio: Jacta cogitatum tuum in Dominam, & ipſa te enutriet. Ipſa enim eſurientes implet bonis, & dat eſcam eſurientibus.* Vos famulos & ancillas, qui tot labores ſubitis, tot opprobria, & convitia à dominis & dominabus veſtris ſurda aure audire debetis, tot noctes inſomnes ducitis pro victu & veſtitu, vos egenos, & pauperes, quibus res parva domi, & curta ſupellex, qui diu noctúque de ſublevanda inopia veſtra cogitatis, alloquor, & in Domino adhortor, ut partem laborum, quos pro hiſce temporalibus comparandis adhibetis, impendatis Deiparæ ſervitio; & in paupertate, in egeſtate veſtra, auxilium ipſius ſentietis. Glorioſa cœli Regina idem quaſi pactum jam dudùm iniît cum Sodalibus Roſarianis, quod olim iniît Chriſtus cum amantiſſima ſua, & Seraphica Virgine Cathari- N. 7. *Richard. à S. Laurent. l. 2. de laud. Virg. Luc. 12.*

tharina de Senis, hîs verbîs: *Cogita tu de me, & ego cogitabo de te.* Tu eſto impigra in obſequijs meis, & ego tui curam gerere non ceſſabo. Unde ipſa B. Virgo affirmavit B. Alano: *Volo, ut*
B. Alanus. *Pſaltæ mei ſecuri vivant de inopia.*

N. 8. Hoc eleganter in figura veteris teſtamenti explicat ſæpè jam laudatus Richardus à S. Laurentio. Tempore enim, ubi in Samaria fames vehemens erat, eoquòd per tres annos nec ros, nec pluvia per univerſam regionem ceciderat, factus eſt ſermo domini ad Eliam, dicens: *Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Peregrinum hoc videtur præcitato Richardo, cur Dominus DEUS Prophetam non potiùs miſerit ad mulierem divitem, pane, & cibariîs abundantem, quàm ad hanc viduam in Sarepta Sidoniorum; adeò enim hæc pauper, & inops erat, ut ipſa faſſa ſit Eliæ, petenti bucellam panis: *Vivit Dominus DEUS tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Aſt nolite mirari, pergit Richardus; per viduam illam poſſumus intelligere Virginem Deiparam. DEUS igitur ad viduam Prophetam dirigit, ut vidua illi victum neceſſarium provideat ad ſuſtentandam vitam, ut per hoc nobis inſinuet, ad Deiparam pro victu recurrendum eſſe. Sicut enim David in paupertate, & afflictione ſeipſum conſolabatur, & excitabat, dicens: *Ego autem mendicus, & pauper ſum: Dominus ſolicitus eſt mei. Adjutor meus, & protector meus tu es DEUS meus, ne tardaveris.* Ita quoque confidenter Clientes Mariani loqui poſſunt ad Mariam in neceſſitatibus ſuis: Ego autem mendicus & pauper ſum: Domina ſolicita eſt mei, adjutrix mea, & protectrix mea tu es, Domina mea, ne tardaveris.

Richard. à S.Laurent. l. 6. de Laud. Virg

3.Reg. 17.

Pſalm. 39.

N. 9. Affectui Marianæ ſolicitudinis ſuper Clientes ſuos in hac ſecunda parte Sermonis facilè ſubnecti poteſt effectus, ipſum opus, & ipſa ſublevatio paupertatis, ſi hæc conducat ad ſalutem hominis. Et primò quidem hic effectus manifeſtè ſequitur ex illo, quod de S. Joſeph, & B. Virgine tradit Bartholomæus Piſanus, qui dicere non dubitat, Joſeph, & Mariam, ubi ab Angelo moniti fuerunt, ut ad declinandam Herodis iram, atque inſidias unà cum Divino Filio ſuo in Ægyptum fugerent, non parùm doluiſſe; & hoc ideò, quia ſoliciti erant de ingenti paupertate, qua premebantur, utpotè qui omnibûs iîs, quæ in itinere adeò prolixo pro tenelli

Bartholomæus Piſanus.

nelli

nelli infantuli ſervitio, & commoditate neceſſaria erant, deſtituebantur. *Dolebant* (verba ſunt præfati Authoris) *& dolor erat cauſatus ex indigentia familiarium rerum, quia pauperrimi erant.* Sed quomodò pauperes eſſe, & rei alicujus neceſſitate premi poterant, qui à paucis diebus magnam auri quantitatem receperant? Dum enim paulò antè Reges Sabæi advenerant, Chriſtum natum, & in præſepio collocatum adoraturi, ingentes & opulentos indubiè ſecum attulerunt theſauros: *Piè enim credendum eſt*, inquit S. Bernardinus, *non parvam auri quantitatem fuiſſe;* ſiquidem conveniens erat, ut munus aliquod à tribus potentiſſimis Principibus, tanto Monarchæ offerendum, non eſſet mediocre, ſed potiùs maximum. Non ergo ambigendum, quin iſta munera JEſu, & Mariæ, in Bethleem præſentata, abundè ſuffecerint, nedum omnibus in itinere ad Ægyptum, & in reditu emergentibus neceſſitatibus ſuccurrendi, verùm inſuper toto vitæ tempore commodiſſimè vivendi, præcipuè quia Sanctiſſimi Conjuges præter nudam neceſſitatem aliud non quærebant, paucîs per omnia contenti. Hoc tamen non obſtante extra controverſiam eſt, tempore fugæ in Ægyptum Mariæ parùm, aut nihil in ſubſidium viæ ſuperfuiſſe, ſed potiùs eam cum Conjuge ſuo Joſeph pauperem, indigentem, omnibûs pecuniîs deſtitutam, itineri ſeſe accinxiſſe, in Ægyptum adventâſſe, inter gentes per ſeptennium vixiſſe; & hoc ideò, quia B. Virgo, utpotè pauperibus addictiſſima, aurum, & munera Magorum, mox, ùt in manus recepit, ad manus pauperum iterùm deportavit, ſinè mora interpoſita deſtribuendô cuncta, & liberaliſſimè erogandô per eleemoſynam. Ita S. Bernardus: *Virgo Beata, pietatis mater, & paupertatis amica, theſauros, Regum devotione oblatos, absque mora liberaliſſima charitate regionis illius pauperibus diſpenſavit.*

S. Bernardin. Serm. 10. in Purific.

S.Bernard.

N. 10. Adeſte igitur, Clientes Mariani! Si pauperes ſitis, ſi victu, veſtitu, aliisque vitæ neceſſariîs careatis, ſi inopia vos premat, ſi nuda domi penus famem minitetur, ſi agri, & vineæ ſterilis fructum non ferant, ſi domeſticatio claudo incedat pede, ſi varij infortunati caſus bona veſtra peſſumdant, ad Deiparam confugite, Mariæ neceſſitatem, & paupertatem ab oculos ponite; & voti veſtri compotes eritis. Conſolamini, conſolamini! Si enim benevola Mater in terris ipſa pauper adeò liberalis fuit in pauperes, ut ſeipſam etiam neceſſariîs vitæ privaverit, quantâ abundabit miſericordiâ, ubi

nunc in cœlis extra paupertatem regnat, in cœlo & in terra omnem poteſtatem accepit, omnium bonorum diſtribuendorum à DEO theſauraria inſtituta eſt? Unde, ſicut ingruente per Ægyptum fame, quando clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens, Gen. 41. reſponſum erat Regis: *Ite ad Joſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite.* Ita ſacratiſſimi Roſarij Apoſtolus omnes eſurientes, & in- B. Alan. p. 4. c. 24. digentes mittit ad Auguſtiſſimam Roſarij Reginam, hìs verbìs: *Qui vultis ditari, ſtudioſè offerte Virgini Mariæ dictum Pſalterium.*

N. 11. Nec deeſt figura veteris Teſtamenti, per quam hæc dicta & declarantur elegantiùs, & roborantur firmiùs; Maria enim videtur perfectè jam olim fuiſſe adumbrata per alteram Mariam, ſororem Moyſis, ut, ſicut hæc Iſraëlitis in deſerto degentibus, & egentibus aquam totos quadraginta annos meritîs ſuîs impetravit; ita illa hodiedum fidelibus in deſerto hujus mundi paupertate, & egeſtate Exod. 17. preſſis victum provideat, & neceſſaria vitæ. Ex S. Scriptura novimus, quomodò aqua ex petra ſtupentî miraculô ſitienti populo data fuerit, majorî autem miraculô ijsdem per quadraginta annos conſervata; tradunt enim Hebræi, illum fontem, è ſilice erumpentem, divinitùs toto tempore, quo Iſraëlitæ per deſertum iter agebant, illos fuiſſe comitatum, ſive reverà ipſa rupes pariter cum illis ambularet, ſive ſolus fluvius modò per acclivia montium violentus aſcenderet, modò per declivia vallium pacatus decurreret, modò per æquata camporum compoſitus ſequeretur; ut innuere 1. Cor. 10. videtur S. Textus: *Conſequente eos petra.* At cujus meritìs tan- Rabbi Salomon apud Lyr. n. 20. Rabbi Iſaac apud Genebrard. Pſalm. 77. tum miraculum obtinuerunt Hebræi? Rabbi Salomon, & Rabbi Iſaac meritis Mariæ ſororis Moyſis id attribuunt. Poſtquàm enim Maria mortua eſt, ſtatim Scriptura annotat aquam deficientem, hìs verbìs: *Mortua eſt ibi Maria, & ſepulta eſt in eodem loco: Cúmque indigeret aquâ populus &c.* Ubi tacitè quodammodò innuitur, illam aquam totos quadraginta annos meritîs Mariæ redundâſſe; ſiquidem, Maria deficiente, ſtatim & additur, aquam defeciſſe.

N. 12. Nunc ad propoſitum: *Omnia*, inquit Apoſtolus, *in figura* 1. Cor. 10. *contingebant illis.* Quidquid fiebat illi populo, figura erat illius, quod in novo Teſtamento DEUS per ſe, vel mediatè per alios ageret. Cùm igitur ſoror Moyſis Maria typus ſit Virginis Mariæ, Juſtinus Michovienſis. ſicut ſentit Juſtinus Michovienſis, *Maria ſoror Moyſis*, inquit, *fuit typus Mariæ Virginis*, per hoc intimabat DEus, quòd Maria

Mater

Mater Unigeniti Filij ſui idem poſſit præſtare in novo Teſtamento, quod Maria ſoror Moyſis præſtitit in antiquo, imò longè plura, quia illa multò nobilior, & Deo gratior eſt, quàm hæc. Hæc fuit ſoror Moyſis; illa Mater Dei: Hæc parvulum Moyſen à morte liberavit; illa parvulum Chriſtum ab Herodis furore conſervavit: Hæc Prophetiæ accepit ſpiritum in veteri lege; illa autem in lege novâ, veterum Prophetarum finis exiſtens, Prophetiſſa magnum generavit Prophetam: Hæc in veteri Teſtamento terrâ & marî populum Hebræorum virgo præceſſit ad terram Chanaan; illa verò in novo, virtutum ſuarum exemplô, omnes ad cœlorum regnum properantes anteceſſit. Si igitur Maria illa antiqua potum copioſum populo Hebræorum exhibuit; multò magis Maria nova ſuis Clientibus quoad neceſſaria vitæ non deerit.

Videtur igitur DEum ter Optimum Maximum in bonum hu- N. 13.
mani generis idipſum ordinâſſe, quod Lacedæmonios in bonum filiorum publicô decretô ſanxiſſe referunt veterum Annales. Non patiebantur Lacedæmonij, ut juvenes eorum, quamprimùm vires aliquas adepti erant, in ſomno, & otio veſcerentur pane ſuo, ſed potius eò intenderant, ut à pueritia laboribus aſſueſcerent, proprio marte, propria induſtria, proprio conatu ætati proportionato, panem & alimentum ſibi acquirerent. Hunc in finem parentes & panem, & poma, & pyros, & alia hujusmodi, quibûs hominem ſuſtentari neceſſe eſt, aut ad quæ indoles puerilis, frequenter eſuriens, magìs afficitur, ex arbore aliqua altiori, vel depreſſiori, ſtaturæ parvulorum convenienti, ſolerter ſuſpendebant, ut hoc modo, qui ſaturari vel recreari cupiebant, adhibito labore ſibi cibum compararent, ſive ramos arboris inclinandô, ſive ipſam arborem aſcendendô.

Simile quid fortè non ineptè de benigniſſimo Deo noſtro aſſe- N. 14.
rere licebit, qui non vult hominem eſſe otioſum, ſed potiùs ut laboret, & deinde manducet. Ita jam dudùm de ſuis Dijs ſentiebat antiquitas in tritis illis proloquijs: *Dij omnia laboribus vendunt. Abſque labore nihil.* Unde victum & veſtitum, alimenta corporis, & neceſſaria vitæ videtur DEus ſuſpendiſſe ex arbore, ut noſtrîs meritîs, noſtrîs laboribûs, ſaltem aliqua ex parte ea nobis obtineamus. Arbor eſt glorioſiſſima cœli Regina in Roſario, & quidem arbor, ita, ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus; ùt ſupra dictum fuit Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Ex hac arbore pendent fructus copioſiſſimi, dona DEI uberrima, millena auxilia ad pellendam inopiam, ad ſubminiſtrandas in penuria ſuppetias, ad ſublevandas preſſuras humanas, dummodò homo accedat meritîs, in arborem recitandô frequenter Roſarium aſcendat, fructus colligat, & ſibi divina munera accumulet. *Sebaſtian. à Matre Dei Stella 22.* Unde ſic omnes alloquitur R. P. Sebaſtianus à Matre DEI: *Studeamus, Dilectiſſimi, ut hanc arborem benedictam* (de Deipara loquitur) *in nobis plantatam habeamus. Nam profectò, quidquid neceſſarium poſſumus concipere, totum nobis ſuîs precibûs benedicta hæc arbor providebit.*

N. 15. *P. Herculanus.* Pro coronide horum dictorum recordor illius, quod noſter P. Herculanus memorat de Regina quadam Galliæ, Eliſabetha nomine. Ædificaverat hæc Summo cœlorum Monarchæ templum permagnificum, in quo exornando nec ſumptibus parcebat, nec labori, inſolita tamen, & fortè nunquam exaudita ſolutione operarijs præſtita. Dum enim quadam die omnes artifices & operarios convocâſſet, ut diſtribueret inter illos denarium diurnum, Regina occurrit illis in manibus geſtans faſciculum roſarum, quo ſoluto incipiebat inter adſtantes flores diſpenſare, dicens: *Roſæ iſtæ erunt fructus hujus diei.* Operarij, pecuniarium ſuorum laborum exſpectantes ſtipendium, obſtupeſcebant ad hanc inſperatam ſolutionem, unus alterum intuebatur, & vix non in corde ſuo murmurare cœperunt, donec exiſtimantes, Reginam hoc modo jucundè jocari velle, opera ſua manualia denuò reaſſumpſerunt, & unusquisque ad locum ſui ſervitij regreſſus eſt, ſeponentes intereà flores à Regina acceptos. At ecce ſtupendam rei novitatem! Ubi ingruente nocte labori finem imponebant, & ſuas in domos reverti meditabantur, ſinguli invenerunt, ſuas ante à Regina ſolutionis locò obtentas roſas in aurum fuiſſe mutatas, & uberem eſſe nimìs mercedem diurnam, quam pro ea die receperant. Idem Sodalibus ſacratiſſimi Roſarij perſæpè evenire ſolet: Quando in cultu Beatæ Virginis ſeduli, in Pſalterio Mariano aſſidui, in conſuetis Archi-Fraternitatis exercitijs frequentes fidelem famulatum præſtant Auguſtiſſimæ Roſarij Reginæ, flores illis commutantur in mercedem magnam nimìs, roſæ in aurum puriſſimum, oratio in fortunam deſideratiſſimam. *Oſorius Dom. 5. poſt Paſcha.* Si igitur Oſorius dicat, & benè dicat: *Oratio eſt pecunia ſpiritualis, qua media omnia acquirimus, quæ volumus:* Hoc à fortiori orationi ſacratiſſimi

Roſa-

Roſarij attribuendum eſt; illa enim veriſſimè aurum myſticum eſt, pecunia ſpiritualis, qua media comparamus nobis omnia, quæ volumus: Illi proprijſſimè convenit ſubtilis cogitatio S. Cypriani: *Qui dedit vivere, docuit & orare.* Quaſi dixiſſet: Eſto, multa neceſſaria ſint ad vitam, & conſervationem hominis, v. g. cibus, potus, veſtitus, domus, ſanitas, & plura alia; ſiquidem autem DEUS vitam præbet, ſubminiſtrat quoque modum, quo omnia neceſſaria obtinere poſſumus, ſcilicet orationem: Præ cæteris enim per Marianum Pſalterium omnia parare, & impetrare poſſumus. Roſarium aurum eſt, quo omnia emuntur, quæ & animæ & corpori neceſſaria ſunt.

S. Cyprian l. de Orat. Dom.

Hiſtoria.

GAndavi celebri Flandriæ oppido ad annum circiter 1481. poſtquàm paulò antè Fraternitas ſacratiſſimi Roſarij Coloniæ inſtaurata fuiſſet, malè feriati quidam tum è Clero, tum è populo, non ferentes ob Roſarij religionem, noſtrorum ſtudiô, & operâ florentem, frequentiorem plebis ad noſtram Eccleſiam concurſum, invidentiæ ſpiritu acti, tantô in Fratres Prædicatores exarſerunt odiô, ut mille artibus, & ea, qua valebant, authoritate, Senatum ipſum, alióſque urbis Primores in noſtros peſſimè armârint, & ad publicam adversùs Conventum noſtrum perſecutionem inſtigaverint. Mox enim à Senatu publicô edictô univerſis civibus, & quidem indictâ perduellionis pœnâ, inhibitum fuit, ne aut quidpiam eleemoſynæ noſtris ſuppeditaretur, aut ullus noſtram Eccleſiam adiret, aut quædam cum PP. Dominicanis colloquia miſceret. Aſt nubilum iſtud ſuæ benignitatis radiô diſſipavit Maria, ſuos non deſerens unquam cultores. Romæ quidem cauſa noſtra glorioſè triumphavit, adverſarios damnante Sixtô IV. tunc Pontifice: Gandavi verò benevola Mater duo dedit luculenta ſuæ potentiæ, & materni in ſuos amoris argumenta. Unum, quo extremæ propè noſtrorum calamitati, & indigentiæ illuſtrî prorſus prodigiô ſuccurrit; alterum, quo præter ſolita ejus in peccatores viſcera adverſariorum unum, in re illa nimìs improbum, vindice manu plexit, horrendáque morte damnavit. Etenim cùm

noſtris ob iniquum illud edictum annona, ſpesque eam comparandi deeſſet, conſtantes eorum Roſarij preces ardentésque lachrymas audiît benigna Deiparens. Et ecce! pleno die viri duo ignoti currum, omnibûs ad victum neceſſariîs onuſtum, in Conventum invehunt. Accurrunt Fratres, mirantur annonæ copiam, ignotos vectores, majorem Cœnobij portam, nemine ipſorum conſcio, anteà (ut mos eſt) firmô etiam peſſulô obſeratam, ultrò illis patuiſſe. Cuncta interim vectores humi ponunt, nihílque aliud referunt, quàm hæc verba: Collaudate, & honorate benedictam ejus Matrem, cujus interventu non dereliquit ille ſperantes in ſe, nec deſeret unquam, ſed magis dabit cum tentatione proventum. Móxque vectores (indubiè Angeli) cum quadriga noſtrorum oculis erepti ſunt. Fratres tantô beneficiô divinitus acceptô in Eccleſiam properârunt, DEO, Virginique Matri, quas poterant, gratias acturi. Interim, dum illi maximô gaudiô perfuſi Canticum *Te DEUM* altîs vocibûs læti concinerent, ſummus Gandavenſium Prætor pontem, noſtro templo proximum, fortè præteriît, equo inſidens, & pro more ſatellite ſtipatus, eósque, quos fame propemodùm enecatos credebat, iſtud lætitiæ Canticum, velut exultabundos cantare audiens, impio furore percitus, multa in innoxios Fratres ſacrilego ore debacchari, & porrò minari, omnes ſe fame interfecturum. Et ecce! ſubitò equus, offenſo forſan pede, corruit, unáque miſer atque infelix Prætor, qui fracta cervice, nec quidquam præterea locutus, cunctîs circum ſtupentibûs in pontis clivo jacuit: Unde à ſuis ſublatus, pauculas poſt horas mortuus, criminis pœnas luit. Annales Fratrum Ord. Præd.

SER-

SERMO DECIMUS NONUS.

Dominica Paſſionis.

THEMA.

Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Joan. 8.

Qui ſervaverit leges ſacratiſſimi Roſarij, liber erit à morte æterna, & mors corporis ei dulceſcet.

S*Tatutum eſt hominibus ſemel mori*, jam dudùm edixit Apoſtolus; proinde mors omnibus certa eſt, hora tamen mortis incerta. Cuncta alia, quæ homini in hoc mundo adveniunt, incerta ſunt, ſive bona, ſive mala, ſive divitiæ, ſive paupertas, ſive proſpera, ſive adverſa, ſola mors certa manet: Patres noſtri præteriêrunt, nos abibimus, poſteri ſequentur. Quemadmodùm enim fluctus maris alii aliîs ſupervenientibûs pelluntur, & tandem in extremo littoris ultimatim eliduntur; ita in termino mortis ſucciduæ eliduntur ætates. Quemadmodùm in horto flores apparent, & ſubitò iterum emarceſcunt; ita homo nunc pulchrè effloreſcit, paulò poſt penitùs evaneſcit. Quemadmodùm in arbore poma rident, & , dum matura ſunt, uncinô colligun-

N. 1. *Hebr. 9.* *Similia.*

liguntur, & carpuntur; ita mors variîs morborum, & caſuum uncinîs homines ad ſe attrahit, & fractos deportat ad domum æternitatis. Quemadmodùm in ludo latrunculorum calculi, diversîs inſigniti nominibûs, & Reges, & Reginæ, & equites, & pedites &c. in fine ludi permiſcentur, cunctique in ſaccum intromittuntur; ita univerſi in fine vitæ homines ſinè diſcrimine auferuntur, & in pulvere mortis abſconduntur, horâ mortis ſemper incertâ. Unde Chriſtus: *Neſcitis, quando tempus ſit.* Et Eccleſiaſtes: *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamô, & ſicut aves laqueô comprehenduntur; ſic capiüntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.* Non eſt inſtans temporis, non eſt loci ambitus, ubi homo ſecurus vivit contra vim mortis. Tarquinius ſpinâ piſciculi, Manlius Torquatus placentâ in cœna appoſitâ, Saufeius ſumptô ovô obiit: Ariſtidem morſus muſtellæ, Anacreontem, & Sophoclem uvæ acinus, Luciam, Marci Aurelii filiam, punctiuncula acûs ſubitò extinxit: Æmilius Lepidus ad limen domûs pedem in egreſſu offendens, Bebius Pamphilus, dum à puero horas quærit, Juventius Talva, dum ſacrificat, Bebius judex, dum vadimonium differri jubet, derepentè mortui ſunt: Philemon comicus, in ſcena exſpectatus, in lectulo mortuus jacet; & ſic de millenis aliis, quos inſperata mors ex vivis rapuit.

Marc. 13. *Eccl. 9.*

N. 2. Sodales Mariani! Hodie ex duplici titulo mortis admonemur, tum quia hodierna Dominica apud plures nationes appellari conſuevit *Dominica nigra*: Color autem niger Symbolum eſt mortis, &, vix viſus in veſtimentis hominum, excitat nos, ut interrogemus de defuncto conſanguineo: Tum quia ipſe Salvator in hodierno Evangelio videtur memoriam mortis indigitare, dicens Phariſæis: *Si quis Sermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Et hoc ideò, ſicut acutè advertit cum S. Thoma Aquinate Salmeron, ut, dum hodie denuò varias à Phariſæis tulit calumnias, & convitia, dictus *Samaritanus, & dæmonium habens*, hoc modo obdurata eorum corda memoriâ mortis terreret, memoriâ mortis emolliret, memoriâ mortis ad meliorem frugem reduceret, quaſi dicens: Qui me audièrit, verbis meis fidem adhibuerit, mandata, & leges meas obſervaverit, mortem non videbit in æternum, id eſt, juxta expoſitionem SS. Patrum, à morte æterna erit liber, & mors corporis ei mors non erit,

S. Thom. Aquin. *Salmeron.*

erit, ſed potiùs dulcis ſomnus, & blanda transmigratio de miſera hac vita in meliorem. Idem hodie probandum ſuſcipiam de illis, qui leges ſacratiſſimi Roſarij ſolicitè obſervaverint.

Mors certa, hora incerta, incertiſſima gratia finalis, qua ſola mortem æternam ſubterfugere licet. Eſto enim, vita tua clariſſimorum virtutum fulgor eſſet, eſto, Seraphico in DEUM amore flagrares, eſto, quot natura in corpore poros, tot pro Chriſti fide tibi Tyrannus vulnera reſeraret, eſto, tot meritorum ornamentîs, quot cœlum ſyderibûs, ſplendeſceres; una tamen ſi gratia finalis deeſſet, nullus eſſes, periiſſes, præcipitandus in ruinam, nullîs remediîs reparandam. Gratia enim finalis tam eximium DEI donum eſt, ut, ſicut nullus ſibi illud de condigno promereri poteſt, dicente Magno Auguſtino: *Unde dilucide oſtenditur, & incboandi, & usque in finem perſeverandi gratiam DEI non ſecundùm merita noſtra dari:* Ita mortalibus propemodùm univerſis usque ad extremum vitæ halitum occulta, & abſcondita eſt. Rationem hujus aſſignat Scholarum Angelus, triplicem diſtinguens viam, qua in cognitionem rei venire datur: Primò, per externam DEI, qui nec falli, nec fallere poteſt, revelationem: Secundò, per abſolutam rei evidentiam, & demonſtrationem: Tertiò, per probabilem conjecturationem, & obſcuram opinionem. In ordine ad gratiam finalem DEUS rariſſimè, & pauciſſimis eandem cum omnimoda ſecuritate revelat, ſed potiùs vult, ut, quamdiu viatores ſumus, anxiè, & ſolicitè, & perſeveranter usque in finem bonis operibus inſiſtamus. Unde legimus in Aſcetarum Principe: *Cùm quidam anxius inter metum & ſpem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in Eccleſia ante quoddam Altare ſe in oratione proſtraviſſet, hæc inter ſe revolvit, dicens: O ſi ſcirem, quod adhuc perſeveraturus eſſem! ſtatim audivit divinum intùs reſponſum: Quid, ſi hoc ſcires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & benè ſecurus eris.* Per abſolutam rei evidentiam certa cognitio gratiæ finalis omninò impoſſibilis eſt, dicente Eccleſiaſte: *Neſcit homo, utrùm odio, an amore dignus ſit.* Multos enim videmus, addit S. Gregorius, quotidie, qui juſtitiæ luce reſplendent; & tamen ad finem ſuum nequitiæ obſcuritate tenebrantur. Huic conformiter orat ad Dominum David: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Alia ſunt judicia hominum, alia judicia DEI,

N. 3.

S. Auguſt. de bono perſever. c. 13.

S. Thom. 1. 2. q. 11. a. 5.

Thom. Kemp. de imit. Chriſti l. 1. c. 25.

Eccle. c. 9.

S. Gregor. L. 26. Moral. c. 9.

Pſalm. 18.

qui ſcrutans Jeruſalem in lucernis facilè deprehendit peccatum, ob quod homini juſtè denegat ultimam gratiam. Unde ait Apo-
1. Cor. 4. ſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me, Dominus eſt.* Quaſi diceret (commenta-
Cornel. à Lap. hîc. tur Cornelius à Lapid.) non judico me juſtum eſſe: Nam licèt nullius infidelitatis in munere Apoſtolico mihi conſcius ſim, non ideò tamen reverà juſtus ſum coram DEO; ipſe enim fortè in me peccata videt, quæ ego non video, præſertim, quia Dominus etiam juſtitiam judicabit. Quod attinet denique ad probabilem conjecturam æternæ ſalutis, ſeu gratiæ finalis, ea non duntaxat fidelibus non denegatur, ſed potiùs aſſeritur à SS. Patribus; &
S. Bernard. Serm. 1. in Octav. Paſch. quidem varijs ex ſignis, quorum multa aſſignat S. Bernardus, hîs verbîs: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quo electionis ad ſalutem teſtimonia commendantur. Qui peccato non ſervit, qui Chriſti ſanguinem non evacuat, & à peccatis continet, qui dignos pœnitentiæ fructus agit, qui vitæ opera facit, qui DEI verbô delectatur, qui DEUM diligit, & proximum, is meritò confidat, ſe ad æternam vitam eſſe prædeſtinatum.*

N. 4. Inter cæteros probabiliori gratiæ finalis ſecuritate gaudent omnes illi, qui ſe teneriori devotione dicant cultui B. Mariæ Vir-
Proverb. 8. ginis. Ipſa enim jam dudùm promiſit: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Super quæ verba ita excla-
S. Bonavent. in Pſalt. Virg mat S. Bonaventura: *Audite hæc omnes gentes; auribus præcipite, qui ingredi cupitis regnum DEI: Virginem Mariam honorate, & invenietis vitam, & ſalutem perpetuam; qui enim acquirit gratiam Mariæ, cognoſcetur à civibus paradiſi: Et qui habuerit characterem*
Annal. Societ. JEſu An. 1635. c. 36. *ejus, annotabitur in libro vitæ.* Ita propriîs oculîs vidit mulier illa, de qua meminerunt litteræ Societatis JEſu, quæ, ſervitio Mariano penitùs mancipata, ſæpiùs in eadem nocte videbatur exſpirâſſe, & denuò ad vitam revocata, tandem autem, cœleſtibûs gaudiîs affluens, ſic affata eſt ſuum Confeſſarium: *Scito, mi Pater, nocte hac certò me mortuam eſſe, deductáque ſum ab Angelo, ut viderem damnatorum ſupplicia, in quibus plures notos agnovi. E cæ-*
Pachiucbell Excit. 4. in Pſalm. 86. n. 5. *tu tamen Sodalium Beatiſſimæ Virginis vidi neminem.* Ita propriô ſuô damnô expertus eſt Judas Iſcariotes, qui æquè, ac Petrus, & Thomas, pœnitens potuiſſet patratæ proditionis veniam obtinere, & ſalvari, ſi æquè, ac Petrus, Thomas, cæterique Apoſtoli ad Mariam confugiſſet; ut teſtatur Paciuchellius.

Hunc

Hunc in finem Evangeliſta referens mortem Chriſti in monte N. 5.
Calvariæ non fruſtra addidit: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* *Joan.* 20.
Et cur non niſi inclinato priùs capite mori voluit pientiſſimus Salvator? Ideò, reſpondet noſter Hugo: *Inclinato capite tradidit* *Hugo à S.*
ſpiritum, id eſt, ex parte Matris ſuæ, quaſi diceret: Per ipſam veniam petite, ipſa eſt Oraculum miſericordiæ. *Charo.*
Ubi enim Chriſtus caput ſuum inclinavit, id fecit verſùs illam partem, ubi benedicta Mater ejus doloroſa ſub cruce ſtabat, hoc ſigno inclinationis quaſi innuens, & indigitans: O vos mortales! ſi & vos olim, in agone conſtituti, ſpiritum tradiduri eſtis, ad Mariam recurrite, ad Mariam inclinate corda, & vota veſtra, Mariæ patrocinium implorate, ipſa eſt divinæ miſericordiæ Oraculum, ipſa eſt Mater gratiæ, ipſa eſt ſcutum veſtrum, & protectrix veſtra, ut gratia finalis præſtò ſit morientibus. Clariùs hoc deducitur ex eo, quòd B. Virgo & in Scriptura, & ab Eccleſia comparetur ebori. In Canticis namque dicitur: *Collum tuum, ſicut turris eburnea.* Eodem modo in *Cant.* 7.
Lytanijs Lauretanis appellatur *turris eburnea.* Sed cur Maria comparatur turri eburneæ? cur non turri aureæ? cur non turri ex margaritis, aliiſque pretioſis gemmis fabricatæ, quæ, ebore pretioſiores, adductam ſimilitudinem longè plùs magnificare potuiſſent? Ideò, explanans hunc textum Philippus Abbas S. Bernardi contemporaneus, reſpondet: *Quia ebur tam admirabilis eſt* *Philippus*
virtutis, ut, ſi pannus lineus ſuper ipſum ebur mittatur, & ipſi panno lineo carbo vivus deſuper imponatur, ſua virtute ebur pannum, qui illi adhæret, illæſum cuſtodit, ne à ſuperpoſito carbone vivo conſumi, aut cremari poſſit. *Abbas.*
Quando ergo Spiritus Sanctus Sanctiſſimam DEI Matrem turri eburneæ comparavit, hac ſimilitudine ad ſtupendam Deiparæ Virginis protectionem reſpexit, qua ſuos Clientes à morte æterna, ab igne inferni, à flamma divinæ indignationis defendit. Quemadmodùm enim pannus lineus, ebori proximè ſuperimpoſitus, non metuit incendium à carbone ſibi conjuncto, & ſuperaddito; ita Clientes Mariæ, eidem per opera pia frequenter inhærentes, non timent inferni ignes, non ignem divinæ indignationis, & vindictæ, ſed potiùs interceſſione ſuæ Protectricis ſuffulti de gratia finali ſecurè confidunt, & à morte æterna illæſos ſeſe fore jucundè credunt.

Hoc autem ex ore ipſius Auguſtiſſimæ cœli Reginæ potiſſimùm, & præ alijs omnibus proprium eſt Sodalibus ſanctiſſimi N. 6.

B. Alan. 4. p. c. 24. Roſarij; ſic namque ipſa loquitur ad B. Alanum: *Signum ergo tibi ſit probabiliſſimum æternæ ſalutis, ſi perſeveranter indies me in Pſalterio ſalutaveris.* Nec deſunt rationes de congruo, quibûs hoc dictum peridoneè ad captum noſtrum fuſiùs ſtabiliri poteſt. Si enim illud, quod Chriſtus edixerat de Patre ſuo, id Sancti Patres attribuant quoque Mariæ: *Qui petit, accipit, qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur;* quis dubitationis locus relinquetur in Roſarianis de perſeverantia in gratia, de felici morte, de æterna ſalute, qui toties in una die, in uno Roſario, in una Decade petunt, & repetunt, quærunt, & ruminant, pulſant & intonant verba illa: *Sancta Maria, Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis, Amen?* Sanè vix poſſibile eſt *Michaël ab Inſulis.* (confidenter loquitur noſter Michaël ab Inſulis) ut aliquis, qui ex corde ad ſerviendum Virgini in Fraternitate Roſarij ſe obtulerit, eámque toties ſalutaverit, finaliter pereat. Non minor efficacia aſtruitur Pſalterio Mariano in ordine ad gratiam finalem, & vitam æternam nobis aſſecurandam exinde, quòd in illo copioſiſſimè contineatur Sanguis Chriſti in vita & morte pro ſalute hominum effuſus, in Myſterijs ſanctiſſimi Roſarij, præcipuè doloroſis, uberrimè exundans, qui Sanguis indubiè certiſſimum æternæ beatitudinis ſignum, & indicium eſt. Expertus eſt hoc noſter B. Jacobus de Mevania, quem doctrinæ fama, coruſcationes miraculorum, plauſus, & admiratio populi adeò per multos annos anxium reddiderunt æternæ damnationis, ut vix non ſubinde ſuccubuerit deſolatus. Diu, noctúque ſcrupulîs, puſillanimitate, metu gehennæ angebatur, timens, ne gratiæ divinæ, tam largiter ipſi conceſſæ, eſſent merces temporanea, qua DEUS recompenſaret in hac vita bona opera à ſe præſtita; & hoc eò usque, donec tandem imago Crucifixi, manu è ligno ſoluta, ex laterali Vulnere Servum DEI Jacobum copioſo Sanguinis imbre totum perfudiſſet, addita cœleſti hac voce: *Sanguis iſte ſit in ſignum tuæ ſalutis.*

N. 7. Similis timor, tremor, & horror jure meliori nos obruat, neceſſe eſt, ſi ex una parte penitiùs conſideremus exigua merita, multitudinem verò demeritorum noſtrorum; ex altera verò parte contemplemur abyſſum divinorum judiciorum, quæ unum miſericorditer aſſumunt, alterum in maſſa perditionis juſtè relinquunt: Ex duobus impijs unum vocant, & ita vocant, ut vocantem ſequatur; alterum vel non vocant, vel non ita vocant, ut vocantem ſequatur:

tur: Ex duobus pijs uni donant perſeverantiam usque in finem; alteri autem hanc perſeverantiam non donant. Ubi ex hiſtorijs novimus, Cedros Libani corruiſſe, ſtellas è cœlo decidiſſe, collapſos eos in fine, qui ſanctiſſimi, & columnæ immobiles eſſe æſtimabantur; At verò glebas terræ ad ſidera fuiſſe evectas, è ſtercore ſurrexiſſe pauperes, & inter Principes fuiſſe collocatos, flagitioſos in fine vitæ ad meliorem frugem rediîſſe, gratiam finalem, & æterna gaudia fuiſſe conſecutos. At erigite animos, Sodales ſacratiſſimi Roſarij! conſolamini, conſtantes eſtote in exercitijs Mariani Pſalterij; iîsdem enim verbîs, quibûs Chriſtus Jacobum de Mevania, vos hodie & ego alloquor: *Sanguis iſte ſit in ſignum veſtræ ſalutis.* Sanguis Chriſti per Myſteria ſacratiſſimi Roſarij hinc inde diffuſus, quo toties conſpergimini, quoties eodem Myſteria pia mentis recollectione recogitatis, Roſariúmque veſtrum dicitis, erit vobis fons ſaliens in vitam æternam, teſſera ſalutis, gratiæ finalis indubitata fiducia, liberi eritis à morte æterna.

Simúlque mors corporis non erit mors, ſed potiùs dulcis N. 8.
ſomnus, & optatiſſima transmigratio de miſera hac vita in meliorem, quod in hac ſecunda parte oſtendendum mihi incumbit, & quidem non ita, ùt prima fronte credebam, de facilli, in promptu, & obiter; habeo enim fortiſſimum, qui ſeſe dictis meis opponit, adverſarium, ſcilicet Philoſophorum omnium Principem Ariſtotelem, & cum eo plurimos Sanctos Patres, imò & ipſam S. Scripturam. Ariſtoteles paucîs ſuam de morte enuntiat ſententiam, dicens: *Omnium terribilium terribiliſſimum eſt mors.* Inter Sanctos Patres acerbitatem mortis Petrus Damianus penſat *Petrus Damian. l. 7. Op. 19.*
ex horrore, quo anima peccatrix concutitur, ubi incipit vinculîs carnis abſolvi. Tunc enim recolit vetita, quæ commiſit, videt mandata, quæ implere neglexit, dolet indulta pœnitentiæ tempora ſeſe inaniter percepiſſe, plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum imminere, ſatagit remanere, & ire compellitur, recuperare vult perdita, & non auditur, poſt terga reſpiciens transactam vitam reputat, veluti unicum breviſſimum paſſum, futura proſpiciens infinita perennitatis ſpatia deprehendit, oculi hebeſcunt, pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes nigreſcunt, ora pallent, pedes frigent, totum corpus rigeſcit. In Scriptura de amaritudine mortis meminerunt Eccleſiaſticus, & Pſaltes *Eccli. 41.*
Regius. Iſte hîs verbîs: *O mors, quàm amara eſt memoria tua;*

Pſalm. 114 hic ingenuè ingemiſcens: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Tribulationem, & dolorem inveni.* Quomodò igitur ego mortem in Roſarianis appellavero dulcem ſomnum, deſideratam mutationem vitæ hujus miſeræ in meliorem?

N. 9. Aſt non terreor, quia dictum meum pluribûs S. Scripturæ ſuffulcitur teſtimoniîs; inprimìs enim Tarſenſis Præco, ut inordinatum mortis metum, mœrorémque inde conceptum à fidelium cordibus arceret, eos, qui in amicitia DEI, & ſpe ſalutis æternæ (quales juxta aſſertum Primæ Partis ſunt Sodales ſacratiſſimi 1. Theſſal. 4. Roſarij) moriuntur, *Dormientes* appellat, dicens: *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini.* Simi- Daniel. 12. liter Sanctus Propheta Daniel de mortuis ſic loquitur: *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt.* Imò ipſa æterna Veritas mortem amicorum ſuorum ſomnum appellat. De Lazaro mortuo dicit: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado,* Joan. 11. *ut à ſomno excitem eum.* De Filia Archiſynagogi defuncta, quam Matth. 19. JEſus reſuſcitaverat, ait: *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Conformiter ad hæc, licèt mors Sancti Stephani Protomartyris inter ſaxa frementium, & furentium populorum valdè fuerit violenta, Actor. 6. & truculenta; nihilominùs Stephanus à S. Textu dicitur quaſi dulciter, & placidè obdormîſſe in Domino. Et hæc eſt cauſa, cur S. Hieronymus cum plurimis aliis amicis DEI, eſto, toto vitæ tempore mortis, & judicij diem exhorreſcens recogitaverit, identidem ingeminans: *Quotiescunque diem judicij conſidero, toto corpore contremiſco: Sive enim dormio, ſive vigilo, ſemper illa vox noviſſimæ tubæ ſonat in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium!* Nihilominùs Hieronymus, ubi mortis hora imminebat, gaudiô exultans, vultu hilaris, toto corpore agilis, lætus, & jucundus cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, miſeram hanc vitam commutare cum meliore. Quem proinde agonizantem S. S. Euſebius Euſebius ejus diſcipulus exclamâſſe refert! *Ceſſet mæror, luctus abeat, ſit omnium gentium una vox: Quoniam, ecce! tempus acceptabile, ecce! dies jubilationis, & lætitiæ præ omnibus diebus vitæ meæ, in quo fidelis Dominus in Verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, aperit manum ſuam, & meam exulem animam, hucusque in carcere mortis hujus ob reatum mei genitoris Adæ detentam,*

tentam, revocet ad ſupernam patriam, recuperatam Filij Sanguine pretioſo!

Ad conſimilem conſolationis ſpem pro inſtante mortis tempore animantur, & excitantur, quicunque Mariam in vita ſua devotè venerantur, & Clientes Mariani appellari ſatagunt. Hoc pulcherrimè innuit S. Bonaventura, hîs verbîs: *Qui confidunt in te, Mater DEI, non timebunt à facie inimici. Gaudete, & exultate omnes, qui diligitis eam, quia adjuvabit vos in die tribulationis veſtræ*, id eſt, in die mortis veſtræ. Quæ enim major & periculoſior erit tribulatio, quàm ea, quæ imminente morte conſurget, ubi erunt anguſtiæ undique, corpus doloribûs emarceſcet, ſolatium, auxilium, ſuppetiæ à nullo amicorum ſperari poterunt, omnes, & omnia fugient à nobis, diabolus, ſciens, quia tempus modicum habet, commovebit prælia duriora, omnes verſutias intendet, nihil non tentabit ad perdendos nos: Aſt non commovebuntur, ait Seraphicus Doctor, qui in Mariæ clementia confidunt. Quemadmodùm enim de ſuis electis ovibus dixit Chriſtus: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Fremat mundus, ſæviant Tyranni, inſtet lupus tartareus, circumeat caulas, nullas non technas moliatur, bella excitet, furibundus invadat, ſuîs tentationibûs laceſſat, pulſet, prælectæ oviculæ non peribunt, nulla vis ipſas de manu mea eripiet. Ad quod reflectens Propheta cecinit: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Eodem modo, tacitè indigitatSeraphicus Mariophilus, non peribunt in æternum, qui Dominæ noſtræ fuerint devoti, & ſeduli, nec commovebuntur, ſuam qui in illa fiduciam reponunt. N. 10. *S. Bonav. in Pſalt. Virg.* *Joan. 10.* *Pſalm. 124*

Gaudete igitur, & exultate, Sodales Roſariani, vos enim eſtis, qui præcipuè glorioſiſſimam cœli Reginam in Pſalterijs veſtris colitis; vos præ cæteris illud Davidis uſurpatis: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Sed quid hoc rei, Pſaltes Regie? quæ eſt virga iſta, quis baculus, qui te conſolatus eſt? quomodò tu in virga, & baculo ſpem conſolationis tuæ, collocas? Nónne potiùs virga, & baculus ſigna ſunt correctionis, & correptionis, ad quæ & infantes contremiſcunt? nónne virga, & baculus in judice poteſtatem vindicativam indicant, & ſuo timore populum coërcent à malefactis? nónne ipſa Scriptura minas, N. 11. *Pſalm. 22.*

nas, & pœnas irati Numinis perſæpè in virga, & baculo exprimit, ùt paſſim videre eſt in fonte? Et quomodò David, dum in ſpiritu ſuo in medio umbræ mortis deambulat, non timet mala? quomodò idem ipſe, qui paulò antè ingemuerat: *Dolores mortis circumdederunt me;* nunc audacter loquitur: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt;* Nodum hunc dexterrimè ſolvit noſter Hugo, ubi per virgam intelligit Mariam, per baculum verò JEſum in Cruce. Væ enim nobis, ſi JEſus, & Maria agonizantibus non adeſſent! ſi Matris patrocinium, & Crucis ſignum opem, & robur morientibus non ſuppeditarent! ſi Virga Jeſſe, & baculus Crucis in mortis articulo conſtitutos non conſolarentur! Quibus autem ſignum Sanctæ Crucis magìs familiare, quàm Roſarianis, qui illi efformando aſſueſcunt, quoties Roſarium recitant? ubi Maria potiori jure Virga conſolationis nuncupatur, quàm in ſuo Pſalterio?

Hugo à S. Charo.

N. 12. Liquet hoc ex duplici figura veteris Teſtamenti. Primam ſubtiliter annotat Apoſtolus Paulus in Patriarcha Jacob, qui moriens nedum congregavit filios ſuos, illísque benedixit, ſed & adeſſe voluit duos ſuos nepotes, ſcilicet filios Joſeph, ut & illos paterna ſua benedictione dignaretur: Quo facto, mirum dictu! inclinato capite venerabatur ſceptrum Joſeph, ejúsque faſtigium reverenter adorabat. Ita teſtatur Apoſtolus, hîs verbîs: *Jacob moriens ſingulos filiorum Joſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus.* Factum hoc & ambiguos, & obſtupeſcentes tenet Expoſitores. Ex una parte ſat admirari nequeunt, Jacob morientem tanta veneratione proſecutum fuiſſe ſceptrum Joſeph Proregis Ægyptiaci, ubi tamen morti proximus potiùs de regno, & ſceptro cœleſti eum oportuiſſet eſſe ſolicitum: Ex altera parte dubij hærent, &, dum cauſas hujus facti inveſtigant, ſcrutantes deficiunt. Appoſitè tamen, & angelicè totum textum pro more ſuo explanat Doctor noſter Angelicus, qui acutè advertit, ſceptrum Joſeph in ſummitate, & faſtigio ſuo eleganti exornatum fuiſſe roſâ, quia probabile eſt, illud ſimilitudinem habuiſſe cum ſceptris aliorum Regum, tunc temporis uſitatis, præſertim in Aula Regia Babylonis, ubi in ſceptro Regio, & ſummitate ejus pulcherrima ſemper prominebat roſa. Ideò ergo Jacob inclinato capite venerabatur virgam, ſeu ſceptrum Joſeph, quia in virga oculô Propheticô vidit, & honorabat glorioſam cœli Reginam,

Hebr. 11.

S. Thomas incit. Ep. ad Hebr.

quam

quam poſteà in figura Virgæ vaticinatus eſt Iſaias: *Egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* In roſa Jacob, divino lumine illuſtratus, præcognovit Roſarium, & in Roſario veneranda Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti Myſteria, & in his Myſterijs totum pretium ſuæ ſalvationis; & ideò jam præveniendo adorabat faſtigium virgæ Joſeph, quodammodò in Roſario, & Myſterijs ejus ſuam ſalutem poſitam eſſe credebat, in virga, & baculo ſuum moriens quærebat ſolatium, paulò poſt placidè obdormiſcens in Domino, & ex hac lachrymarum valle translatus ad gaudia Beatorum, totus conſolatus. Si ergo tantum conſolationis morienti Jacob attulit virga Joſeph, umbra, & figura B. Mariæ Virginis, ejúsque Roſarij, quantum conſolationis in agone ſperare poterunt Sodales Roſariani, qui non ampliùs in umbra, & ænigmate, ſed in luce, & veritate venerantur Auguſtiſſimam cœli Dominam, ejúsque Roſario per totam vitam devoti exiſtunt. *Iſa. c. 11.*

Alteram figuram præbet notiſſimus ubique tranſitus filiorum Iſraël per mare rubrum. N. 13. In fronte obſtabat mare, & progreſſum denegabat; à tergo inſtabat Pharao, & omnes trucidare minabatur; à dextra, & ſiniſtra montes, & colles ſurgebant, & fugam prohibebant; unica virga Moyſis auxilium præſtitit: Hæc mare diviſit, hæc aquas exſiccavit, hæc iter nedum tutum præbuit, ſed & amœnum, delectabile, penitùs floridum, quia Filij Iſraël tranſeuntes per mare rubrum non niſi viridantia inter germina, jucundos inter floſculos, pedem ponebant. Ita dicitur in libro Sapientiæ: *In mari rubro via ſinè impedimento, & campus germinans de profundo.* *Sap. 19.* Quod filijs Iſraël ad mare rubrum, idipſum in hodiernum diem accidit nobis, ubi ex Ægypto hujus mundi transmigrandum erit ad terram promiſſionis cœleſtis. A fronte terret æternitas, & arctum exhibet acceſſum; à tergo inſtat diabolus, & mactare molitur animas; à dextris, & ſiniſtris circumſtant anguſtiæ corporis, & effugia nulla permittunt. Aſt nolite timere, Sodales Roſariani, bonô animô eſtote! Maria virga Moyſis eſt, imò virgâ Moyſis longè potentior, longè magis prodigioſa: Maria in Roſario dividit anguſtias mortis, exſiccat aquas amaritudinis, iter parat tutum, amœnum, florigerum: Per tot viridantia germina, per tot jucundos flores, per tot ſuaviſſimas roſas tranſibitis ad terram promiſſionis, quot Roſaria, quot Salutationes Angelicas,

B. *Alan. de Laud. Pſalt c. 12.* quot *Ave* dixeritis. Ita B. Alanus: *Pſalterium mirificè conſcientiam trepidantem confortat, errantem dirigit, & proficientem confirmat meritô Domini noſtri JEſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, qui conſcientias fidelium floribûs virtutum ornant, & fructibûs donorum Spiritûs Sancti fœcundant.*

N. 14. Addi poſſet & tertia figura, ubi Maria in ſimilitudine Virgæ, & quidem Virgæ vigilantis adumbratur; ſic enim loquitur Dominus ad Prophetam Jeremiam: *Quid tu vides, Jeremia?* Et reſpondet Propheta: *Virgam vigilantem ego video.* Seu, ùt Pagninus èx Hebræo legit: *Virgam celeriter florentem ego video.* Sanè virga hæc ſimul vigilans & florens alia non eſt, quàm Beata Virgo Maria in Roſario, quæ quaſi tot progerminat flores, tot oculîs invigilat ſuper Sodales ſuos, maximè in articulo mortis conſtitutos, quot Salutationes Angelicæ, quaſi roſæ, & floſculi ſelectiſſimi efflorent in Pſalterio Mariano. Unde B. Alanus rationes allegans, ob quas in Roſario 150. *Ave* comprehenduntur, inter reliquas etiam hanc allegat: *Propter centum & quinquaginta pericula, quæ ſunt in morte.* Maria enim (concludit S. Bonaventura) *eſt virga virtutis contra inimicos infernales, quibus maxima virtute dominatur.*

Jerem. 1.

B. Alan. 4. p. Serm. 1. S. Bonav. in Specul. B. V. c. 3.

Hiſtoria.

B. Alanus è Divi Dominici Familia, cùm ſemper fuiſſet Deiparæ Virgini devotiſſimus, & totîs viribûs pro cultu ſanctiſſimi Roſarij amplificando elaborâſſet, imò Mariani Pſalterij ad annum 1460. in Francia, Picardia, Germania, & Saxonia celoſiſſimus extitiſſet Reſtaurator, ad extrema vitæ perveniens, & videns duos dæmones aſpectu horribili ad ſe rapiendum paratos, tanto eſt horrore perculſus, ut extra ſe poſitus, & uſu rationis præ timore privatus exclamare cœperit: *Maledicta hora, in qua Religioſus factus ſum!* Aſt paulò poſt, ubi ad ſe rediît, vultu ſereno ſubridens, & præcitata verba revocans alta voce dixit: *Non, imò benedicta hora, in qua Ordinem intravi, & benedicta ſit glorioſa Mater Chriſti, quam ſemper dilexi!* Porrò à circumſtantibus Fratribus de facto ſuo interrogatus reſpondit: Apparuerunt mihi dæmones terribiles ad rapiendam animam meam; unde terrore præ-

præventus maledixi horam diei mei. Et dico vobis: Si hîc eſſet ignis de ære mixto cum ſulphure, qui ſe ab hoc loco usque ad finem mundi extenderet, & daretur mihi optio, utrum per medium illum ignem vellem tranſire, aut iterùm dæmones in forma ſimili intueri, eligerem potiùs per ignem tranſire. Poſtmodùm mihi aſtitit Virgo Deipara, ad cujus præſentiam effugati ſunt illi deterrimi ſpiritus, & eâ viſâ ſpem firmam de mea ſalute concepi, & præ gaudio riſi, & horam, in qua Religioſum ſumpſi Habitum, & ipſam, quæ me liberavit, benedixi. Quibûs dictîs ſuaviſſimè obdormivit in Domino. Verùm enimverò non duntaxat per interceſſionem B. Virginis Roſarianæ mors ei dulcis ſomnus erat, ſed & à præſentiſſimo æternæ mortis periculo miſericorditer fuit liberatus. Antefatus enim ſacratiſſimi Roſarij poſtliminiò Præco celeberrimus ſeptem annîs integrîs (revixiſſe Magnum illum Antonium dixiſſes) variè à dæmone tentatus, crudeliſſimè perſæpè verberatus, variè victor, variè idem victus, unô tamen Roſariô (ſuffragrante Virgine) in fine ſemper triumphavit. Semel gravitatem tentationis ferre non ampliùs ſuſtinens jam eò deſperationis devenit, ut ſibi vitam eripere volens jam ferrum in gulam ſuam ſtrinxerit. At B. Virgo eidem mox conſpicua ſalutarem infligit puſillanimi alapam, & exaſperato vultu ſubjungit: Quid miſer agis? & quæ mens te ad hoc deſperationis opus adegit? meam, quam aliàs ſolebas, in Roſario opem poſtulâſſes, & te liberâſſem. Dixit, & liberavit, deſiît tentatio, & Alanus in Virum Sanctum evaſit. S. Antoninus 3. p. Hiſtor. tit. 23. cap. 10. & Annales Fratrum Ord. Prædicatorum.

SERMO VIGESIMUS.

Dominica Palmarum.

THEMA.

Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant. Matth. 21.

Antiqui Sodales Proceſſionibus ſacratiſſimi Roſarij devotè interfuerunt, & hodiedum magna omnibus accreſcit utilitas, qui ijs cum ædificatione intereſſe ſatagunt.

N. 1. SOlemnis hodie, ubi Chriſtus triumphum ingreſſûs ſui in Jeruſalem celebravit, inſtituebatur Proceſſio, præcedente, & ſubſequente ingenti turba hominum. Plurimi ſtraverunt veſtimenta ſua in vicis, & compitis, unde venientem JEſum in gaudio exſpectabant: Qui honor eò magìs æſtimandus erat, quò minùs ejusmodi exemplum in tota reperitur Scriptura; ſiquidem nec triumphanti David, nec ovanti Salomoni ſimile quid legitur fuiſſe exhibitum: Hodie autem Iſraëlitæ turmatim ſuîs ſeſe veſtimentîs exuunt, eîsque in venerationem ingredientis Salvatoris adeò non parcunt, ut aſino pedibûs calcandas præbeant. Quod ex eo quoque indubiè mirandum venit, quò id, & quaſi ex arena, ſeu ab improviſo unanimiter ab omnibus ingenioſiùs excogitatum, & uſurpatum fuit, & quò gratiorî illud animô pientiſſimus humani

mani generis Reparator, qui aliàs publicos ſemper recuſavit honores, acceptare dignabatur. Alij ex populo cædebant ramos de arboribus, & vireſcentes frondes in manibus geſtantes præceſſerunt obviàm: Imò, ùt ex contextu Evangelij colligitur, jam in die antecedenti ejusmodi ramos palmarum, & olivarum in paratis habebant, ut eò citiùs adventanti Salvatori occurrerent, quò ardentioribûs votîs deſideratiſſimum ejus adventum præſtolabantur. Sic enim hanc Proceſſionem deſcribit S. Joannes: *In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audîſſent, quia venit JEſus Jeroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviàm ei.* Ideò autem cum palmis, & olivis obviare cogitârunt Chriſto, ut conteſtarentur, eum verum eſſe DEUM, quia veneratio in ramis palmarum, & olivarum ipſis videbatur propria ſoli DEO, qui eandem ſibi fieri præcepit, inſtituens Feſtum tabernaculorum, & dicens: *Sumetis vobis die prima fructum arboris pulcherrimæ, ſpatuláſque palmarum. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Oſanna Filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini!* Per univerſam urbem, in vijs, & plateis feſtiva ubique reſonabant jubila, jucundæ audiebantur voces, & acclamationes, millenæ intonabantur aggratulationes, & applauſus. Videbatur eandem, ſi non majorem, hodie in Jeruſalem renovari Solemnitatem, quæ olim inſtituebatur triumphanti David, ubi devictô Goliath glorioſè reverſus fuit in urbem; ùt memorat S. Scriptura hìs verbîs: *Porrò, cùm reverteretur percuſſô Philiſtæô David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſraël, cantantes, chorósque ducentes, in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris. Et præcinebant mulieres, ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Eodem modo hodie non tantùm mulieres, ſed & viri egreſſi ſunt in occurſum Salvatoris, & lætè cantabant: *Oſanna &c.* id eſt, ait Didacus Stella: Tu es Salvator mundi, peccatorum Redemptor, vitiorum Remiſſor, Meſſias, Filius David, Rex Iſraël. Ex his igitur occaſionem ſumo loquendi de Proceſſionibus, quas frequenter per annum inſtituit Archi-Fraternitas ſacratiſſimi Roſarij, convocandô univerſos Sodales, ut, & qui præcedunt, & qui ſequuntur, laudes decantent JESU & Mariæ. Dicam ergo, qua devotione antiqui Sodales ad ejusmodi Proceſſiones convenerint, & quàm utile ſit his intereſſe.

Joan. 12.

Levit. 23.

1. Reg. 18.

Didacus Stella.

N. 2. Uſum publicarum Proceſſionum perantiquum eſſe, ubi populus in cætum convenire ſolet, & concordi ſupplicatione DEUM
Joſue 6. precari, non difficilè poteſt oſtendi. Primò in libro Joſue, ubi Dominus juſſit cunctos bellatores Iſraël ſemel per diem circuire urbem Jericho, ſicque facere ſex diebûs, ſeptimo autem die præcedente Arca, clangentibûs ſacerdotibûs ſeptem tubìs, quarum
2. Reg. 6. uſus erat in Jubilæo. Similem Proceſſionem inſtituit David, quan-
1. Paralip. do Arcam teſtamenti ex domo Obededom reducere ſtatuit in ur-
15. bem. Hunc in finem tum pro divina reverentia, tum pro Regia munificentia plurimos undequaque convocavit Sacerdotes, Levitas, Cantorum ordines, nabliorum, cymbalorum, tubarum, aliorúmque inſtrumentorum genera adhibuit; victimas deſtinavit innumeras, adeò, ut ad ſenorum paſſuum proceſſus ſeptem ſacrificarentur tauri, ſeptémque arietes: Cui Proceſſioni & ipſe Rex, & tota Aula Regia cum ſumma ædificatione interfuit. ApudChriſtianos etiam Proceſſionum uſus antiquiſſimus, & continuus legitur ab illis temporibus, ubi idolorum cultus, & Tyrannorum impietas pacem ſuccreſcenti Eccleſiæ indulſit, & Chriſtiani pu-
Nicephor. blicè divina officia agere potuerunt. Ita ad annum 330. Con-
L. 8. c. 26. ſtantinus Imperator, ubi ædificium urbis Conſtantinopolitanæ complêſſet, convocato Epiſcoporum conventu, prælatô Dominicæ Crucis Vexillô, cum hymnis, ac precibus urbem in Beatiſſimæ Virginis honorem dedicavit, ac per publicum circuitum forum, plateas, ac præcipua urbis loca conſecrari voluit. Pari-
Sozomenus ter circiter ad annum 363. cùm è Daphne transferrentur Antio-
L. 5. c. 19. chiam Reliquiæ S. Babylæ Martyris temporibûs Juliani Apoſtatæ, Tyrannô illô invitô, publicus tum mulierum, tum virorum, ac puerorum cum canticis & Pſalmis copioſiſſimus numerus per
Ammian. plateas proceſſit; ut teſtatur Sozomenus, AmmianusMarcellus, qui
Marcellus tum adoleſcens interfuit oculatus teſtis. Theodoſius quoque ſe-
L. 22. nior, bellum adversùs Eugenium geſturus, omnia orationis loca
Ruffinus L. cum Sacerdotibus, ac populo circumibat, Sanctorum auxilia, ac
2. c. 33. preces efflagitans.

N. 3. Pijſſimum hunc publicarum Supplicationum morem obſervare cupiens Archi-Fraternitas ſacratiſſimi Roſarij, & ipſa ſuas ſtatutîs diebûs & ordinavit, & introduxit Proceſſiones, in omnibus ſcilicet primis Dominicis menſium, Feſtiſque Beatæ Virginis, quam laudabilem conſuetudinem absque dubio hæreditavit & deriva-

rivavit à primo Authore ſuo, nempe à S. Patre noſtro Dominico. Poſtquàm enim S. Pater, ab ipſa Beata Virgine confortatus, & Roſarium prædicare juſſus, initium ſuæ prædicationis feciſſet in urbe Toloſana, in prima ſtatim de Mariano Pſalterio concione tanta erat miraculorum copia (ùt ſupra dictum eſt Sermone 17.) tantus populorum concurſus, ut Marianus Encomiaſtes ſtatuerit, & toti multitudini promiſerit, ſe altera quoque die eundem Sermonem fore reaſſumpturum, & deinceps quotidie de dignitate, utilitate, & meritis Mariani Pſalterij ex cathedra tractaturum. Et ecce! ſubſequente die tanta turba hominum jam proceſſionaliter *in camiſiis, & cum candelis*, ùt teſtatur B. Alanus, ad templum confluebat, ut ampliſſimus aliàs locus cunctis non ſufficeret. Similes conventus & Proceſſiones ex poſt facto fieri conſueverant, quoties majores de Mariano Pſalterio inſtituebantur Solemnitates, præſertim ſingulìs menſibûs primâ Dominicâ, & in Feſtivitatibus Beatæ Virginis, qui dies ſpecialiter cultui, & devotioni ſacratiſſimi Roſarij deſtinabantur, ita, ut idipſum de Proceſſionibus antiquis noſtræ Archi-Fraternitatis jure optimo affirmare valeam, quod refert S. Avitus de Proceſſione, quam olim S. Mamertus Epiſcopus in urbe Viennenſi celebravit, de qua ſic loquitur: *Itur celebri alacritate, copioſa multitudine, & maxima compunctione, ut reverà populo præ lachrymis, & laboribus brevis, & anguſta Proceſſio videretur.* Idem de antiquis Roſarianis conteſtari licet. Alacres aderant, quoties Proceſſionem aliquam publicam conſtituerat Archi-Fraternitas; congregabantur in tanto numero, qui vix diſtingui potuit; orabant, cantabant, gemebant, ut compunctio cordis ex oculis, ex voce, ex omnibus motibus externis luculenter eſſet manifeſta. Omnis labor dulcis, omnis hora brevis, omnis conatus erat deſideratiſſimus. Non erat, ut ulli adderetur ſaluberrimum illud monitum, quod ſuo olim populo dederat S. Cæſarius Arelatenſis de ſilentio in Proceſſione dierum Rogationum, hîs verbìs: *Chariſſimi, qui ad Eccleſiam citò veniunt, & tardè diſcedunt, perſeverent in bono opere, & otioſas, vel ſæculares fabulas, velut venenum mortiferum, reſpuentes, magìs pſallere, & orare conentur: Qui verò otioſis fabulis vacantes, nec ipſi pſallunt, nec alios pſallere, vel orare permittunt, citò ſe corrigant, ne ſibi in eo loco præparent mortem, ubi invenire poterant vitam.* Non opùs erat adhortatione S. Auguſtini, qua omnem riſum in Proceſ-

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 8.

S. Avitus.

S. Cæſarius Arelat.

S. Auguſt.

Serm. 171. Proceſſione Rogationum prohibitum voluit, hoc modo: *Scire debemus, & intelligere, chariſſimi, quia dies pœnitentiæ, & compunctionis celebramus; & ideò non oportet inordinato riſu diſſolvi, timentes illud: Væ vobis, qui ridetis, quoniam flebitis!* Supervacaneum erat, adhibere conſilium Sapientis, quo curioſa mentis & oculorum evagatio, præcipuè tempore orationis, breviter quidem, ſed nervosè perſtringitur, hac ratione: *In facie* Prov. 17. *prudentis lucet ſapientia; oculi ſtultorum in finibus terræ.* Denique non erat neceſſaria alia S. Patris Auguſtini admonitio, qua fideles ad frequentandas Proceſſiones, in diebus Rogationum ha- S. Auguſt. beri ſolitas: animabat hîs verbîs: *Nolite vos de Eccleſiæ conven-* Serm. 173 *tu ſubtrahere; qui per cupiditatem, aut pro alia qualibet minùs neceſſaria occupatione adeſſe noluerint, inde ſe gravant, unde ſe ſublevare poterant.* His, inquam, & ſimilibus adhortamentis nequaquam apud antiquos Roſarianos locus dabatur; quia nullum negotium erat adeò momentoſum, nulla occupatio tam urgens, nullus labor adeò diſtractivus, quo ſe à frequentandis Proceſſionibus ſacratiſſimi Roſarij impediri ſinebant: Quandocunque aliqua ejusmodi publica Supplicatio conſtituebatur, univerſi Sodales, niſi infirmitate quadam domi detinebantur, ſummô ſilentiô, ædificatoriâ reverentiâ, demiſsîs oculîs, alta voce recitando Roſarium, intùs verò in corde meditandô Sanctiſſima quindecim Myſteria devotiſſimè convenerant.

N. 4. Ejusmodi Proceſſio potiſſimùm erat illa, quæ habebatur à Fratribus & Sororibus ſacratiſſimi Roſarij Romæ ſub Urbano VIII. Brandus in ſuo Triumpho Roſar. tempore Jubilæi, ùt refert Brandus, quam ſtupebat nedum Roma videns, ſed & totus orbis audiens. Operâ noſtri P. Timothei Riccij convenerant ad noſtram Eccleſiam ſuper Minervam ſeptuaginta millia hominum, quos prædictus Vir Apoſtolicus omnes diviſit in quindecim partes, quarum cuilibet labarum, ſeu unum Myſterium de Mariano Pſalterio præferebatur: Omnes alta voce recitabant Roſarium: Cuncti eo pulcherrimo ordine procedebant, ea morum compoſitione, & virtutis exemplo, ut Sanctiſſimus Papa à longè hoc conſpiciens vix lachrymis temperare potuerit præ gaudio, & advertens huic pio exercitui deeſſe Supremum Caput, decreverit propria etiam perſona hanc Proceſſionem comitari. Unde dixit ad aſtantes: *Eamus & nos hac cum Proceſſione ad viſitandas ſeptem Eccleſias, quia & nos dedimus Societati*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cietati Roſarij nomen. Dixit, & protinùs ſe adjunxit cœtui Mariano cum ingenti conſolatione Conſodalium, & ſublimi totius populi ædificatione, relictô inſuper efficaciſſimô modernis Roſarianis exemplô, quomodò & ipſi frequenter Proceſsionibus ſacratiſsimi Roſarij omni diligentia, omni mentis fervore, omni modeſtia intereſſe debeant, Angelico quaſi fungentes ad honorandam B. Virginem famulitio. Pro quo

Benè perpendenda eſt rei illius ſtupenda ſeries, quam refert Alphonſus Eſpinola, & Atlas Marianus. Eſt in regno Chilenſi Inſula, quam Hiſpani magnam Canariam vocant: Idolorum, ſi uſpiam alibi, hîc vigebat cultus, & veneratio. DEus tamen centum & quinque annîs, priusquàm illuc advenirent Chriſtiani, ineffabili ſuô conſiliô fecit, ut Chriſtianorum locò lapides Barbaris myſteria noſtræ fidei loquerentur, eósque erudirent. Audite mira! Cùm gregem paſcerent duo Inſulani, in caverna ad maris crepidinem territus receſſit grex, viſâ ad ingreſſum ſpecûs ex improviſo ſtatuâ B. Virginis, geſtantis in brachio puerum JEſum. Paſtorum unus, putans, puellam eſſe vivam, lapide eam petiît, ſed manus repentè obtorpuit, etiam brachio toto rigente. Alter paſtorum audacior propiùs accedit, & cultrô digitum tentat abſcindere; ſed & ipſe ſuos ſibi digitos ſauciavit illæſâ ſtatuâ. Ubi ad Regem de Guimar hæc ſunt relata, continuò ſe ipſe huc cum aula ſua contulit, divinum aliquid ſubeſſe haud vanè ſuſpicatus. Mox ergo ſtatuam aulæ ſuæ deſtinat, ut ibi decentiùs habeatur; ſed cùm nemo eſſet, qui manum admovere auderet, malo paſtores omnes deterrente, paſtores prædicti juſſi ſunt hoc officium præſtare, majora à Rege, quàm à ſtatua metuentes. Majori igitur reverentiâ, ubi ſtatuam attigerunt, uterque integram ſanitatem recepit; nam & illi brachium, & huic digiti in integrum ſunt reſtituti. Tantô miraculô & ipſe Rex cum præcipuis Aulicorum manus admovit, ac concurrente numeroſiſſimo populo omni poſſibili Solemnitate ſtatuam deportare molitus eſt in aulam ſuam. Et hæc erat prima Proceſſio, quam novus orbîs in honorem intemeratæ Virginis inſtituit, colens, & devenerans nondum ſibi cognitam Matrem DEI. Quod ſtupendum eſt magis: Et ipſi Angeli huic proceſſioni intererant; nam & concentus cœleſtes à Barbaris circa ſtatuam ſunt auditi, & varij ignotorum ſupplicantium ordines fulgentibûs candelîs, peregrinîs, ac nunquam in America viſis cæremo-

N. 5. *Alphonſus Eſpinol. L. 2. c. 2. Atlas Marian. Imag. 6.*

moniîs ad agmen Inſulanorum acceſſiſſe ſunt adnotati, in cujus rei fidem peracta Proceſſione hinc inde in vijs integra candelarum fragmenta, quandoque adhuc fumigantia, ſunt reperta. Hæc ſtatua ignota eò usque populo barbaro in veneratione erat, usque ad illam Inſulam venerunt Hiſpani, & myſterium totum explicârunt ignorantibus, nomine exinde ſtatuæ impoſito: *Maria de Candelaria.* Patet igitur, Sodales Mariani, Proceſſionibus Mariani Pſalterij intereſſe, ſtatuam Reginæ ſanctiſſimi Roſarij, dum in Supplicationibus circumfertur, devotè comitari, laudes Marianas alta in Solemnitatibus publicis voce decantare, cereîs ardentibûs Mariam venerari, nedum officium Sodalium Marianorum eſſe, ſed & Angelicum, quod, utinam! aliqui meliùs conſiderarent, & non dubito, quin frequentiores, ferventiorésque ad ejusmodi Proceſſiones comparerent.

N. 6. Sed datô, quòd adeſſent aliqui, quos neque exemplum antiquorum Sodalium, neque miniſterium Angelicum movet ad frequentandas Proceſſiones ſacratiſſimi Roſarij, ſaltem moveat eos copioſa utilitas, quæ illis Sodalibus fructuoſè accreſcit, qui ſimiles Proceſſiones non negligunt. Aliunde ſat perſpectum eſt, quo ſemper fructu, auxilio, & emolumento à Chriſtianis inſtitutæ fuerint Proceſſiones, & Supplicationes in honorem glorioſiſſimæ cœli Reginæ Mariæ. Romæ tempore Gregorij Magni peſtis ſæviſſimè graſſabatur, pro qua avertenda Summus Pontifex ordinavit publicas preces, & imaginem B. Virginis, ùt ajunt, à S. Luca depictam in ſolemni juſsit circumferri Proceſsione. Erat tempus paſchale, convenerat innumera turba hominum, Proceſsionem comitabatur ipſe Summus Pontifex, & ab univerſis audiebantur Chori Angelici circa imaginem B. Virginis, lætè decantantes: *Regina cœli lætare, Alleluja, quia, quem meruiſti portare, Alleluja, reſurrexit, ſicut dixit: Alleluja.* Quæ audiens S. Gregorius addidit: *Ora pro nobis DEUM, Alleluja.* Intereà, dum Vir DEI, procedente populo, & ſupplicante Clero, devenerat ad molem Tyberi adjacentem, ingentî gaudiô vidit Angelum, in ſignum reconciliati Numinis, nudatum mucronem in vaginam mittere; & lues peſtifera ceſſavit, placata eſt ira divina, conſolati ſunt inquilini. Non minus beneficium ex ſimili Proceſsione receperunt Conſtantinopolitani. Tempore Iſauri Leonis numeroſiſsimæ Agarenorum copiæ Perſas, Ægyptios, Lybios, Indos, Æthiopes, maximis cædibus,

&

& damnis, igne, & gladio, furtis, & violentis raptibus divexaverunt, ſpoliârunt, devaſtârunt. Tandem victoriîs elati, ſpoliîs incitati, audaciâ intumeſcentes, mille octingentorum navium claſſe Conſtantinopolim applicârunt, urbem undique cingentes, oppugnantes, anguſtiantes. Hæc inter cives Conſtantinopolitani, aliô omnî auxiliô præcisô, ad Deiparam, cujus tunc cultui erant tenerrimè addicti, confugiunt, imaginem illius, quæ in Blanchernis religiosè colebatur, magna cum devotione circa mœnia civitatis mœrentes, & afflicti circumgeſtant, ſuóque Patriarcha Sancto Germano præeunte, maternam invocant DEI Genitricis protectionem. Mirum dictu! in foribus invocatum aderat Marianum auxilium. Plurimi hoſtium cum Malſama Saracenorum Principe, & Zulzimiro Arabum Duce fame, frigore, peſtilentiâ obiêrunt: Naves hoſtium partim ignibûs fuerunt exuſtæ, partim procelloſa tempeſtate demerſæ ſunt in mare: In ſuppetias Conſtantinopolitanorum adveniunt Bulgari; & totum hoſtilem exercitum ad internecionem delêrunt. Tanta utilitate olim celebrabantur Proceſſiones, & Supplicationes publicæ in honorem Auguſtiſſimæ cœli Reginæ.

Pari cum emolumento nullo non tempore, nulla non neceſſitate populum fidelem premente, inſtitutæ ſunt à Sodalibus ſanctiſſimi Roſarij Proceſſiones, inter quas indubiè primum locum obtinet illa, in qua celeberrimam illam victoriam à Turcarum Imperatore reportârunt Chriſtiani, tempore S. Pij V. ad Neupactum. Inter Turcas ceciderunt triginta millia, & in his centum viginti quatuor præcipui Duces: Naves à noſtris captæ fuerunt centum, & quinquaginta; deſtructæ verò, & demerſæ in mare quadraginta: Captivi Turcæ numerabantur tria millia, quadringenti & ſeptuaginta; ex captivitate verò Turcica liberati ſunt Chriſtiani quindecim millia: Ex parte autem fidelium nec ulla navis deſiderabatur; inter milites autem non niſi ſex millia. Unde verò hæc victoria? Ex Proceſſione, & Supplicatione Sodalium ſacratiſſimi Roſarij. Sic enim inſertum legimus in Feſto ſanctiſſimi Roſarij in Lectionibus ſecundi Nocturni Fratrum Ordinis Prædicatorum. *Cùm eo die, quo victoria reportata fuit, Sodalitates Roſarij ſolitas preces, ac Proceſſiones haberent, eas piè creditum eſt pro Chriſtiana claſſe plurimùm profuiſſe.* Et hoc eò majori cum fundamento, quo fide dignius eſt teſtimonium Franciſci Arnoldi, qui N. 7.

Breviar. S. Ord. Præd. in Feſto SS. Roſar. Franciſc. Arnold.

 dicit,

dicit, die commiſſi inter Chriſtianos, & Turcas prælij in mari plures vidiſſe in aëre, & nubibus congregatas hominum turbas, vexilla ſanctiſſimi Roſarij varia, nec non imagines, ſeu ſtatuas Auguſtiſſimæ Roſarij Reginæ, eo ordine, quo aliàs ſolent haberi Proceſſiones Roſarij. Noſtrîs quoque temporibûs ſimilia contigiſſe referunt aliæ Lectiones in Feſto ſanctiſſimi Roſarij hìs verbîs: *Nuper verò Clemens XI. animô reputans inſignem pariter victoriam Anno 1716. in Hungariæ regno à Carolo VI. in Imperatorem Romanorum electo, de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigiſſe, quo Feſtum Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives celebraretur, atque eodem fermè tempore, quo ſanctiſſimi Roſarij Confratres, publicam, ſolemnémque Supplicationem in alma Urbe ingenti populi concurſu, magnáque religione peragentes, fervidas ad DEUM preces pro Turcarum depreſſione funderent, ac potentem opem Deiparæ Virginis in auxilium Chriſtianorum humiliter implorarent; eam ob rem victoriam illam, nec non liberatam paulò poſt eorumdem Turcarum obſidione Corcyrenſem Inſulam ejusdem Beatiſſimæ Virginis patrocinio cenſuit adſcribendam.*

N. 8. Nec mirandum, tantum ſemper profuiſſe Eccleſiæ publicas Proceſſiones, à Confratribus ſanctiſſimi Roſarij habitas; quia ipſa Scriptura videtur easdem jam dudùm præfiguráſſe in Proceſſionibus illis, de quibus ſupra meminimus n. 2. Joſue 6. & l. 2. Reg. c. 6. Utraque hæc Proceſſio utilis erat populo DEI, & gratiîs referta; in prima ſiquidem Proceſſione circumlatio Arcæ ad mœnia Jericho, Sacerdotum, Levitarum, totiúsque populi præſentia, tubarum, & jubilæorum clangor adeò profuit, ut muri, valla, & propugnacula urbis Jerichuntinæ ſpontè corruerint, tota civitas ſinè obſidione in poteſtatem Iſraëlitarum redacta fuerit, expugnata ſinè amiſsione ullius militis. Ad ſecundam Proceſsionem Divinæ Benedictionis dona largiter conceſſa, & uberrima ſupernarum gratiarum chariſmata ſuper David, omnémque populum, qui illi Proceſſioni intererat, deſcendentia ex eo conjecturare licet, quò plura beneficia, & auxilia quà in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ad ejusdem Arcæ in domo ſua præſentiam recepit Obededom, & quibûs pientiſſimus Rex David motus Arcam ex ædibus Obededom ad civitatem reportari cogitavit. Sic enim legimus:
2. Reg. 6. *Nuntiatum eſt Regi David, quòd benedixiſſet Dominus Obededom,*
Lyranus. *& omnia ejus propter Arcam*, id eſt, addit Lyranus, *multiplicandô*

eum

eum in bonis ſpiritualibus, & temporalibus, eoquòd circa Arcam Domini ſe reverenter habuerit, & devotè. Hanc Arcam & Fratres Mariani Pſalterij ad ſpectaculum, & religionem ſolemnî pompâ circumducunt in ſuis Proceſsionibus, ſtatuam ſcilicet Reginæ ſanctiſsimi Roſarij, quæ paſsim Arca & tabernaculam fœderis vocatur à Sanctis Patribus, nominatim à S. Bernardo & Laurentio Juſtiniano: Imò & ipſum Roſarium Arcam appellat Mariani honoris ardentiſsimus zelator Carthagena. Et benè: Si enim in Arca continebantur Virga Aaron, Manna, & tabulæ legis; nónne & in Roſario Virgam Aaron repræſentat Maria, quæ veluti Virga Aaron pulcherrimè effloruit, ait Cretenſis, & germinavit florem formoſum præ filijs hominum, videlicet Unigenitum Filium DEI? Nónne & in Roſario continetur ſuaviſſimum Manna, nempe Myſteria Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Domini JEſu Chriſti, quæ, in dulcedine ſua intrinſeca ſapidiùs deguſtata, omnibus omnia facta ſunt? Nónne & in Roſario duæ tabulæ legis inveniuntur, Regulæ ſcilicet ſaluberrimæ Archi-Fraternitatis, quæ directè obſervantes ducunt ad vitam æternam. Quis dubitet proinde, Sodales, qui omni poſſibili ſedulitate ſtudent intereſſe Proceſſionibus ſanctiſſimi Roſarij, copiosè irrorandos eſſe gratiîs, & donîs cœleſtibûs? Prout hoc ipſa Beata Virgo promiſit dilecto Clienti ſuo B. Alano hîs verbîs: *Volo, ut Pſaltæ mei in vita, in morte, & poſt mortem habeant benedictionem, illuminationem, gratiæ plenitudinem.*

S. Bern. *S. Laurent Juſtinian.* *Carthag. Hom. 7. de Roſar.* *Andreas Cretenſ.* *B. Alan. de Laud. Pſalt c. 9.*

Uberrimos hos fructus, qui pullulant ex Proceſsionibus ſanctiſsimi Roſarij omnî primâ Dominicâ menſis, nec non in Feſtis B. Virginis, attendentes Summi Pontifices non defuerunt, quin omnes Confratres confeſſos, & ſacra communione refectos, ſimúlque ſolitas pro lucrandis indulgentijs preces perſolventes, qui dictis Proceſsionibus interfuerint, ex theſauro Eccleſiæ ulterioribûs donîs locupletârint, indulgendô indulgentias plenarias, quas Gregorius XIII. & Sixtus V. etiam extendit ad itinerantes, navigantes, incarceratos, & alios quoscunque, qui legitimô impedimentô detenti præfatis Proceſsionibus intereſſe nequeunt, maximè ad infirmos, dummodò Roſarium ſemel recitent, vel etiam tertiam ejusdem partem in ordine ad infirmos. Quis igitur non totîs viribûs allaboret, ſe harum indulgentiarum participem reddere, ſolvere ex ærario Chriſti, quod ex proprio ſolvere non poteſt? Sanè, N. 9.

nè, ſi alicui vir dives diceret: Mitte manum in theſaurum meum, & quidquid manu comprehenderis, tuum erit; nullus tam incurius eſſet, quin manum ſuam extenderet, & portionem bonam acciperet. Hoc autem nobis dicitur, quoties indulgentia plenaria offertur. Audivit Jacob Patriarcha, dum magna fame premeretur terra, quòd frumenta venderentur in Ægypto; unde
Gen. 24. dixit filijs ſuis: Quare negligitis? *Audivi, quod triticum venundetur in Ægypto: Deſcendite, & emite vobis neceſſaria, ut poſſimus vivere, & non conſumamur inopiâ.* Deſcenderunt filij, & à fratre ſuo Joſeph frumenta gratìs obtinuerunt. Idem accidit hodiedum. Et nunc venundatur, imò donatur frumentum indulgentiarum illis, qui ſatagunt intereſſe Proceſſionibus, & Sup-
Iſai. 55. plicationibus ſanctiſſimi Roſarij. Ideò dicitur apud Iſaiam: *Venite, emite absque argento*, ut poſſitis vivere in futurum, & non affligamini aliquando fame, aliiſque pœnîs & hujus & futuri ſæculi. Sanè, ſi tempore famis filij Jacob neglexiſſent deſcendere in Ægyptum, & coëmere neceſſarium frumentum intermiſiſſent, in ſexto, aut ſeptimo ſterilitatis anno ſuam ſocordiam ſat deplorare vix potuiſſent. Cavete igitur, ne & vos aliquando ploretis, & ingemiſcatis in purgatorio, quia indulgentias ſacratiſſimi Roſarij lucrari non ſtuduiſtis.

N. 10. Pro coronide non levem omnibus ſtimulum ad frequentandas Proceſſiones ſacratiſſimi Roſarij addere debet, quòd hanc præſentiam à Confratribus, qui legitimè non impediuntur, exigant leges & ſtatuta Archi-Fraternitatis, quæ etſi ſub culpa non obligant, valdè tamen meritorum, & proficuum eſt, eas ad minimum
Prov. 29. punctum exactè obſervare. Unde dicitur: *Qui cuſtodit legem, beatus eſt.* Et iterùm valdè appoſitè ad ſtatuta Mariani Pſalterij:
Baruch. 4 c. *Hic eſt liber mandatorum DEI* (& Beatæ Virginis, quæ ipſa leges ſanctiſſimi Roſarij dictavit Divo Dominico) *& lex, quæ eſt in*
Similia. *æternum, omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam.* Quemadmodùm enim vitis, quò arctiùs fulcrîs ſuìs ligatur, eò uberiùs progerminat botros ſuos; quemadmodum artificum opera eò ſunt perfectiora, quò magìs regulis artis; ita Fratres Roſariani eò copioſiores progignunt fructus, quò Regulis, & Statutis fortiùs religantur; eò in ſuis exercitijs Sodalitatis cenſentur perfectiores, quò punctualiùs juxta Regulas præſcriptas in omnibus actibus ſuis
Rom. 2. diriguntur. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud DEUM, ſed factores legis juſtificabuntur*, concludit Apoſtolus. Hiſto-

Hiſtoria.

QUemadmodùm DEUS opera bona ultrà condignum remunerari conſuevit; ita B. Virgo honorantes ſe altioribûs donîs rehonorare non deſinit. Teſtis eſt paupercula quædam paſtoris filia, quæ cultui Mariano præprimìs addicta nedum ſummoperè delectabatur, publicis in honorem divinæ Matris inſtitutis Solemnitatibus devotè, ſi tempus ſupererat, intereſſe, ſed inſuper, ubi gregem paſcebat propè ædiculam B. Virgini Mariæ ſacram, deſertam tamen, in qua ſola Virginis effigies viſebatur inculta, frequenter deſiderabat locum purgare, & imaginem decorare. Verùm ob inopiam, cùm id minimè poſſet pauperrima puella, eidem Virgini Mariæ deſiderium hoc præſtandi ſimplici corde, ſtylóque offerebat, & ornamentorum locò Salutationem Angelicam frequenter ingerebat. Tandem febrî correptâ, & morti proxima didicit, quàm grata Mariæ fuerit & Salutatio Angelica tam ſincerè frequentata, & pius tum ædiculæ ornandæ, tum cultûs Mariani amplificandi affectus. Audite mira! DEO ſic ordinante, eodem tempore duo Religioſi Ordinis noſtri per illam vicinam iter agebant, quibus, fortè ex itineris labore in nemore quodam quieſcentibus, uni in ſomnis, alteri vigilanti, & oranti accidit hæc viſio. A longè videbatur appropinquare ſolemnis Proceſſio, in tres cohortes virginum diſtincta: In qualibet cohorte videre erat nobiliſſimum, & æqualem apparatum veſtimentorum, præſertim in ſecunda cohorte virgines omnes albîs ad inexplicabilem gloriam ornabantur veſtibûs; in tertia verò ſingulæ virgines purpureîs indutæ veſtimentîs Proceſſionem incredibiliter condecorabant. Agmen claudebat Virgo formoſiſſima, pretiô veſtium univerſas ſuperans, circumdata floribûs, & in capite ornata ſertô ex roſis ſpecioſiſſimis. Non defuit Frater vigilans, quin prætereunti huic glorioſo Virginum cœtui ſurrexerit, factáque profunda inclinatione præcipuè illam, quæ ultimô locô incedebat, veneratus fuerit, pia curioſitate, quid rei ageretur, interrogare auſus. Nec fruſtra! Reſponſum enim accepit, totum comitatum conſtare ex Sanctis Virginibus, in prima turma adeſſe illas, quæ virginitatem ſinè voto ſervârant, in ſecunda, quæ votum

addi-

addiderant, in tertia, quæ & Virgines, & Martyres exſtiterant, ultimam eſſe ipſam glorioſiſsimam cœli Reginam, quæ, ùt ambo Fratres viderunt, cum cœtu virgineo non horruit exile tuguriolum, in quo jacebat Clientula, intrare, eámque ſuo, & ſui comitatûs aſpectu, affatúque mirificè conſolari inprimîs; deîn verò exſpirantis animam inter maternos receptam complexus, ſertô pulcherrimô redimitam, triumphantis in morem cœlis glorioſam inferre. Fortè ſimili Proceſſione honorabit nos B. Virgo, ſi eam in Proceſſionibus ſanctiſſimi Roſarij priùs devotè honorare non ceſſabimus. P. Hieronymus Taxius l. 3. cap. 45. & P. Carolus Foreſti de Mirac. Roſarij Miraculo 24.

SERMO VIGESIMUS PRIMUS.

Pro Feſto Paſchatis.

THEMA.

Reſurrexit. Marci 16.

Chriſtus Sodalibus Roſarij offert ovum paſchale in ſignum victoriæ, & glorioſæ olim cum ipſo reſurrectionis.

N. 1. GLorioſè hodie Salvator mundi triumphavit de inimicis ſuis. Hodie ùt Virga Aaron ter arida refloruit, ùt Phœnix ex cinere, & pulvere ſepulchri fortior egreſſus eſt, ùt aquilæ renovata eſt juventus ejus, exurrexit ùt lilium foris candidum propter gloriam corporis, intùs verò aureum propter fulgorem animæ, ortus eſt ùt ſtella matutina poſt noctem Paſsionis;

nis; poſtquàm occidit ùt ſol, tenebrîs factîs in univerſo mundo, hodie denuò ùt ſol reſurgit ſplendidiſſimus in Horizonte noſtro; ùt Joſeph Ægyptiacus eductus ex carcere exaltatur coram univerſo mundo; ùt Daniel ex ſpelunca leonum integer egreditur, & formoſus. Hodie, qui priùs clauſus cuſtodiebatur ſub milite, triumphans pompâ nobili Victor ſurgit de funere: Gemens infernus ululat, mortis confractæ ſunt vires, & diaboli. Unde videtur hac die idipſum fuiſſe verificatum, quod Naturaliſtæ mirabile narrant de elephante, & dracone. Elephas eſt animal habens ſanguinem frigidum; econtra draco animal calidiſſimæ conditionis, & ideò continuò ſitibundum: Unde ex naturali inſtinctu, copioſum ſitiens cruorem elephantis, hunc perpetuô odiô perſequitur, necémque meditatur innocenti. Elephas videns, quòd inſidias inimici draconis evadere non poſſit, inclinat ſe ad arborem, & permittit draconem ſugere ſanguinem ſuum, donec laſſatîs viribûs ipſe pronus cadat, & draconem ſuo pondere opprimat, & ſuffocet, ſicque moriendô hoſtem ſuum ſuperet. Quid aliud Chriſtus fortis ille elephas fecit, quem draco (de quo David: *Draco iſte, quem formâſti ad illudendum ei*) perſecutus eſt mille modîs, volens ipſius ſanguine ſaturari? Inclinavit ſe Chriſtus ſuper Crucem, ibique usque ad extremam guttam draco ejus ſanguinem ebibit; ſed moriens Chriſtus ſic draconem oppreſſit, quòd & illum penitùs ſuffocârit, & mortem moriendô glorioſè triumphaverit. Unde doctiſſimus Salmeron ita victori acclamat: *Mors! ubi eſt nunc victoria tua? ubi, Sathan! Principatus tuus? ubi, peccatum! vis tua, & dominium tuum? ubi, inferne! vincti tui, atque captivi? munde! ubi idola tua? Pilate! ubi ſigillum tuum, & cuſtodia? milites! ubi veſtra ferocia? Judæi! ubi veſtra ſunt conſilia, & conatus? Crux! ubi tua ignominia? Chriſtus potenti ſua virtute mortem calcavit, Principem mundi foras ejecit, peccatum delevit, infernum ſpoliavit, mundum idolorum ſervitute purgavit.* Ideò totus mundus ei hodie applaudit, iterandô: Alleluja.

Simile. *Applicatio.* *Pſalm. 103.* *Salmeron.*

N. 2. Et hanc inſignem victoriam, quam Chriſtus hodie reportavit, nemo inficiàs ibit, cauſam eſſe, cur hoc tempore paſchali uſus in noſtris communiter partibus invaluerit, cur ova, inde paſchalia dicta, hodie ſolemniter in Eccleſia benedicantur, in menſa, & inter amicos diſtribuantur. Ovum enim vel ideò eſt ſignum victoriæ, quia ab ovo ovare dicimur. Simile ovum paſchale pientiſſimus

noſter Salvator, glorioſè à mortuis reſurgens, præbet Sodalibus Roſarianis in ſignum prævium ſecuturæ de inimicis victoriæ, & glorioſæ olim cum ipſo à mortuis ſperandæ reſurrectionis.

N. 3. Quòd ovum ſit ſignum fortitudinis, & exinde ſequentis victoriæ, jam dudùm annotavit Plinius, qui de ovo hoc tradit: *Firmitas putaminis in ovo tanta eſt, ut, eſto, paululùm inflexa rotunditate facilè, rectà tamen nec vi, nec pondere ullo frangi poſſit.* Ipſa ſiquidem experientiâ certum eſt, utrumque ovi cacumen, æqualiter preſſum, adeò frangibile non eſſe, ut ſub ipſis manibus comprimentis in marmor commutatum videri poſſet, concameratione firmitatem illi conferente. Unde ovum utroque ſuo cacumine à duabus manibus validè compreſſum Lemma tenet: *Non frangetur.*

Plin. l. 29. c. 3.

Philipp. Picinelli.

N. 4. Quòd de ovo, ſi rectè teneatur, idipſum de Salvatore noſtro in ſua præclara à mortuis reſurrectione, & de Sodalibus Roſarianis, ſi rectè in ſua devotione ſteterint, haud difficulter affirmare licet: Chriſtus glorioſiſſimus hodie Victor Lemma tenet: *Frangi non potuit.* De Roſarianis, ſi in conflictu cum morte, & diabolo conſiderentur, haud vanè ſimile Lemma augurari licet: *Non frangentur*, ſed victores erunt, mors & diabolus non prævalebunt adverſùs eos. Id tacitè nobis innuitur per figuram. Habacuc Propheta in Spiritu vidit Heroëm, ita de morte, & diabolo triumphantem, ut ambo victi, & capti victorem præcedere compulſi fuerint. Verba Prophetæ hæc ſunt: *Splendor ejus ùt lux erit: Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* Heros iſte juxta communem SS. Patrum ſenſum non denotabat alium, niſi æterni Patris Filium in ſua à mòrtuis glorioſa reſurrectione. Tunc enim ſplendor ejus ùt lux erat, ubi amictus lumine ſicut veſtimentô egreſſus eſt de ſepulchro: Tunc cornua in manibus, id eſt, ſigna clavorum, quæ ad oſtendendam abſconditam fortitudinem retenta fuerunt; cornu enim uſurpatur in Scriptura pro Symbolo fortitudinis, juxta illud: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu.* Tunc ante faciem ejus ibat mors, & diabolus egrediebatur ante pedes ejus, qui ambo in reſurrectione Salvatoris victi, & vincti fuerunt, ad eum fermè modum, quo id Scriptores referunt de crocodilo, & de apibus. Crocodilo per ſpecialem antipathiam contrariatur vermiculus quidam, Enchydrios dictus, qui abſconditus

Habacuc. 3.

Pſalm. 43.

Similia.

ditus in gramine, quo paſcitur crocodilus, & deglutitus tamdiu intùs mordet, & vellicat ventrem crocodili, usquedum apertâ portâ, & enecatô crocodilô denuò ad lucem prodeat. Eodem modo Salvator mundi, elapîs diebûs ab inferno abſorptus, morſu ſuo fortiſſimo adeò devicit inimicum, ut plenus honore, & gloria hodie denuò prodiêrit ad vitam. De apibus verò experientia docet, quòd, ubi aculeum ſuum firmiùs figunt, perſæpè ſibi ipſis ſint in interitum, dum ſcilicet amiſſò aculeô emori eas neceſſe eſt. Simile quid morti hodie accidit, ubi enim truculenta mors præterito nuper Paſſionis tempore aculeum ſuum omni conatu in Filium hominis figere allaboravit, perditô hodie aculeô mors ipſa mortua jacet, juxta illud: *Ero mors tua, ô mors!* *Applicatio.*

Verùm enimverò, eſto, Heros ille, viſus à Propheta Habacuc, primariò denotârit à ſepulchro reſurgentem; ſecundariò tamen videtur haud incongruè denotare Sodales Roſarianos in ſua à mortuis olim reſurrectione. Tunc enim ſplendor eorum ùt lux erit; quia (verba ſunt Michovienſis) dicunt & ſcribunt Patres pijſſimi & doctiſſimi, quòd, qui Mariam per Roſarium honorant, hanc gratiam ab ea recipiant, quòd centum quinquaginta antè diebus, vel ad minus totidem horîs, de ſua morte certiores fient, ut benè, religioſè, ac piè diem extremum claudant. Solet enim eis dulciſſima Regina cœli aut viſibiliter apparere, aut ad minus eis verum dolorem de peccatis inſpirare, ut cum gloria de morte triumphent. Tunc cornua in manibus erunt, & in cornibus abſcondita fortitudo eorum; per cornua enim Tyrinus cum alijs intelligit arma; per arma verò S. Athanaſius intelligit Myſteria ſanctiſſima Incarnationis, & Paſſionis Domini noſtri JEſu Chriſti, in perſona David ſuper illa verba: *Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi;* ſic diſcurrens: *Accipe enſem carnis in Incarnatione, & ſcutum Crucis in Paſſione, & exurge à mortuis, ut præſtes mihi auxilium.* Per hæc cornua, ſeu arma, per enſem carnis in Incarnatione, & per ſcutum Crucis in Paſſione & ipſe Dominus noſter fortitudinem ſortitus eſt glorioſè reſurgendi à mortuis, & ſimul auxilium præſtat fidelibus, fortiter triumphandi mortem, hoc autem præprimis Sodalibus Roſarianis; his enim ſubminiſtrat præcitata arma, horum manibus inſerit enſem carnis in Incarnatione, & ſcutum Crucis in Paſſione, ubi hæc Myſteria frequenter, & quotidie conſideranda reliquit, concredidit, & commendavit Roſarianis.

N. 5. *Michovienſ. Diſc. 327.* *Tyrin.* *S. Athanaſ.*

nis. Tunc ante faciem eorum ibit mors, quaſi amarum ſuum aculeum figere non audens in devotos Sodales ſacratiſſimi Roſarij: Et egredietur diabolus ante pedes eorum, non præſumens ſuîs machinamentîs, & tentationibûs propiùs accedere. Inprimìs enim devoti Roſariani placida morte (ſi ita congruat ſaluti eorum) obibunt juxta promiſſum jam dudùm à B. Virgine dilecto ſuo Alano datum, hîs verbîs: *Volo, ut Pſaltes mei habeant in vita, & in morte benedictionem cœleſtem.* Et fermè idipſum continget illis, quod legimus in figura in Exodo. Tranſierant tunc Iſraëlitæ per mare rubrum, & poſtquàm ſalvi, & incolumes jamjam attigerant littus, ſuóſque hoſtes inſequentes jam viderant ſubmerſos in fluctibus maris, ait S. Textus: *Sumpſit Maria Prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: Egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & Choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem ejus dejecit in mare.* Subintrat hîc doctiſſimus noſter Michovienſis, & per tranſitum maris rubri ſubintelligit tranſitum de hac vita in vitam æternam, per Mariam Sororem Moyſis omnes Confratres & Sorores Mariani Pſalterij, per tympanum verò ſanctiſſimum Roſarium, ſícque alloquitur omnes Roſarianos: Accipite hoc Pſalterium in manibus veſtris, tanquam tympanum cœleſtis jubilationis, quo Maria ſoror Moyſi concinnabat Domino pro victoria de inimicis, nolite expaveſcere in tranſitu maris rubri, id eſt, in transmigratione ab hoc ſæculo in æternitatem, victores eritis de inimicis veſtris, mors infigens vobis aculeum ſuum ipſa morietur, vos verò ad vitam æternam accedetis, viventes in ſæcula: Egredientur in occurſum veſtrum ipſa Auguſtiſſima cœlorum Regina, cæteríque Chori cœleſtes, qui vobiſcum concinent, & dicent: *Cantemus* Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem, id eſt, mortem, quam equo pallido inſidentem vidit Joannes, dejecit in mare. Quando enim, ait Nicolaus Diez, aliquis Confratrum moritur, qui ad cœlum recipi meretur, piè creditur, quòd ſtatim univerſa illa Fratrum familia, quæ nunc cum Chriſto regnat, huic migranti obviàm venit, & cum immenſo gaudio, cum canticis, & citharis, & laudibus animam ejus, comitante Regina Virginum, magna illa Patrona Fratrum, ad gaudia æterna perducit.

B. Alan. p. 2. c. 9.

Exod. 15.

Michovienſ.

Apoc. 6.

Nicolaus Diez, Roſa 5.

Non

Non minùs in morte diabolus egredietur, & infernus ante pedes Fratrum ſanctiſſimi Roſarij, ut, dum illos ad modum crocodili deglutire ſatagunt, diabolus, & infernus confuſi recedere cogantur. Ita B. Alanus: *Sathan fugit, infernus tremit, abſcedit triſtitia, venit nova lætitia, cùm dico: Ave Maria.* Huic conſonat, quod olim Angelus revelavit S. Birgittæ; poſtquàm enim de promptitudine Angelorum in obſequijs Sanctiſſimæ Virginis diſſeruiſſet, hæc ſubijcit: *Mariam ſuper omnes etiam malignos ſpiritus DEUS ſic potentem effecit, ut, quotiescunque ipſi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipſius Virginis nutum illicò pavidi procul diffugiunt, volentes potiùs pœnas ſuas, & miſerias ſibi multiplicari, quàm ejusdem Virginis potentiam ſuper ſe taliter dominari.* Quis autem auxilium B. Virginis, præſertim pro extremo mortis articulo, frequentiùs implorat, quàm Sodales Mariani, quibus illud itentidem in ore verſatur: *Ora pro nobis nunc, & in hora mortis, Amen.* In quorum conſideratione Confratribus Roſarij planè id attribuere licet, quod Apelles victor peritiſſimus, Alexandrum Magnum depicturus, annotavit; volens enim nedum externa corporis delineamenta, verùm etiam & internas animi ejus dotes in illa imagine exprimere, Alexandrum, fulmen in manu ſua tenentem, depinxit, quo inſinuavit, illum tantæ fortitudinis fuiſſe, ut, ſicut fulmen ſono, & fragore ſuo homines terret, alióſque quosvis & ſonos, & hoſtium vires ſuperat, ad eundem fermè modum Alexandri heroica geſta totum mundum terrore replèrint, omniúmque occurrentium hoſtium machinamenta, & vires ſuperârint, ut eos quaſi ſilere facerent, & abſorbere viderentur. Ita ſcribit Pierius; immò & ipſa Scriptura divina teſtatur: *Siluit terra in conſpectu ejus*, ſcilicet Alexandri. Non minùs, ubi hodie Salvator totius generis humani glorioſè à morte ſurrexit, & vexillum triumphi in ſublime erexit (Chriſtus enim reſurgens propterea vexillum in manu tenet) territi fugerunt milites, cuſtodientes ſepulchrum, infernus ululavit, idola obmutuerunt, Princeps mundi hujus ejectus eſt foras. Simile ſignum victoriæ, ſeu vexillum triumphi in manibus ſuis geſtant Sodales Roſariani, quod ubi dæmones conſpiciunt, territi recedunt, infernus obmuteſcit, omnes aſſultus tartarei enervantur. Ita devotiſſimus Mariæ in Roſario Cliens noſter P. Pepinus, ſic exclamans: *O pretioſum Roſarij ſignum! ô admirandum prodigium!* *ô ſa-*

N. 6.

B. Alan.

Revel. S. Birgitt. in Serm. Angel. c. 20.

Pierius.

1. Machab. 1.

Pepinus.

ô ſalutiferum refugium! ô clypeus fortiſſimus! ô lorica inexpugnabilis! ô galea tutiſſima! hoc contra ſignum nullum ſtat periculum, fugite partes adverſæ.

N. 7. Aſt, dum ovum paſchale, quod amantiſſimus Redemptor hodie porrigit Roſarianis, eſt ſignum victoriæ, de morte, & diabolo quondam reportandæ, eoipſo ſimul in ſignum daturglorioſæ cum Chriſto olim reſurrectionis. Huic conformiter refert Ælius Lampridius, inter omnia prævia, quæ Alexandro Severo contigiſſe leguntur, extitiſſe etiam illud, quòd ovum purpurei coloris eadem, qua ipſe natus erat, die, in Regia Aula inventum fuerit. Id, cum matri puerperæ oblatum fuiſſet, aruſpices divinârunt, Severum fore conſcenſurum ſolium regium, ſicut & poſteà factum eſt, ovô purpureô purpuram regiam ominante. Idipſum, quod hodie liberaliſſimus Salvator Roſarianis defert ovum, videtur indicare. Ovum hoc eſt purpurei coloris, quia tinctum eſt in ſanguine, tempore nuperrimæ Paſſionis effuſo, & ominatur ſingulis, quibus offertur, honores regios in gloria cœleſti, & jucundiſſimam cum Chriſto à mortuis reſurrectionem; éſtque non aliud, quàm ſanctiſſimum Roſarium Vita, & Paſſione Chriſti ex integro exornatum, & purpuratum, de cujus feliciſſimo omine jam dudùm loquebatur B. Alanus, hîs verbîs: *Servientes Virgini Mariæ in ſuo Pſalterio ſunt Reges, quibus toties additur corona immarceſcibilis in cœlis, quoties nunc Pſalterium ad laudem DEI, & ejus Genitricis dixerint.* Non diſſimiliter, ùt teſtatur clariſſimus Mariani Pſalterij Præco, P. Coppenſtein, Annô 1431. vidit quidam ex Patribus Carthuſianis innumeras, pulcherrimas, lucidiſſimas, immarceſcibiles, odoriferáſque coronas, quæ reſervantur his, qui ſeſe exercent in devotione ſanctiſſimi Roſarij.

Ælius Lamprid.

B. Alan. de 15. gemmis c. 16. & 17.

Coppenſt.

N. 8. Hoc in figura nobis denotatur in libro Eſther, ubi, cùm invictiſſimus Rex Aſſuerus dilectiſſimo ſuo, & Reginæ ſuæ Eſther intimo amico Mardochæo regios decreviſſet honores, & quem priùs præcipitî ſententiâ ſuâ morti adjudicaverat, jam voluiſſet quaſi glorioſè de mortuis reſurgere, omníque populo honorabilem fieri, accerſivit primum Miniſtrum ſuum Aman, ſicque eum allocutus eſt: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? Cogitans autem Aman in corde ſuo, & reputans, quòd nullum alium Rex, niſi ſe, vellet honorare, reſpondit: Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibûs regiîs, & imponi ſuper equum,* qui

Eſther. 6.

qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum,
& primus de Regiis Principibus, ac Tyrannis teneat equum ejus, &
per plateas civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur,
quemcunque voluerit Rex honorare! Quæ dixerat Aman, etiam
facta ſunt, eſto, non arroganti Aman, ùt ſibi vanè abblandiebatur, ſed alij amico Regis, nempe Mardochæo, adeò equidem, ut ſuperbiens Aman ſui edicti debuerit eſſe ipſe executor. Pergit enim Scriptura ſic: *Dixítque ei Rex: Feſtina, & ſumptâ, ſtolâ & equô fac, ùt locutus es, Mardochæo Judæo, qui ſedet ante fores palatij, & cave, ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.* Mardochæus igitur regiîs veſtibûs indutus, regio diademate exornatus, ducebatur per totam civitatem, præcedente, & clamante Aman: *Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare*, id eſt, quicunque amicus Regis, & Reginæ fuerit! Amici non cujusdam Regis terreſtris, ſed Regis Regum, & dominantium, non Reginæ Eſther, ſed potentiſſimæ cœlorum Reginæ, quam Eſther præfiguraverat, ſunt Fratres & Sorores ſanctiſſimi Roſarij.
Ita ipſa B. Virgo ad Beatum noſtrum Alanum: *Ego ero illis ami-* *B. Alan. p.*
ca; inprimis autem Filius meus eis amicus erit. In hos jam du- *2. c. 17.*
dùm mortis ſententia lata eſt, tunc ſcilicet, quando omnibus hominibus ſtatutum eſt ſemel mori. Poſt mortem erit univerſalis
reſurrectio, aſt diverſimodè, juxta illud Apoſtoli: *Omnes quidem* *1. Cor. 15.*
reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Item juxta illud: *Mul-* *Daniel. 12.*
ti de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam
æternam, & alij in opprobrium. Alij cum Chriſto in claritate, *Matth. 13.*
& ſplendoribus, juxta illud: *Tunc juſti fulgebunt, ſicut ſol, in reg-* *Philipp. 3.*
no Patris eorum. Et juxta illud: *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Alij verò in fœtore, deformitate, & tenebris, ita, ut ipſi erubeſcentes clamatu-
ri ſint *montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos.* Alij *Luc. 23.*
ad obtinendam coronam vitæ beatæ, ut regnent cum Chriſto in ſæcula ſæculorum; alij, ut eant in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus; alij, ſicuti Mardochæus, deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate, participantes gloriam Divinæ Majeſtatis; alij verò humiliati, & confuſi ad
inſtar ſuperbi Aman, gementes, & dicentes: *Hi ſunt, quos aliquan-* *Sap. 5.*
do habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſa-

ſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſinè honore. Ecce quomodò computati ſunt inter filios DEI, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Sic honorantur, quos Rex vult honorari.

N. 9. Ex horum autem numero præprimìs ſunt Fratres & Sorores ſacratiſſimi Roſarij, quia hi juxta ſuperiùs dicta ſunt ſpeciales amici Filij Regis, & Matris Reginæ: His reſervantur in cœlis innumeræ, lucidiſſimæque coronæ: Hi ſunt Reges, quia ſerviunt Virgini Mariæ in ſuo Pſalterio, quibus toties additur corona immarceſcibilis in cœlo, quoties in terris Pſalterium ad laudem DEI, ejúsque Genitricis dixerint: Horum facies, ad inſtar Chriſti in monte Thabor, in reſurrectione reſplendebunt ùt ſol, veſtimenta autem alba erunt ſicut nix, & ſimul in nubibus obviàm rapientur Chriſto in aëra, ut loquitur Apoſtolus; id eſt, ut Chriſto in nube ſplendidiſſima quaſi in Throno conſidenti, & judicium, formanti & ipſi in nubibus ſplendidis, quaſi in thronis, aſſiſtant, & aſſideant, ùt interpretatur Suarez. Ad hos pertingent ſuaviſſima illa verba: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Sic enim honoratur, quicunque amicus erit Regis æterni, & Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ. Vel maximè autem ex parte quoque B. Virginis

1. Theſſal. 4.

Suarez. 3. p. Diſp. 57. Sect. 2. Tom. 2.

Matth. 25.

N. 10. Glorioſam à mortuis Reſurrectionem, & regios in regno cœlorum honores Sodalibus Marianis ominari licet ex Roſario; & quidem eo ferme modo, quo id contigiſſe legimus Euſtachio cuidam Comiti in Gallia. Deſtinatus hic à ſuo Rege, cui inprimìs charus erat, & ideò inter præcipuos in miniſterio, ut tanquam Legatus Regius abiret Bononiam, ibique quædam gravioris momenti negotia nomine ſui Principalis tractaret. Legatione ea, qua par erat, veneratione in ſe ſuſcepta Comes Bononiam ſe contulit, dilectiſſima tamen conjuge unà cum tribus chariſſimis filijs in Gallia relicta. Contigit intereà, ut Comes finitìs iîs, quibus perficiendis deputatus fuerat, negotiîs in Galliam reverteretur, & eo tempore, quaſi ex inſperato, ad domum ſuam pertingeret, ubi Comitiſſa adventûs gratiſſimi viri ſui ignara amanter jocaretur, & colluderet filijs ſuis. Quare, dum ei nuntiatur ex improviſo præſentia Comitis, ex arena conſilium cepit, ut & ipſum luſûs amoris prolium ſuarum participem faceret. Aſtuta celeritate tres filios exteriori ſub toga ſua cooperuit, & ita abſcondit, ut Comes, cameram ingreſſus, adverterit quidem adeſſe, quod lateat ſub ampliſ-

pliſſima veſte amantiſſimæ uxoris, nullatenùs tamen de filijs ſuis cogitaverit. Poſita ergo quæſtione, quid abſconſum haberet? Comitiſſa reſpondit: Tres magnas perſonas, Regem, Principem, & Comitem. Et ſanè propheticè; jocus enim poſteà in rem ipſam mutatus eſt, ubi primus filius, Ludovicus nomine, aſſumptus fuit in Regem Jeroſolymorum, ſecundus Godefridus in Principem Larenæ, & tertius in Comitem Bononienſem.

Simile aliquid de Maria, & Sodalibus Roſarianis diſcurrere N. 11.
licet. Maria eſt Mater amantiſſima, & ipſi ſunt filij dilectiſſimi. Ita B. Alanus hìs verbìs: *Beata Virgo plùs amat quemlibet in ſuo* *B. Alan. 4. p. c. 24.* *pſallentem Pſalterio, quàm poteſt facere totus mundus patrum & matrum habentium unicum filium, tantum dilectum à quolibet patre, quantum unquam mater filium proprium naturali amaverat amore.* Ipſe ſuperaddit B. Alanus apud P. Antonium Sterni: *B. Virgo* *Idem. apud Anton. Sterni Roſâ 16. ad fin.* *tantum diligit quemlibet ſibi offerentem Salutationem Angelicam, ut, quantum in ſe eſt, cor ſuum citiùs traheret de corpore ſuo, quàm quòd damnaretur mortalî peccatô*, id eſt, ut malum aliquod incurreret. Ex hac amoris magnitudine evenit, ut Auguſtiſſima cœlorum Regina dilectos filios, & filias ſuas, id eſt, Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij quaſi continuò ſub pallio protectionis ſuæ reconditos teneat, & in ſinum maternæ miſericordiæ receptos amplectatur. Oſtenſum hoc fuit in viſione quadam Sanctiſſimo Patri noſtro Dominico, qui in extaſim raptus, & ad cœlum deportatus, triſtis, & deſolatus conqueri cœpit, quòd ex tot Fratribus, & Sororibus Ordinis ſui, tunc temporis jam defunctis, nullos conſpiceret in regno cœlorum. Aſt in brevi luctus abiit in gaudium, & querimonia in ſummam congratulationem, ubi Auguſtiſſima Angelorum Regina pallium ſuum aperuit, omnéſque defunctos Fratres, & Sorores, infinitâ propemodùm gloriâ dotatos, quieſcere ſub pallio ſuo monſtravit, tacitè innuens, dignum eſſe, ut, quia Ordo Prædicatorum ſpecialiter cultui Mariano, & inprimìs devotioni ſacratiſſimi Roſarij mancipatus eſt, Ordinis hujus Fratres, & Sorores etiam in cœlis accidentalî gloriâ fruerentur ſub pallio Deiparæ Virginis. Unde ex paritate rationis, cùm omnes Sodales Roſariani ſpecialiter ſint deputati ad cultum Marianum, & devotionem ſacratiſſimi Roſarij, hoc privilegium ad univerſos Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij aptiſſimè extendit eruditus noſter Pepinus hìs verbìs: *Pepinus Serm. 5.* Beata Virgo Maria intra ſinum miſericordiæ ſuæ protegit, & abicon-

dit præſertim eos, qui ſibi devoti ſunt, & ejus Roſarium recitant. Dato ergo caſu, ubi Dominus ex inopinato ad judicandum venerit
Matth. 24. *(De die autem illa, & hora nemo ſcit)* & in reſurrectione mortuorum ex dilectiſſima Matre ſua quæſierit; quid ſub pallio ſuo abſconſum teneat? ſanè non aliud reſpondebit, quàm prædicta Comitiſſa, ſcilicet, omnes perſonas magnas, nedum Comites, nedum Principes, ſed omnes Reges, id eſt, hæredes regni cœleſtis &c.

N. 12. *Plinius.* Accipite ergo, Sodales Mariani, hoc ovum paſchale, & cautè illud circumligate filô, ſeu funiculô ſacratiſſimi Roſarij. Plinius ſcribit, filum mediô ovô circumligatum in igne illæſum manere, cum Lemmate: *Sic nunquam læditur igne.* Pariter & vos non lædemini ab igne, qui conſumet totum orbem, ſed glorioſè reſurgetis.

Hiſtoria.

JUvenis quidam in Germaniæ partibus, mortuîs parentibus, ùt fieri perſæpè aſſolet, pravorum ſociorum conſiliô adeò depravatus fuit, ut relictam ſibi ſat pinguem hæreditatem in ludo teſſerarum, & tabernis penitùs diſſipârit; inde quaſi cum filio prodigo vagus, & miſer ad extremam penuriam redactus, & neſcius, quò pedem figeret, & unde panem ſumeret. Hunc quidam miles, patruus ejus, non modicè ſortem malam conſanguinei miſeratus, die quadam ſibi obvium ſic alloquitur, dicens: Malè te habes, conſobrine chariſſime, mortis ſimul, & dæmonis ſic vivendô in brevi præda eris infeliciſſima. Aſt audi, & ſequere conſilium meum: Volo, ut glorioſam DEI Genitricem Mariam per Ave Angelicum ſalutes quinquaginta vicibûs omni die. Annuit invenis, & receſſit. Poſt annum contigit, patruum denuò videre juvenem, quem, ſi promiſſum ſervâſſet? interrogat. Et ille, ſervavi, inquit, & nollem me ullatenùs non ſervâſſe; remiſſius enim mihi eſt, quàm ante in vanitate mundana, quia ampliùs nec mortem timeo, nec dæmonem. Hinc patruus condignas ipſi nuptias procuravit; & ecce! poſitâ menſâ, & lotîs manibûs, cùm jam ſponſus, & ſponſa comeſturi pariter conſediſſent, ex inopinato memor ſponſus, nondum ſe Angelicas ſponſionis debitæ Salutationes illa die glorioſæ Virgini aliîs occupatum perſolviſſe, repentè ſurgens in aurem ſuſurrat patruo, ut paululùm differri jubeat fercula miniſtranda. Quo annuente ſolus juvenis thalamum intrat, ut ſolveret, quod ſpoponderat,

50.

50. Salutationes Angelicas. Jamjam ad extremam tertiæ quinquagenæ devenerat, ubi apparuit ei B. Virgo, ſicque eum allocuta eſt: Ecce! Salutationes tuæ Angelicæ litteris aureis ſcriptæ, quibûs me in tribus quinquagenis ſedulus honorâſti; & quoniam in tuo corpore, licèt alias vanus, vagus, & deſperabundus, virginitatis tamen munditiam ſemper conſervâſti, mox te febris lenta corripiet, mortem, & infernum glorioſè triumphabis, & ad me tertia die ſinè ulla carnis corruptione pervenies. Hoc dicto glorioſa Virgo diſparuit. Juvenis autem egreſſus omnes hortabatur lætari, & epulari, ſe verò appetitu comedendi deſtitutum, & nunc cum eis eſſe non poſſe. Singulis ergo ad menſam conſidentibûs, & comedentibûs, juvenis lectum conſcendit, & mensâ abſolutâ ſponſam ſuam, patruum, & amicos ad ſe vocavit, & eis, quid ſibi contigerit, intimavit. Mortuus eſt ergo die, qua prædixit. Thomas Cantipratanus l. 2. Ap. cap. 29.

SERMO VIGESIMUS SECUNDUS.

Dominica prima poſt Paſcha.

THEMA.

Affer manum tuam. Joan. 20.

Ex Roſario, tanquam ex gazophylacio ſpirituali, depromuntur theſauri fidei, & charitatis.

O Te infelicem, Thoma! Magiſter dilectiſſimus apparuit diſcipulis in unum congregatis, revivificavit terrefactos propter metum Judæorum, oſtendit eis latus, & pedes in ſignum veræ reſurrectionis; & tu non eras cum eis. Amplius te N. 1.

infelicem, ô Thoma! quia in tantam incredulitatem, & tepiditatem lapſus es, ut diſcipulis narrantibus, ſe vidiſſe Dominum, nedum omnem fidem abneges, ſed inſuper in ſuo ſenſu ita pertinax obdureſcas, ut dicere audeas: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum - - niſi mittam digitum meum in locum clavorum, & manum meam in latus ejus, non credam.* Ergo in tantum mutatus es ab illo, qui paulò ante fueras, ubi audacter dilectiſſimo Magiſtro tuo commori voluiſti, dicens: *Eamus & nos, & moriamur cum eo?* (*Joan. 11.*) Nunc autem adeò frigeſcis, ut nec Petro, nec mulieribus, nec euntibus in Emmaus, nec omnibus diſcipulis ſimul congregatis fidem adhibeas? Ergo neſcis præſcriptum legis tuæ, quod etiam cuique plebejo notiſſimum eſt, nempe: *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum?* Et tu fidem tot, tantis, & tam diſtinctis teſtibus dare renuis? O miſera ſors hominum! ô fragile genus mortalium! Petrus in horto Malcho auriculam percuſſit, paulò poſt Chriſtum negavit; paulò ante Thomas commori voluit Magiſtro ſuo, jam totus incredulus, & tepidus in fide marceſcit. Et ſi hoc in primis fidei columnis; quid erit in arundine noſtra? Aſt conſolamini fideles, non deeſt DEUS gratiâ ſuâ, non dimittit fragiles, ſuccurrit in tempore fragilitati noſtræ. Ecce enim octo dies vix abièrant, Magiſter cœleſtis denuò apparet diſcipulis, & quidem præſente Thoma, offert incredulo manus ſuas ad contrectandum, ut credat, latus ſuum ad palpandum, ut amaret. *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſè incredulus, ſed fidelis.* Magna dignatio! exclamat hìc os aureum, S. Chryſoſtomus (*S. Chryſoſt. Hom. 86. in Joan.*) non rogatur, & tamen benefacit, nihil dicit Thomas, & tamen ejus voluntati fit ſatìs, non petit à Magiſtro Vulnera tangere, & tamen, quod in votis habuit, ei offertur! In quo, pergit noſter Angelicus (*S. Thomas Aquin. in Joann.*), apparet evidens ſignum divinæ pietatis, quæ electis ſuis ſemper ſubvenire parata eſt, aut ſuſtendandô, ne cadant, aut porrigendô manum, ut citiùs à lapſu reſurgant, juxta illud: *Cùm ceciderit juſtus, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* (*Pſalm. 36.*) Cecidit Thomas, ſed non colliſus eſt, quia Dominus ſuppoſuit labenti manum ſuam; imò addidit, quod plus eſt, præbuit ei vulnera ſua palpanda, ex quibus, teſte S. Thoma de Villanova (*S. Thom. de Villanov.*), tanquam ex gazophylacio, novos deprompſit theſauros fidei & charitatis, exclamando: *Dominus meus, & DEUS meus!* & quidem theſauros abundantiſſimos, pretioſiſſimos, nunquam

quam ſat æſtimandos. Hos eosdem theſauros fidei, & charitatis, quos hodie S. Thomas adinvenit in Vulneribus Magiſtri ſui, omni tempore eruunt Roſariani ex Mariano Pſalterio ſuo, tanquam ex ſpirituali gazophylacio; quod breviter oſtendam.

Donum fidei theſaurum eſſe abundantiſſimum, pretioſiſſimum, N. 2.
& nunquam ſat æſtimandum, & quidem theſaurum illum, de quo meminit pientiſſimus Salvator hîs verbîs: *Simile eſt regnum cœ-* Matth. 13.
lorum theſauro abſcondito in agro, quem, qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum; ſat luculenta eſt æſtimatio Divi Apoſtoli Pauli, qui ſuam de fidei dono conceptam exiſtimationem ita declarat: *Verum tamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſci-* Philipp. 3.
entiam (id eſt, fidem) JESU Chriſti Domini mei: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ùt ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti JESU -- ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus. Et benè: Sicut enim, teſte eodem Apoſtolo, *ſinè fide impoſſibile eſt placere DEO;* ita fides Hebr. 11.
in homine eſt radix, & origo omnium bonorum, & quaſi fundamentum primum, & lapis angularis totius ſtructuræ ſpiritualis. Declarat hoc noſter Scholarum Angelus hoc modo. Quemad- S. Thom. 2.
modùm ad fabricam aliquam conſtruendam, duo ut fiant, neceſ- 2. q. 161.
ſe eſt, videlicet primò aperiri humum, & effodi omnem areno- a. 5. ad 2.
ſam, & mobilem terram, alterum, primus ut ponatur lapis, qui unà cum reliquis ſuperponendis præcipuum eſt ædificij fundamentum; ſic pariter in ſtructura ſpirituali humilitas parat quaſi locum, qui erigendo ædificio eſt neceſſarius: At verò fides ſe habet inſtar primi lapidis fundamentalis, cui tota reliqua virtutum ſtructura innititur. Sinè lapide angulari ædificium nullum eſt; ſinè fide omne bonum hominis in nihilum abit, & evaneſcit. Unde aptiſſimè loquitur S. Auguſtinus: *Nullæ ſunt majores divitiæ,* S. Auguſt.
nulli theſauri, nulli honores, nulla mundi hujus major ſubſtantia, Serm. 1. de
quàm fides Catholica, quæ juſtos augmentat, ac cœleſtibus regnis præ- Verb. Ap.
parat, & ſinè qua nulli patet aditus ſalutis extra Eccleſiam; ſicut neque in diluvio absque arca Noë, quæ ſignificat Eccleſiam, S. Thom. 3.
ullus ſalvatus eſt, addit noſter Angelicus. p. q. 73. a. 3.

Pretium, & valorem hujus theſauri, ſeu doni fidei ij, quibus N. 3.
miſericorditer à DEO conceſſum eſt, primò ex eo ampliùs æſti-

mare poterunt, quo pauperiores, & miſeriores ſunt, qui veram fidem aut nunquam adepti fuerunt, aut ab ea turpiter receſſerunt; ſecundò verò ex eo, quò magis hunc theſaurum inveniſſe ſibi congratulabantur SS. Patres, & hodiedum ſibi congratulati debent fideles. Pauperiem, & miſeram ſortem illorum, qui vera fide privati ſunt, ita deplorat B. Judas Apoſtolus: *Væ! qui in via Cain abiêrunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt -- hi ſunt -- nubes ſinè aqua, quæ à ventis circumferuntur!* id eſt, à tot fermè ſpiritibus, & opinionibus credendi, quot ſunt eorum Paſtores, & capita, in ſuis doctrinis ſemper ad invicem diſcordes, inſtabiles, diſſentientes. Sunt *arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ;* id eſt, ſinè fructu vitæ æternæ, ſinè radice in vera Eccleſia. Unde etſi ſubinde ad eum modum, quo arbores quædam autumnales fructus nonnunquam videntur progignere, aſt immaturos, ſpeciem externam, non tamen ſubſtantiam pomi habentes; ita pari ratione opera bona, quæ videntur extra Eccleſiam veram, & Catholicam fieri, immatura ſunt, inſipida ſunt, in ſubſtantia deficiunt: Fides enim ſperandarum eſt ſubſtantia rerum, & ſinè fide impoſſibile eſt placere DEO. Sunt *fluctus feri maris, deſpumantes confuſiones ſuas;* quia non ceſſant & ſeipſos, & alios in ſpiritu contradictionis turbare. Sunt *ſidera erantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum;* quia erronea dogmata ſectantur, in ſuis cæcitatibus oberrant, & ſic propero pede æternis tenebris appropinquant. Et horum perfidorum, ac pauperum, ô! quantus ſemper fuit, & adhuc eſt numerus? quot Ethnici? quot Barbari? quot Judæi? quot Athei? quot Turcæ? quot hæretici, Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani? &c. Nónne maxima pars orbis ſimilibûs ſcatet? Ubi à contrario noſter Ludovicus Granatenſis benè docet, ex centum hujus orbis partibus vix unam eſſe Chriſtianam, & Catholicam. Et in conſideratione hujus

S. Judas Apoſt. in ſua Epiſt. Cathol.

Ludovic. Granat. in Duce pec- cat. L. 1. c. 27.

N. 4. Quis eſt, qui non infinitas DEO rependat gratias pro ſummo fidei dono, quod nobis ſinè omni noſtro merito DEUS miſericorditer conceſſit, non autem innumeris alijs? Quis non dicat cum Apoſtolo? *Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto JESU Domino noſtro, quia me fidelem exiſtimavit;* id eſt, explanat S. Ambroſius, quia credentem, & Chriſtianum me fecit. Quid mirum, quòd de hoc fidei theſauro invento adeò ſibi congratulati fuerint Sancti Patres? Audiatur unus pro omnibus, Magnus

1. Timoth. 1.

S. Ambroſius.

S. Au-

S. Auguſtinus, qui in hæc excurrit verba: *Magnum æſtimo beneficium, quòd eo tempore, & inter tales me naſci voluit DEUS, per quos ad fidem ſuam, & Sacramenta venirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor eſſe conceſſum, cum quibus nobis una eſt conditio.* Quod idem ſub alia ratione paulò ante præmiſerat, ſub hoc tenore: *Audîſtis ab initio usque ad hanc diem, quòd multæ generationes pertranſiêrunt, quæ omnes ſinè cognitione DEI, & pretio ſuæ redemptionis in interitum ſempiternum delapſæ ſunt. Omnibus his Redemptor tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus eſt, quam nullus eorum percipere meruit. Sed nunquid tu fortior, nunquid ſapientior, nunquid nobilior, nunquid omnibûs illîs dignior fuiſti, qui hanc præ omnibus illis ſpecialem gratiam ſortiri meruiſti? Quot fortes, quot ſapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt? & tamen univerſi relicti, & abjecti periêrunt?* Penitiùs ergo cum S. Auguſtino & vos, Sodales Roſariani, hunc vobis benevolè concreditum theſaurum inſpicite.

S. Auguſt. in Medit. c. 11.
Idem in Medit. c. 7.

N. 5. Aſt mementote ſimul illius, cujus vos admonet S. Gregorius Magnus, ſcilicet, quòd theſaurus inventus abſcondatur, ut ſervetur, quia in via, qua ad patriam pergimus, maligni ſpiritus, quaſi quidam latrunculi, iter noſtrum obſident, & theſaurum deprædari ſatagunt, qui publicè, & incautè portatur in via; præcipuè autem viatoribus hujus mundi auferre allaborant theſaurum fidei, nunc per varias ſuggeſtiones nunc per libros in fide ſuſpectos, nunc per falſos Prophetas, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecè autem ſunt lupi rapaces, potiſſimùm autem in articulo mortis, ubi fortiſſimîs contra fidem tentationibûs morientes moleſtant. Quid ergo in his anguſtijs auxilij? qua ratione pretioſiſſimus fidei theſaurus tutè cuſtodiri poterit?

S. Gregor. M. Hom. 11. in Ev.

N. 6. Sodales Mariani! Roſarium noſtrum eſt ſpirituale gazophylacium, ex quo copioſiſſima fidei dona depromere licet, & ut fides ab ijs, qui fidem non habent, obtineatur, & ut in ijs, qui piè credunt, fides majus ſemper incrementum ſumat, & ut ij, quorum fides à dæmone tentante impugnatur, theſauro hoc non ſpolientur; per Roſarium enim, loquitur Sanctiſſimus noſter Pontifex Pius V. *Cœperunt Chriſti fideles meditationibûs accenſi, in precibus inflammati, in alios viros repentè mutari, hæreſum tenebræ remitti, & lux fidei Catholicæ aperiri.* Unde idem Beatiſſimus Ponti-

S. Pius V. in Bulla:

Conſue-verunt. Pontifex ad extirpandas hæreſes Lutheri, & Calvini, quæ eo tempore Eccleſiam DEI plurimùm vexabant, præſtantiſſimum judicavit eſſe remedium, & potiſſimam viam ad mentes fidelium in ſemita veritatis retinendas, ſi Gabrielis Angelica Salutatio frequentiſſimè recitaretur. Idem de Roſario ante Pium V. enuntiavit Pius IV. hîs verbîs: *Nobis innotuit, Confraternitatem Roſarij non ſinè magno fidei, & devotionis augmento jam diu erectam eſſe.* Imò hoc ipſiſſima cœlorum Regina jam dudùm ſtrenuo ſuo Mariani Pſalterij Zelatori B. Alano revelavit, ùt ipſe fatetur, hoc modo: *Per Roſarium fides quoque ſic roboratur, ut plerique cuperent libentiſſimè mori pro fide, & contra hæreticos bellare.* Nec hoc mirum videtur; hanc enim virtutem Roſarium accipit à Regina ſacratiſſimi Roſarij, cujus dulciſſimum nomen *Maria*, ſicut interpretatur *Illuminatrix*, ita illa univerſos ſuos Clientes illuminare non deſinit in ijs, quæ ad fidem roborandam, & conſervandam pertinent. Præſtitit hoc nedum olim toti primitivæ Eccleſiæ, ſed etiam ipſis Apoſtolis, & Evangeliſtis, teſte Richardo, quos docuit novum teſtamentum, & arcana Myſteria, maximè circa Conceptionem, & Nativitatem Chriſti. Unde apud Divam Birgittam ita legimus: *Aſcendente ſuo benedicto Filio ad ſuum regnum glorioſum, Maria in hoc mundo ad bonorum confortationem, & errantium correctionem remanere permiſſa eſt: Erat enim Magiſtra Apoſtolorum; Apoſtolis namque ad ſe venientibus omnia, quæ de ſuo Filio perfectè non noverant, revelabat, & rationabiliter declarabat.* Imò Lucius Dexter, antiquiſſimus Author, ſcribit, B. Virginem ita antiquitùs roboráſſe fideles, ut etiam Apoſtoli nihil grave agerent, quod non ejus conſilio, ductúque fieret. Verba Authoris hæc ſunt: *Sacra Virgo conſilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præſidet collegio Apoſtolico, nihílque grave gerunt illi, quod non ejus conſilio, ductúque gerant.*

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 17. — *Richard L. 2. p. 2.* — *S. Birgitt. in Serm. Angel. c. 19.* — *Lucius Dexter in ſuo Chron. circa Ann. Chriſt. 34.*

N. 7. Non minùs amantiſſima divinæ miſericordiæ Mater ſolicita erat poſt glorioſam ſuam in cælum Aſſumptionem, ut ſui Clientes in vera fide manerent immoti. Tempore impij Arrij jam multi hæſitabant in fide; hæreſis iſta tam ſubitò dilatata fuit per totum terrarum orbem, ut totus mundus, vix advertens, jam ſeſe mirari cœperit eſſe Arrianum. Aſt B. Virginis nutu Joannes Evangeliſta apparuit D. Gregorio Thaumaturgo, eíque conſignavit verum fidei Symbolum, cujus ope nedum ipſe Gregorius, ſed & totus

S. Gregor. Nyſſen. in ejus vita.

totus populus ipſi concreditus ab hac peſte illæſus permanſit. Ita refert S. Gregorius Nyſſenus. Tempore S. P. Dominici in Eccleſia triſtiſſimas Tragœdias excitârunt Henricus IV. Henricus V. Otto IV. Fridericus II. ùt narrant Sigonius, Kranzius, & S. Antoninus. Pariter hæreſis Albigenſis brevì temporis intervallô ita invaluit, ut jamjam ubique ſerpere cœperit, &, niſi in tempore repreſſa fuiſſet, totam Europam corrupiſſet. In Hiſpania Chriſtiani nominis hoſtes Saraceni univerſam terram obruerunt, & ſubjugârunt. Aſt, DEO ſint laudes, per ſacratiſſimum Roſarium, quod tunc temporis prædicare cœpit S. Dominicus, theſaurus fidei integer in Eccleſia ſervatus fuit; quia teſte Gregorio IX. *Dominico ſagittante omnis hæreticorum ſecta contremuit, omnis Eccleſia fidelium exultavit.*

Sigonius de Regn. Ital. Kranz. de Saxon. L. 7. c. 6. S. Antonin 3. p. tit. 19.

Gregor. IX. in Bulla Canoniz. S. P. Dominici.

N. 8.

Verùm enimverò, quia fidem vivam neceſſariò comitatur charitas (fides enim ſinè charitate nihil eſt, ùt ait Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum)* gazophylacium noſtrum ſpirituale, id eſt, Marianum Pſalterium unà cum theſauro fidei præbet & theſaurum charitatis, quem ſimiliter hodie unà cum fide reperit in Vulneribus Chriſti Divus Apoſtolus Thomas. Tepidus erat Thomas, imò totus frigidus, quia ſe à collegio ſuorum Goapoſtolorum ſeparaverat, & pertinax in ſua incredulitate perſiſtebat: *Si enim*, (verba ſunt Magni Auguſtini) *à fide quiſquam ceciderit, à charitate etiam, neceſſè eſt, cadat: Non enim poteſt diligere, quod eſſe non credit.* Unde, qui Thomam ſejunctum à reliquis Apoſtolis, quibus Chriſtus antecedenter apparuit, contemplatur, carboni ſimillimum eum eſſe dixerit, qui carbo ignitur, ſi alijs ignitis carbonibus conjungitur; mortuus verò manet, & frigidus, quamdiu ab illis removetur, cum hoc Lemmate: *Extinguitur, dum diſtinguitur.* Parî modô Thomas in fide, & charitate languebat, intepeſcebat, frigebat, dum à cœtu Apoſtolico abſens arat; at verò accendebatur, igniebatur, exardeſcebat in flammas, ubi hodie, alijs diſcipulis adunatus, Chriſtum reſurgentem videre meruit, Vulneráque ſanctiſſima manu ſua contrectare. Idem ſuo modô accidere videtur cuique homini Chriſtiano. Quamdiu fideles Sodalitatem, & Congregationes ſanctiſſimi Roſarij renuunt, in fide facilè vacillant, in charitate algent, in omni virtute paulatim deficiunt: Ubi verò nomina eorum in Archi-Fraternitate

1. Cor. 13.

S. Auguſt. L. 1. de doctrin. Chriſt. c. 37.

ſanctiſſimi Roſarij annotantur, ubi ad Conventus, & Solemnitates Mariani Pſalterij cum alijs Confratribus, & Sororibus conveniunt, charitas DEI, & proximi indies magìs accenditur, corda amoris ignem concipiunt, flamma dilectionis affulget. Ita B.
B. Alan. in Alanus. *Ad hanc igitur Fraternitatem veniant juſti, quia car-*
Apol. c. 16. *bo vivus emoritur ſolus, alijs autem vivis conjunctus gliſcit ardentiùs.*

N. 9. En itaque, Sodales Mariani! quàm feliciter theſaurus charitatis in Roſario inveniatur, & quidem theſaurus adeò locuples, in cujus comparatione omnia bona cætera ſunt veluti arena exigua,
S. Zeno Ve- & tanquam lutum æſtimantur. Unde exclamat S. Zeno Vero-
ronenſ. nenſis: *O Charitas, quàm pia, quàm opulenta es, & potens, nihil*
S. Auguſt. *habet, qui te non habet!* S. Zenoni concordat Africanæ Eccleſiæ
L. 50. lumen S. Auguſtinus: *Sola charitas ſufficit, ſi adſit; cætera omnia*
Hom. 50. *nihil proſunt, ſi ſola charitas deſit.* Quæ eadem jam præoccupavit
1. Cor. 13. S. Apoſtolus Paulus, qui ita emphaticè de charitate loquitur: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens. Etſi habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita, ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Imò ipſe altiſſimus DEUS videtur eam de charitate habere exiſtimationem, ut illam theſauro pretioſo, auro ignito, & probato aſſimilare videatur, excitandô homines, ut ſibi hunc theſaurum comparare ſtudeant.
Apoc. 3. Ideò dicitur in Apocalypſi: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,*
S. Thomas *probatum, ut locuples fias*, id eſt, ùt exponit S. Thomas, charita-
hic. tem, quæ aurum dicitur; quia ſicut aurum ſuper omnia metalla eſt in valore, ſic charitas eſt ſuper omnes virtutes. Charitas virtutum omnium gemma eſt, quæ cæteras informat, illuſtrat, perficit. Charitas eſt veſtis polymita Joſeph, omnium virtutum varietate decorata; charitas eſt veſtimentum Jacob, cujus fragrantiâ benedictionem Patris cœleſtis impetrat; charitas eſt currus ille igneus, qui ſublimat interiorem hominem in paradiſum ſpiritua-
Marſil. Fi- lem; charitas, teſte Marſilio Ficino, aurum & nummus eſt, quo
cin. Deus ipſe emitur, & comparatur. *Venalis*, inquit, *eſt DEUS. At quo nummo? quo te emit? Scilicet charitate.*

Verùm

Verùm enimverò, ubi aurum hoc invenitur? ubi theſaurus N. 10.
iſte abſconditus latet? In Roſario tanquam in ſpirituali gazophy- *Carthagen.*
lacio. *Roſarium* quippe, ait eruditus Carthagena, *eſt gazophyla-* *Hom. 8.*
cium divinorum theſaurorum, ex quo DEUS pauperibus ſua bona *Idem Hom.*
diſtribuit. Et iterum: *Roſarium eſt vena, & minerale ſpiritua-* 7.
lium omnium metallorum. Cùm in Fraternitate ſanctiſſimi Roſarij *Michovienſ*
inſcribimur, veras opes, & theſauros nobis comparamus, quibûs *Diſc. 343.*
vitam æternam acquirimus, doctrina eſt Eximij Michovienſis. *Ex* *Goswin.*
Roſario orato derivatur flamma amoris in affectum hominis, ait *Dom. 23.*
doctiſſimus Goswinus; quia hanc nobis impetrat, & in corde no- *poſt Trin.*
ſtro ſuſcitat glorioſa Roſarij Regina, addit præcitatus Carthagena, *Carthag.*
Mariophilus Seraphicus. *Hom. 2.*

Ad hoc fuſiùs explicandum non ineptum videtur illud, ubi N. 11.
nomen *MARIÆ* interpretatur *Flamma exurens montes*, quam in- *Abrah.*
terpretationem adinvenit Vir eruditione illuſtris, Divæque Virgi- *Bzovius*
nis cultor, & Encomiaſtes clariſſimus Abraham Bzovius, premens *ſuper Salve*
illa verba Eccleſiaſtici: *Tripliciter ſol exurens montes.* Sol enim, *Regin.*
ſeu flamma charitatis erat Beata Virgo, & in ſe mirô modô exar- *Conc. 38.*
deſcens, & in circuitu montes exurens. In ſe Maria erat flamma *Eccli. 43.*
mirô modô exardeſcens in charitate erga DEUM, ut S. noſter An- *S. Antonin.*
toninus, & Bernardinus de Buſtis non dubitent aſſerere, illam cha- *4. p. tit. 15.*
ritatem nunquam à primo inſtanti usûs liberi arbitrij fuiſſe inter- *c. 20.*
ruptam, ſed potiùs usque ad tranſitum ex hac vita ſemper fuiſſe *Bernardin.*
auctam, & manſiſſe in actu merendi, adeò quidem, ut S. Bernardi- *de Buſtis 4.*
nus, & cum ipſo alij Scriptores cònſtanter aſſeverent, B. Virginem *p. Serm. 9.*
Mariam etiam ſomnô non fuiſſe impeditam, quò minùs actuali *S. Bernar-*
amore in DEUM tenderet, & illud uſurparet frequenter: *Ego* *din. Serm.*
dormio, & cor meum vigilat, vel in ſomnijs cœleſtia videndô, ut *51. a. 1.*
Jacob dormiens vidit ſcalam cœleſtem, aut ea, quæ per diem de *Cant. 5.*
DEO contemplabatur, in ſomno repetendô, vel ita frequenter præ
nimia charitate, qua DEUM diligebat, ſomnum interrumpendô,
& ſtatim mentem ad ſuperna elevandô, ut vigilia, & ſomnus poſ-
ſent moraliter quodammodò unus actus continuus charitatis nun-
cupari. Hanc flammam amoris à tempore uſûs liberi arbitrij us-
que ad Conceptionem Verbi Divini continuîs contemplationibûs
& orationibûs in corde ſuo fovebat, nutriebat, augmentabat, ubi,
teſte S. Gregorio Nyſſeno & alijs, trimula in templo oblata, ibi *S. Gregor.*
undecim integros annos in divinis laudibus, & altiſſima contem- *Nyſſen.*

platione tranſegit, à prima luce usque ad tertiam diei horam in
Myſterijs ſacris abſorpta, deinde usque ad meridiem operi alicui
incumbens, reliquam verò diei partem ſacræ lectioni, & orationi
Sabellic. L. impendens, ùt refert Sabellicus ex antiqua quadum traditione.
2. Exempl. A tempore Verbi Incarnati flamma amoris longè magìs indies ac-
c. 5. creſcebat, ubi Maria opera excelſa redemptionis in ſeipſa facta
Caniſius L. conferebat in corde ſuo; plurimùm autem flamma charitatis in-
5. de Dei- crementum accipiebat à tempore Aſcenſionis Filij ſui Unigeniti in
par. c. 1. cœlum usque ad vitæ terminum, ubi Caniſius cum Ildephonſo, &
S. Ildephonſ. S. Antonino piè meditatur, B. Virginem ex impulſu nimiæ chari-
S. Antonin. tatis ſæpiùs aſcendiſſe Calvariæ rupem, ubi crucifixus erat Domi-
nus; deinde ad montem Oliveti perrexiſſe, ut ubi impreſſa Chri-
ſti aſcendentis in cœlum veſtigia oſcularetur. Arridebat illi Beth-
leem, ubi Filium peperit, placebat illi Nazareth, ubi Verbum æ-
Sophron. terni Patris concepit. Sophronius quinimò ſuſpicatur, B. Virgi-
Serm. de nem præ nimio amore per tempus aliquod habitâſſe in loco, quo
Aſſumpt. ſepultus erat Filius, ut ſe ejus ſolaretur aſpectibûs, & ita ſemper
Damaſc. flamma amoris creſcebat, usquedum nullô morbô correpta, nullo
Orat. de dolore tentata, ex vi, & vehementia amoris divini anima ſeparaba-
Dormit. tur à corpore, ùt vult D. Damaſcenus. Adeò in ſe erat Maria
B. V. flamma charitatis exardeſcens, ut de ea benè dicat Sponſus cœle-
Cant. 8. ſtis: *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.*

N. 12. Simul autem erat flamma exurens montes, id eſt, homines,
Pſalm 124. qui per montes indigitantur, juxta illud: *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi.* Hos montes flamma amantis Dei-
paræ igne ſui amoris ſemper accendit, & quaſi exuſſit, ubi eos ſi-
militer in amore DEI reddidit ardentes. Experti ſunt hoc Apo-
ſtoli, qui in horto toti in charitate erant frigidi, ita, ut ipſe pien-
tiſſimus Salvator eos ad amorem, vigiliam, & orationem excitârit,
Matth. 26. dicens: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* At verò
in cœnaculo, ubi exſpectabant promiſſum Spiritum Sanctum, om-
Actor. 1. nes erant in amore ferventes: *Et erant unanimiter perſeverantes in oratione cum mulieribus, & MARIA Matre JESU.* Quare
Apoſtoli *in horto non orant, ſed dormiunt; in cœnaculo verò perſe-verant in oratione?* In promptu reſponſio eſt: Quia in horto Chri-
ſtus oraturus ab ijs diſceſſerat, Virgo etiam ejus Mater non ade-
rat; in cœnaculo autem, licèt Chriſtus in cœlum jam abiêrat,
Mater tamen ejus præſens aderat, quæ charitatis, & devotionis

ſuæ

ſuæ ardore omnes alliciebat, urgebat, animabat. Experti id ſunt primi Chriſtiani; erat enim Maria, quamdiu vixerat, neophytarum Mater, Nutrix, ac Cuſtos fidiſſima: Erigebat lapſos, confirmabat ſtantes, currentes magìs incitabat, ſolabatur mœſtos, omnes ad charitatem DEI exemplô, & verbô accendebat; ùt paſſim aſſerunt Aſcetæ. Expertus id eſt S. Protomartyr Stephanus, pro quo, ne in martyrio deficeret, tamdiu B. Virgo ad DEUM precata eſt, quamdiu duravit ejus lapidatio (ita teſtatur Hieronymus Gratianus) & quidem flexîs genibûs unà cum S. Joanne Evangeliſta ſuper unum lapidem extra portam Ephraim, cujus lapidis mentionem facit Brocardus. Expertus id eſt indubiè hodie S. Thomas Apoſtolus, quem piè augurari licet per interceſſionem B. Virginis gratiam illam obtinuiſſe, ut Vulnera ſui Magiſtri tangere permiſſus ſit, & ex iis, veluti ex gazophylacio, theſauros amiſſos fidei, & charitatis depromere. Experti id ſunt antiqui, & hodiedum experiuntur moderni Sodales Mariani, quia, teſte B. Alano, Roſarium *eſt ſummum remedium ad habendam devotionem, & charitatem.* Maria eſt flamma exurens montes, accendit amorem verum in cordibus ſuorum Clientum, ſuppeditat omnibus ex ſuo Mariano Pſalterio, ceu ex myſtico gazophylacio theſauros gratiæ & charitatis; ùt fuſiùs facillimè declarari poteſt.

Hieron. Gratian. L. 1.

Brocard. in Deſcript. ſacror. loc.

B. Alanus.

Hiſtoria.

Fidem, & charitatem eſſe duo dona ſupernaturalia, diabolo perquàm odioſa, expertus eſt quidam Judæus, qui, in ſecta verſatiſſimus, & apud ſuos famâ celeberrimus, tandem ex ſpeciali Dei gratia illuſtratus fuit, ut Judaiſmum ejuraret, & fidem Catholicam ſolemniter profiteretur. Poſt acceptum Baptiſmum invidioſus dæmon non deſtitit omnem movere lapidem, ut dilapſam prædam ſuis denuò retibus illaquearet. Tentatio contra fidem adeò erat vehemens, & importuna, ut neo-baptizatus jam ſtatuerit ſecum iterùm redire ad vomitum. Advertit hoc nobilis quædam, ac devota Matrona, quæ inter prima ſuæ devotionis exercitia Marianum Pſalterium repoſuit, deditque Judæo titubanti Roſarium aliquod pretioſum, additîs precibûs, ut, ſi non ora-

re, ſaltem ſecum portare illud vellet per menſem. Annuit vacillans in fide, appendit Roſarium ad cingulum ſuum, & quidem non ſinè peculiari emolumento tum animæ, tum corporis; contigit enim, ut paulò poſt pluribûs ſucceſſivè noctibûs infernalia ſpectra ad fores dormientis ingentem excitarent ſtrepitum, imò ultimatim apertìs foribûs rabidus canis irruit, & ſummo furore recumbentem in lecto aggredi tentavit. Aſt, ubi beſtia tartarea ſubitò ad latus conſpexit appenſum Roſarium, non ſolùm appropinquare non potuit, ſed inſuper inani latratu diſcedere coacta eſt. Alia die prædictus Judæus in campo erat ad colligendas herbas (erat enim medicinæ peritus) & ecce! irruit agmen canum rabidorum: Poſt agmen ſequebatur Eques ſuper nigrum equum; in manu habebat cornu, quod inſonatum totam commovit terram. Canes ſimul, & Eques unitis viribus adoriebantur Judæum; illi tamen nec à longe, ſaltem ex illa parte, qua gerebat Roſarium, imminere poterant. Animadvertens id inermis Judæus protinùs Roſarium à cingulo ſolvit, hìs armìs in defenſionem exurgit, protinúsque & canes, & Equitem in fugam agit inter horribiles clamores: Maledicta illa fœmina, quæ non ſolùm per Roſarium Chriſtianos ſibi attrahit, ſed etiam Judæos noſtræ eripit poteſtati. Ex tunc ergo Judæus, in fide roboratus, etiam in charitate indies magìs confortabatur, quoniam ſicuti, teſte S. Auguſtino, nullus poteſt diligere illud, quod eſſe non credit; ita, quo firmior eſt fides noſtra in DEUM, ita charitas profundius radicatur in corde hominis. P. Albertus Söllinger ex libro Germanico de Roſario Ulmæ impreſſo Anno 1483.

S. Auguſt.

SER-

SERMO VIGESIMUS TERTIUS.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

THEMA.

Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joan. 10.
Sodales ſacratiſſimi Roſarii ſunt veræ oves Chriſti, quas ipſe ùt Paſtor cognoſcit, & cognoſcitur ab illis.

TRia ſunt, quæ boni paſtoris officium exigit, ait noſter purpuratus Hugo in contextum hodierni S. Evangelii, ſolertia paſcendi, diligentia cuſtodiendi, & audacia defendendi; & in omnibus in tantum eminuit ſolicitudo Paſtoris cœleſtis, in quantum cœleſtia excedunt terrena. Solertiam paſcendi ipſe promiſerat, dicens: *In paſcuis uberrimis paſcam vos.* Ejuſmodi paſcua uberrima erant & verba doctrinæ, & exempla virtutum, quibus per triginta tres annos in terris pavit populum ſuum, qui eſuriebat, & ſitiebat juſtitiam; nec in ſolo pane vivebat, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Hìs non contentus ſuos nutrire voluit ipſo ſanctiſſimo Corpore, & Sanguine ſuo, in Sacramento Altaris eis præſtito. Unde exclamat S. Chryſoſtomus: *Quis paſtor unquam membrīs propriīs ſuas oves ſatiavit? quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Hoc unicus fecit Chriſtus, Paſtor infinitè bonus, qui ſic dilexit oves, quas redemerat, ut eas ſuæ carnis alimentō ſatiaret.* Solertiæ paſcendi jungebatur diligentia cuſtodiendi, ubi ipſum Paſtorem, Patri ſuo æterno teſtificantem, audimus: *Pater ſancte - - quos dediſti mihi, cuſtodivi: Et nemo ex eis periīt,*

N. 1. *Hugo à S. Charo.* *Ezech. 34.* *S. Chryſoſt. Hom. 60. ad pop.* *Joan. 17.*

periit, niſi filius perditionis. Non minùs poſt glorioſam à mortuis reſurrectionem adhuc per quadraginta dies in terris remanere dignatus eſt, non ob alium finem, quàm ut gregem ſuum, tempore Paſſionis peractæ diſperſum, denuo in unum congregaret, & in fide reſurrectionis ſolidaret. Demùm in cœlum abiturus, ut oves ſuas tutè cuſtodiret, eas omnî energiâ com-
Joan. 21. mendavit ſubſtituto ſuo Paſtori Petro: *Paſce agnos meos, paſce oves meas;* & hoc ter reduplicandô. Demùm non deerat audacia defendendi, ubi fortiter lupo rapaci, id eſt, diabolo ſe oppoſuit, & gregem ſuum uſque ad ultimam Sanguinis ſui guttu-
S. Chryſol. lam tueri non deſtitit. Ita S. Chryſologus hîs verbîs: *Ovibus*
Serm. 40. *mors imminebat, & Paſtor morti pro ovibus occurrit, ut authorem mortis diabolum novo ordine captus caperet, victus vinceret, puniret occiſus: Non oves tradidit lupis, ſed lupos tradidit illis, quibus donavit ſuos elidere ſic prædones, ut oves occiſæ viverent, & laniatæ reſurgerent,* ad vitam æternam, puta. Imò hodiedum ſuam in defendendo grege oſtendit ſolicitudinem Paſtor
Ven. Beda. cœleſtis; venit enim lupus, doctrina eſt venerabilis Bedæ, rapit, & diſpergit oves, cùm alium ad luxuriam pertrahit, alium in avaritiam accendit, alium in ſuperbiam erigit, alium per iracundiam dividit, alium invidiâ ſtimulat, illum in fallacia ſupplantat; & ſic de cæteris. Aſt quis huic lupo ſe opponit, niſi Paſtor æternus, qui gratiæ ſuæ auxiliô nos contra tentationes defendit? Felicem proinde gregem! beatas oves, quæ tanto gaudent Paſtore, tam ſolerter paſcuntur, tam diligenter cuſtodiuntur, tam fortiter defenduntur! Et quis iſte grex? quæ hæ oves? Fratres & Sorores ſacratiſſimi Roſarii; ad hos enim, ùt dicemus, videtur Paſtor cœleſtis hodie locutus fuiſſe, inquiens: *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.*

N. 2. In more poſitum eſt paſtoribus, oves ſuas ſignô aliquô exteriorî, ſive naturalì, ſive artificialì, notare, ut ſinè diſceptatione agnoſcant eas, quæ ſuæ ſunt, & ab aliis, quæ ſuæ non ſunt, facilè diſtinguant. Simile quid legimus in libro Geneſis,
Gen. 29. ubi Jacob erat in ſervitiis avunculi ſui Laban, & paſtor ovium per ſeptem annos; quibûs finitîs Jacob in uxorem data ſenior filia à Laban: Aſt, quia Jacob magìs adamabat filiam ſecundò genitam, Rachelem nomine, ut eam quoque ſibi in uxorem acciperet, aliîs ſeptem annîs Laban ſervire non gravabatur. Voti ſui tan-

tandem damnatus, & Rachelis nuptiîs potitus ſucceſſu temporis nimìs duram æſtimabat ſervitutem in domo generi ſui, maximè quia gratìs hucusque ſerviêrat, & in poſterum quoque ab avaro genero aut nullam, aut exiguam mercedem ſperare poterat. Quare ulterioris laboris pertæſus dixit ad Laban: *Dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam. Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus ſervivi tibi.* Non placuit ſermo iſte in auribus Laban, qui nil minùs cogitaverat, quàm Jacob à ſua domo dimittere, utpotè ob quem, ùt experientia docebat, copioſa DEI benedictio ſuper Laban, domum, & gregem ovium illius deſcenderat de cœlo. Quare, ut ſervum tam fidelem retineret ſibi, nedum Laban condignam pro ulteriori ſervitio mercedem obtulit, ſed ipſi inſuper Jacob libertatem dedit juxta proprium placitum conſtituendi mercedem congruam, dicens: *Conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.* Jacob tandem, huic pacto acquieſcens, pro mercede ſibi paciſcebatur certum numerum ovium de grege ſibi concredito, ſic reſpondens Laban: *Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oves varias, & ſparſo vellere: Et quodcunque furvum, & maculoſum, variúmque fuerit, erit merces mea.* Quaſi diceret: Pro ſigno diſtinctivo inter oves meas, & tuas, in poſterum erit varius color. Oves, quas varius in vellere color diſtinxerit, agnoſcantur pro ovibus meis; quas verò idem, & non diverſus color naturaliter notaverit, tibi propriæ erunt. Hoc pacto, utrinque acceptato, Jacob pauciſſimas in toto grege numerabat oves, quas ſuas eſſe diceret; quia à potiori omnes erant unius, & ejusdem coloris: Cum tempore autem, ubi ex poſt facto Jacob maturô conſiliô ad aquas, ubi adaquabantur oves, poſuit virgas, & ramos decorticatos, híque paſſim fixîs oculîs conſpiciebantur ab ovibus ad aquas, ex impreſſione naturali vix non omnes oves pepererunt agnos maculatos, & variîs coloribûs diſtinctos, ita, ut multùm indies ditaretur Jacob, & augeretur numerus ovium ſibi ſignatarum. Iſte Jacob ipſiſſima erat figura Filij DEI Unigeniti; qui & ipſe æterni Patris ſui ſedem, id eſt, cœlum dereliquit, & deſcendit in terram, ut ſponſam ſibi aſſumeret, & deſponſaret ſibi naturam humanam. Ut hanc obtineret, exinanivit ſe, formam ſervi accipiens, & per triginta tres annos longè ſe majoribus expoſuit ærumnis in terra, quàm Jacob in domo Laban, ut idipſum dicere potuerit, quod Jacob de ſe confeſſus eſt: *Diu, noctúque æſtu urebar, &* *Gen. 31.*

gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis. Pro his ſervitijs cœleſtis Paſtor aliam mercedem non petiit à Patre æterno, quàm certum numerum ovium, id eſt, animarum prædeſtinatarum, ut eas ſecum introduceret in ovile ſuum cœleſte. Numerus iſte primo tempore erat perquàm exiguus; in propria enim venit, & ſui eum non receperunt, in præſepio à tribus Magis, & paucis paſtoribus agnoſcebatur, in templo à ſolo Simeone, & Anna Prophetiſſa, in prædicatione Evangelij à duodecim Apoſtolis, & non adeò multis
Luc. 12. diſcipulis: Unde ipſe dixit: *Nolite timere puſillus grex.* At verò, ubi amantiſſimus Salvator ſeipſum toti mundo propoſuit, tanquam virgam decorticatam in miſerijs vitæ humanæ, in Paſſione, & morte ſua, ſignatarum numerus ovium, ſeu prædeſtinatorum multiplicatus fuit ultra modum. Adhuc eo pendente in cruce,
Luc. 23. ait S. Lucas, *omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* Poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, & miſſum Spiritum Sanctum, ſtatim prima die Petro prædicante, ùt referunt Acta
Act. 2. Apoſtolorum, *qui receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt* (puta, fidelibus) *in illa die animæ, circiter tria millia.* Multò magìs poſteà numerus iſte augebatur, ubi Apoſtoli abièrunt in univerſam terram, prædicârunt Evangelium omni creaturæ, & in quatuor partes univerſi orbis exivit ſonus eorum.

N. 3. Huic conforme eſt, quod legimus de temporibus, ubi primitùs Archi-Fraternitas erigi cœpit. Ita enim à tempore Apoſtolorum denuò ſenſim ſinè ſenſu decrevit grex ovium, à Chriſto Redemptore ſignô prædeſtinationis ſignatarum, ut vix non omnis caro corruperit viam ſuam, & multa malitia accreverit in univer-
S. Chryſoſt. ad pop. Antioch. ſa terra. Id hoc modo S. Chryſoſtomus in publica quadam concione de ſuis temporibus declaravit populo Antiocheno. Quæſtionem propoſuit hìs verbìs: *Quot, Auditores dilectiſſimi, arbitramini de tot, & tot millibus hominum, quos ingens noſtra civitas comprehendit, fore ſalvandos, & olim ex parte dextra inter oves Chriſti fore collocandos? Terribile quidem eſt, quod dicere volo, attamen dicam: Non poſſunt ex tot millenis, in hac ampla civitate degentibus, ſalvari centum. Imò de his valdè adhuc dubito. Quanta enim malitia eſt in juvenibus, quanta acedia in ſenibus, quanta injuſtitia in omni populo?* Simile quid legimus in hiſtoria, quam

non

non multùm ante tempora S. Dominici contigiſſe refert S. Vincentius Ferrerius. Quidam Archi-Diaconus Lugdunenſis, ex timore DEI pinguia beneficia, & ſæculi faſtum ſpernens, ad eremum profugit, ubi, cùm viginti quinque annîs non vulgarî vitæ ſanctimoniâ vixiſſet, apparuit poſt mortem ſuam Epiſcopo Lingonienſi, quem in vita ſua noverat, & hîs tremendîs verbîs eum eſt allocutus: *Age pœnitentiam, dimitte ſuperbiam, & avaritiam; non enim tam facilè eſt ſalvari: Quoniam, dum ego præſentarer tremendo DEI judicio, affuerunt ibi triginta millia animarum, de quarum numero Sanctus Bernardus, & ego ſalvati ſumus, tres in purgatorium deſcenderunt, reliqui omnes damnati ſunt.* Quo dicto diſparuit. Non major videtur fuiſſe numerus ovium Chriſto ſignatarum eo tempore, quo S. Pater Dominicus erat in vivis, ùt colligitur ex eo, quod in vita S. Dominici, & Franciſci regiſtratum invenimus. Eò enim tunc temporis ubique invaluerat malitia, & petulantia peccatorum, ut DEUS jamjam arrepto fulmine ſtatuerit mundum ſubvertere, niſi Beata Virgo in confractione ſtetiſſet, iratúmque DEUM, oſtendendô prædictos duos Patriarchas, placâſſet. Non minùs Summo Pontifici Innocentio III. in viſione monſtratum eſt, quomodò jamjam ruere inciperet Eccleſia Lateranenſis, quam tamen S. Dominicus, & S. Franciſcus ſuffulſerunt, dum humeros ſuos ruinoſæ fabricæ ſuppoſuerunt, & magna virtute ſuſtentârunt ruentem.

S. Vincent. Ferrer. Serm. 6. Dom. 7.

In Vit. SS. Dominici, & Franciſci.

Verum enimverò, ubi Sanctus Pater Dominicus Roſarium prædicare cœpit, numerus ovium, Chriſto ſignatarum, indies augmentabatur magìs, grex Domini mirum in modum accreſcebat: In Lombardia ſola per Roſarium Sanctus Pater ultra centum millia hæreticorum convertit; ùt probatum fuit in ejus Canonizatione. *Sceleſti peccatores in ſanctam vitam convertebantur, devotionis fervor ſic florebat, ut Angelos in terras veniſſe ferè putares.* Ipſa B. Virgo revelavit B. Alano: Turmatim populi, tanquam oves varij coloris, & ſignatæ, ad ovile Chriſti venerunt, dicente Paſtore: *Cognoſco oves meas.* Nec mirum hoc videtur: Sicut enim grex Jacob vario colore notabatur, & multiplicabatur ex intuitu virgæ, & rami decorticati, qui poſitus erat in conſpectu ovium, dum ad aquas ſtabant; ita S. Pater Dominicus omni populo virgam decorticatam ante oculos collocavit, ubi Roſarium divulgavit. Virgæ comparatur Salvator noſter, tum juxta illud: *Egredietur virga* N. 4.

In Decret. Canoniz. S. P. Dominici.

B. Alan. de dignit. Pſalt. c. 17.

Iſa. 11.

Jerem. 1. *de radice Jeſſe.* Tum juxta illud: *Virgam vigilantem ego video.* Hæc virga multipliciter decorticata fuit. Primò tunc, ubi veſtem gloriæ exuit, carnem humanam in utero Virginis induit, in Bethleem pauper, & nudus, pannis involutus eſt. Secundò, in tota Paſſione ſua, ubi dilacerato corpore non erat ei ſpecies, neque decor, neque ulla ſanitas à planta pedis usque ad verticem. Tertiò, in ſua reſurrectione, ubi in ſignum gloriæ cicatrices retinere voluit, & inde rubrîs manibûs, & pedibûs ſplendere, ubi antecedenter notæ ignominiæ impreſſæ erant. Hanc virgam decorticatam in ſuo Roſario erexit S. P. Dominicus, omníque populo oſtendit, ubi potiſſima Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Myſteria contemplationi fidelium in Mariano Pſalterio expoſuit. Ex hac virga varius color tranſiît ad oves Chriſti, videlicet candidus in Roſario gaudioſo, color ruber in doloroſo, flavus in glorioſo. Ad hanc virgam ſignati ſunt homines ſignô prædeſtinationis ad vitam æternam, ceu ad ovile cœleſte; *Roſarium enim*, teſte Auguſtiſſima cœlorum Regina apud B. Alanum, *eſt præſervatio à mala morte, ſatisfactio pro peccatis, diſpoſitio, & introductio ad omnia bona.*

B. Alan. de dignit. Pſalt. c. 17.

N. 5. Hoc à fortiori Roſarianis ex eo quoque aſſeri poteſt, quòd illi ſub perpetuo jugiter ſtent patrocinio Reginæ ſacratiſſimi Roſarij; ùt enim legimus: *Cùm autem venerit Filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis, & ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.* Hunc textum profunda conſideratione ponderant SS. Patres, & inquirunt ſignum, ſeu characterem, vi cujus oves cognoſcentur, diſcernentur & ſeparabuntur ab hœdis? Inter cæteros S. Bonaventura, pro hoc ſigno ſeu charactere ſtatuit patrocinium Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ, hîs verbîs: *Qui gratiam Beatæ Virginis acquirit, agnoſcitur à civibus paradiſi, & qui habuerit hunc characterem, annotabitur in libro vitæ, id eſt, agnoſcetur pro ove Chriſti, & ſtatuetur à dextris in judicio.* Gratulor proinde vobis, Sodales Mariani; quia enim patrocinium Venerandiſſimæ Roſarij Reginæ centies, & millies promiſſum habetis, vos ſigno, & charactere ovium Chriſti jam inſigniti eſtis, ad dextram jamjam collocandi eſtis in judicio, ovibus Chriſti accenſeri meremini, de quibus hodie dixit: *Cognoſco oves meas*, puta, ex proprio ſigno diſtinctivo.

Matth. 25. *S. Bonav. in Pſalt. B. V.*

Quid-

Quidnì igitur verificetur illud, quod ſequitur: *Et cognoſcunt* N. 6.
me meæ. Quemadmodùm enim bonus paſtor, & cujus ſunt oves propriæ, exactam ſingularum notitiam nanciſci conatur; ita genuini gregis nota eſt, quòd vocem paſtoris audiat, & cognoſcat. Contingit autem hoc dupliciter. Inprimìs tunc oves agnoſcunt paſtorem ſuum, ait noſter B. Albertus Magnus, quando ejus formam ita imprimunt ſenſibus ſuis, ut eum ſemper præſentem habeant ante oculos ſuos. Secundò, oves dicuntur cognoſcere paſtorem ſuum, quando vocem ejus avida aure audiunt, audientes diſcernunt, diſcernentes promptè ſequuntur. Utrumque aptiſſimè convenit Sodalibus ſanctiſſimi Roſarii.

Inprimìs enim cognoſcunt paſtorem ſuum, quia frequenter N. 7.
de ejus præſentia cogitant, eúmque ſuis oculis præſentant. *Ante oculos bonæ ovis* (verba ſunt præcitati Alberti M.) *ſemper eſt* *B. Albert. M.*
paſtor, ut illum ſequatur; & ſemper in oculis boni paſtoris eſt ovis, ut ab illo illuminetur. Citat deinde laudatus Doctor pro ſe S. Chryſoſtomum, quòd Paſtor cœleſtis, & terreſtris in omnibus ſint ſimiles, præterquàm in hoc ſolo, quòd paſtor corporalis ſequitur oves; paſtor autem ſpiritualis oves præcedit, ut ipſum ſemper habeant in oculis. Unde dicitur: *Ante eas vadit, &* *Joan. 10.*
oves illum ſequuntur. Hunc in finem inter alia pia exercitia, quæ Chriſtianis perſuadentur, facilè primum, antiquis fidelibus uſitatiſſimum, meritis, & virtute refertiſſimum eſt, DEUM ſibi jugiter præſentem imaginari, & continuò in conſpectu Altiſſimi obambulare. Expertus id eſt Moyſes, qui plurima pericula ſubiît in Ægypto coram Pharaone, & magis ejus, plurima in mari rubro, inſequente eum integro exercitu hoſtili, plurima in ſolitudine, rebellante, & tumultuante proprio populo: Aſt Moyſes nec Regem Pharaonem, nec exercitum perſequentem, nec rebelles populos timuit. Rationem aſſignat Apoſtolus: *Inviſibi-* *Hebr. 11.*
lem enim tanquam videns ſuſtinuit. Id eſt, declarat S. Anſelmus: *S. Anſelm.*
DEUM, quem non videbat, tanquam videns, ac ſi præſentem ibi cerneret, ſuſtinuit, auxilium ejus exſpectavit, utpotè quem præſentem & adjuvantem cognovit. Expertus id eſt David. Vidit Vir DEI, mundum plenum eſſe laqueîs, vidit laqueos innumeros in aula ſua, in cubiculo, in tribunalibus, in officiis, in foro, in plateis, in urbibus, in contractibus, in negotiis, in conſiliis, in cibo, in potu, in veſtitu, in ſomno, in vigiliis, in

cogitationibus, in verbis, in operationibus. Aſt non timuit, quia DEUM ſibi præſentem ſemper habebat, & cognoſcebat.
Pſalm. 24. Unde dixit: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Experti id ſunt Sancti, & Sanctæ DEI, quorum acta, & facta heroica fusè enarrat Apoſtolus hîs verbîs:
Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, alii diſtenti ſunt, alii verò ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Sed unde in Sanctis in operando tanta virtus, in patiendo tanta fortitudo? Sancti erant genuinæ oves Paſtoris cœleſtis, de quibus hodie dicitur: *Cognoſcunt me meæ.* Paſtorem, & Deum ſuum ſemper ùt præſentem
S. Chryſoſt. Hom. 26. in Ep. ad Hebr. intuebantur, ait S. Chryſoſtomus: *Sancti Patres, ſeipſos ad grandia pro DEO agenda, & ſuſtinenda excitantes, DEUM coram oculis ſuis, quaſi viſibilem, exponebant.*

N. 8. Hanc ob cauſam ſaluberrimum exercitium, DEUM ſemper præſentem cogitandi, nedum Sancti Patres plurimùm commendant, ſed & ipſa Sancta Mater Eccleſia jam priſcìs temporibûs
S. Auguſt. S. Bern. in ſuis Meditat. inculcare ſtuduit. Inter Sanctos Patres ita de præſentia DEI loquuntur S. Auguſtinus & S. Bernardus: *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non fruatur DEI bonitate, & miſericordia; ita nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non teneat in memoria.*
B. Iſaias Abbas in Bibliothec. PP. Eodem modo loquitur B. Iſaias Abbas: *Attende tibi diligenter, & conſidera Dominum noſtrum JEſum Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, & ſurrexiſſe, nóſque ſanguine ſuo redemiſſe, ut tibi ipſi non ampliùs vivas, ſed Domino, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Cogita igitur, te ſemper ante oculos ejus verſari, & cor tuum obſerva.* Pariformiter Sancta Mater Eccleſia hanc ſalutarem memoriam à primis jam temporibus inge-
Tertullian. L. de pudic. c. 6. rere ſtuduit ſuis fidelibus; ùt enim teſtatur Tertullianus, antiquiſſimus Scriptor, communiter in primitiva Eccleſia mos invaluit, ut in ſingulis calicibus, qui ad ſacrum Miſſæ ſacrificium adhibebantur, annecteretur effigies Paſtoris, quamdam in humeris

meris ovem portantis. Simile teſtimonium allegat clariſſimus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parens Baronius, qui ſcribit, in ſingulis *Baronius* cœmeteriis olim depictum fuiſſe Paſtorem bonum, qui vigilantî *ad ann.* non ſolùm oculô oves cuſtodiebat, ſed etiam deperditam pro- *Chriſti* priîs humerîs ad ovile ſuum reducebat; & hoc indubiè ideò, ut *219.* oves Chriſtianæ jugiter cogitarent de Paſtore ſuo, illúdque verificare pergerent: *Cognoſcunt me meæ.*

Hoc piiſſimum exercitium ſuô ſæculô iterùm renovavit, erexit, & Eccleſiæ reſtituit Sanctus Pater Dominicus, quando Mariano ſuo Pſalterio integram Vitam, Paſſionem, acta, & facta Paſtoris cœleſtis meditanda inſeruit. Sodales enim Roſariani ſunt veræ oves Chriſti, quibus dicitur: *Cognoſcunt me meæ;* quia Paſtorem ſuum fixîs oculìs continuò aſpiciunt. In Roſario gaudioſo contemplantur bonum Paſtorem, quomodò nonaginta novem oves, id eſt, novem Choros Angelorum, in cœlo reliquerit, & perditam ovem, id eſt, genus humanum, quæſiturus ad terram deſcenderit; quomodò in Bethleem in tugurio paſtorali natus, à paſtoribus primô adoratus, inter animalia in præſepio fuerit reclinatus; quomodò poſteà per totum vitæ decurſum, per triginta, & tres annos ovem errantem per avia, & devia fuerit ſecutus, voce prædicationis ſuæ vocaverit, & demùm ſuìs humerìs ad cœlum reportârit. In doloroſo Roſario contemplantur Paſtorem ſuum, non ùt mercenarium, qui videt lupum venientem, & fugit, dimittens gregem ſuum, ſed ùt Paſtorem bonum, qui poſuit animam pro ovibus ſuis, qui tulit onus æſtûs, & diei, ne diſpergeretur, & periret minimum de grege ſuo, qui Corpus, & Sanguinem in Cruce obtulit, ne eſurirent, & ſitirent oves. In glorioſo Roſario contemplantur Sodales, quomodò Paſtor æternus à mortuis ſurgendô, & glorioſè in cœlum aſcendendô inventam ovem ſecum tulerit, oſtium clauſum ſuperni ovilis aperuerit, ad cœleſtia paſcua introduxerit. N. 9.

Non minùs Sodales Roſariani cognoſcunt Paſtorem ſuum, avida aure vocem ejus audiendô, diſcernendô, & ſequendô. Sicut enim paſtor, cùm emiſerit oves, ante eas vadit; ita oves illum ſequuntur, quia vocem ejus audiunt, & ſciunt; teſtatur ipſa incarnata Veritas. Chriſtus Dominus hodiedum ſtat in conſpectu, & facie omnium ovium ſuarum, & clamat: *Qui ex Deo* *Joan. 10.* *eſt, verba Dei audit.* Hunc in finem fideles, vere tales, avida N. 10.

aure

aure audiunt hanc vocem Paſtoris ſui, imprimunt cordi ſuo, & ſequuntur concurrentes ad ſacras conciones, attendentes verbo divino, dum exponitur, facta conformantes doctrinæ, quæ præ-
S. Auguſt. dicatur illis, & fructum exinde copioſum referentes; ſciunt enim
L. 1. de auream Aurelii Auguſtini Sententiam: *Prædeſtinationis nullum*
Prædeſt. *majus ſignum eſt, quàm libenter audire verbum DEI.* Etſi enim
SS. c. 25. homo, addit S. Bernardus, neſciat, an amore, vel odio dignus
Bernard. ſit, & certitudo prædeſtinationis ad gloriam nobis omninò nege-
Serm. 1. de tur; data tamen ſunt quædam ſigna, & indicia ſalutis, ut indu-
Septuag. bitabile ſit, eum eſſe de numero electorum, quibus dictum eſt: *Cognoſco oves meas;* in quo talia ſigna inventa fuerint, & permanſerint. Porrò inter ea, quæ fiduciam præſtant, & materiam ſpei, unum illud maximum eſt: *Qui ex DEO eſt, verba Dei audit.* Sciunt, verbum DEI idem eſſe in ordine ad ſpiritum, quod panis eſt in ordine ad corpus. Unde ſicut corpus deficit, ac viribûs deſtituitur, ſi pane diu carere debeat; ita ſpiritus, ſi tardiùs pabulô verbi DEI reficiatur, tepeſcit, languet, & corruit.
Matth. 4. Unde Chriſtus: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbô,*
S. Chryſoſt. *quod procedit de ore DEI.* Et S. Chryſoſtomus: *Quod enim cor-*
contr. *pori eſt cibus, hoc animæ divinorum eloquiorum eſt doctrina.* Sciunt,
Anomæos. inter alias proprietates ovium hanc eſſe, quòd vehementer appetant ſalem, & exinde cognoſcant manum paſtoris, ſalem apponentis; inter proprietates verò Chriſtianorum hanc eſſe, quòd magnâ orexî, ac deſideriô afficiantur erga verbum DEI, & ex verbo agnoſcant DEUM ipſum loquentem.

N. 11. Hoc à fortiori de Fratribus, & Sororibus ſanctiſſimi Roſarii æſtimare licet. Quò enim frequentiùs in Paſtorem ſuum, ùt præſentem & præeuntem, oculos conjiciunt, eò diſtinctiùs eum clamantem audiunt: *Qui ex DEO eſt, verba DEI audit.* Ideò patula aure hanc vocem excipiunt, ſonum Paſtoris dignoſcunt, & ſectantur, ad conventus, & conciones, quæ frequentes ſunt in Archi-Fraternitate ſanctiſſimi Roſarii, magno ardore, & numero conveniunt, audiendô verbum DEI de numero electorum, prædeſtinatorum, & filiorum eſſe ſatagunt, pane cœleſtis doctrinæ enutriuntur, & de ſale Chriſtianæ aſceſeos indies magìs, & ampliùs meliorantur. Propterea, etſi S. Chryſoſtomus multîs ſuſpiriîs deploret tepiditatem temporum ſuorum, ubi verbi divini nullus appetitus, & inde ovium in paſtorem ſuum fermè

nulla

nulla erat cognitio (verba Sancti Doctoris hæc ſunt: *Quòd ſi citharædus, vel ſaltator, vel mimus aliquis ad ſcenam advocaret civitatem, omnes frequenter concurrerent, & admoniti gratias haberent, in quo ſpectaculo diei dimidium conſumunt, nulli alij negotio vacantes: DEO autem nos per Prophetas, Apoſtolos, alióſque divini verbi Præcones alloquente oſcitamus, deſidemus, halluccinamur, & plurimùm faſtidimus*) hi tamen ſingultus, hæc ſuſpiria in Sodalibus Roſarianis, ſi fervorem debitum habeant, locum non inveniunt; inter illos enim non reperitur oſcitans, non deſes, non faſtidiens, ſed potiùs, ſicut in ſe habent ſignum ſuum diſtinctivum, quo ut oves propriæ cognoſcuntur à cœleſti Paſtore, ita & ipſi cognoſcunt eum & in contemplatione Myſteriorum, quæ exhibet Marianum Pſalterium, & in audiendo vocem ejus, dum Sermonibus de ſanctiſſimo Roſario intereſſe non pigritantur.

S. Chryſoſt. Hom. 57. in c. 9. Joan.

Hiſtoria.

IN regno Granatenſi anno 1610. ſimul duæ morabantur mulieres, ambæ virtutibûs eximiæ, & pietati in vita ſolitaria, ſpretîs ſæculi pompîs, vacantes. His erat ad ſervitia mancipium, Turca natione, & religione, quem multîs ſæpè conabantur ad veram, & Catholicam fidem perducere, ſed fruſtra; erat enim pertinaciſſimus in ſecta ſua, & ovis errans, non cognoſcens vocem Paſtoris cœleſtis, eum ad veram fidem vocantis, proinde nec cognita à Paſtore, lumine, & dono fidei internè accepto. Tandem, DEO ſic ordinante, incidit in gravem infirmitatem, ſalute tum corporis, tum animæ jam pænè deſperata. Unde piæ mulieres, videntes periculum eſſe in mora, non ceſſabant omnem movere lapidem, ut ſaltem in hoc tempore, & evidenti damnationis diſcrimine ſeſe ad Deum vivum converteret, & ſacrum Baptiſmum ſuſciperet; ſed conatu irrito. Hunc in finem conſiliô initô per Portarium noſtri Monaſterij petiêrunt à P. Priore Religioſum quemdam capacem ducendi hunc Ethnicum ad veram Catholicam fidem. Portarius verò, vir bonus, & pius, & confidens in Regina ſacratiſſimi Roſarij, miſit ipſis Roſarium benedictum, mandans, ut illud collo ægrotantis Turcæ appenderent, quia ſpero, inquiebat ipſe, illo mediante, & Sanctiſſima Virgine interce-

dente, ipſum aliquod beneficium fore accepturum. Hoc ſacro pignore obtento illæ piæ mulieres, decumbentem accedentes, rogârunt illum obnixè, quandoquidem ſe nollet convertere, ut ſaltem ante mortem Roſarium illud collo ſuo appenderet, quod libenter admiſit. Et ecce mira res, & magnum miraculum! Ex Roſario appenſo, tanquam ex ſigno diſtinctivo, Paſtor cœleſtis hanc ovem ſtatim cognovit, ùt ſuam, & ſimul cognoſcebatur ab ea; vix enim parùm, Roſario hoc munitus, obdormiêrat, ardentiſſimîs ſtatim votîs cœpit poſtulare ſacrum Baptiſmum, & hinc in Catholica fide diem claudere extremum. Unde ſinè mora ſacro Baptiſmatis fonte tinctus tribûs poſt diebûs feliciſſimè obiît in Domino. Alphonſus Fernandez de Roſ. L. 7. cap. 28.

SERMO VIGESIMUS QUARTUS.

Dominica tertia poſt Paſcha.

THEMA.

Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Joan. 16.

Maria videt tribulationes Sodalium Roſarij, & mœſtis citiſſimè præbet ſolatium.

N. 1. Hic jucundè, ibi beatè, hîc inter roſas, ibi in paradiſo voluptatis, hîc in abundantia divitiarum, ibi de torrente deliciarum domûs DEI ſaturari, hîc gaudere cum mundo, ibi regnare cum Chriſto, meô judiciô duo diſtinctiſſima ſunt, & tam facilè non conjungibilia; proloquium enim eſt: Cœlo non ſuccedit cœlum, nec ordinariè infernum unius ſequitur infernus alte-

alterius vitæ, ſed potiùs, qui in hoc mundo compatiuntur patienti Salvatori, conglorificabuntur cum eo in cœlo, eſurientes implebuntur bonîs, & divites dimittentur inanes, potentes de ſede ponentur, & exaltabuntur humiles. Res geſta, quam narrat S. Evangeliſta Lucas, argumentum erit veritatis. *Homo quidam erat dives* (verba ſunt S. Scripturæ) *qui induebatur purpurâ, & byſsô, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribûs plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: Sed & canes veniebant, & lambebant ulcera ejus.* Moriuntur ambo in eadem nocte; dives in ictu ſepelitur in inferno, pauper Lazarus deportatur ab angelis in cœlum in ſinum Abrahæ. Ita iterùm S. Pagina: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus autem eſt & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Ad hoc hodie alludere videtur benigniſſimus Salvator, qui valedicens dilectiſſimis ſuis diſcipulis inter alia ſic locutus eſt: *Modicum, & jam non videbitis me; & iterùm modicum, & videbitis me.* Id eſt, ait Gloſſa: Exiguum tempus reſtat usque ad hoc, ut patiar, & claudar in ſepulchro, & non videbitis me ſecundùm carnem; iterùm modicum erit tempus, & videbitis me in carne glorioſa reſurgentem ex ſepulchro. Vel, ùt alij interpretantur: Modicum & jam non videbitis me in hoc ſæculo (quod comparativè ad æternitatem vix inſtans eſt) & iterùm modicum, & videbitis me glorioſè regnantem in cœlis. Unde, ne propter frequentes, & multiplices, quæ in modico hujus ſæculi occurrunt, tribulationes contriſtarentur diſcipuli, prævię conſolabatur eos, dicens: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: Vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: Cùm autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc triſtitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Quæ indubiè dicta ſunt de gaudio æternæ beatitudinis reſervato illis, qui in hoc ſæculo triſtantur in varijs anguſtijs, juxta illud: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

Luc. 16.

Gloſſa hic.

2. Cor. 4.

tur. Interim, quia ſæpè contingit, quòd etiam momentaneum, & leve tribulationis, quod in hoc mundo neceſſe eſt ſuſtinere, hominem debilem contriſtet, premat, & excruciet, Sodalibus Roſarianis ſpeciale ſolamen, & adjutorium in Maria Virgine repoſitum eſſe hodie demonſtrabo, dicendô, quomodò Regina ſanctiſſimi Roſarij videat tribulationes ſingulorum, & mœſtis corde citiſſimè ſuccurrat.

N. 2. Roſarium contra quævis adverſa eſſe præſens remedium, ipſa glorioſa cœlorum Regina revelavit dilecto filio ſuo Dominico, offerendô ſe ſimul ipſi, & univerſis Roſarianis in Matrem, & Amicam; ùt habet B. Alanus. Conſtat autem, quàm vigilantî oculô amor matris obſervet proles ſuas, attendat neceſſitatibus eorum, prævidere, & præoccupare ſtudeat cuncta adverſantia. Unde dicit Iſaias: *Nunquid oblivíſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* Nihil non ſuſcipiunt laboris, nihil non aggrediuntur periculi, nihil non adhibent vigilantiæ, ut mala filijs impendentia videant, & avertant; ad eum ſanè modum, quo gallina pullis ſuis, aquila partui ſuo, turtur fœtibus ſuis fixô ſemper oculô invigilat. Aſt quid eſt amor matris in filium comparativè ad amorem, quo Auguſtiſſima Roſarij Regina proſequitur omnes Clientes ſuos? Ipſa eſt Mater amantiſſima, quæ, licèt in generatione naturali unum tantùm habuerit Filium, in generatione tamen ſpirituali quàm plurimos filios numerat, tot videlicet, quot in Eccleſia fideles naſcuntur. Unde piè, ac doctè noſter Wiguerius explanans illud Lucæ: *Peperit Filium ſuum primogenitum;* ſic loquitur: *Primogenitum non reſpectu ſequentium carnalium, cùm nullum alium habuerit, ſed reſpectu adoptivorum. Licèt enim Filium unicum Virgo in ſanctiſſimo utero genuerit; in eo tamen ſpiritualiter facta eſt Mater multitudinis filiorum, quorum Chriſtus eſt primogenitus.* Sanè ſicut Pater cœleſtis, licèt unum tantùm naturalem ex eadem, & in eadem ſubſtantia genitum Filium habeat, de quo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Habet tamen plures alios non naturales, ſed adoptivos, de quibus dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Ita B. Virgo Maria, licèt unum habeat Filium ex caſtiſſimus ſuis viſceribus genitum, habet tamen alios filios adoptivos, quos ipſi Chriſtus, dum in Cruce penderet, in perſona Joannis commendavit, dicens: *Mulier, ecce filius tuus!* Proinde

B. Alan. p. 2. c. 17.

Iſa. 49.

Wiguerius in Luc. 2.

Pſalm. 2.

Joan. 1.

ſicut

ſicut totum genus humanum in vita naturali duplicem primum parentem naturalem habuit, Adamum ſcilicet, & Evam; ita in vita ſpirituali duplicem parentem agnoſcit, Chriſtum ſcilicet, & Mariam.

Et hujus Matris ſpiritualis amor in filios ſuos adoptivos, N. 3.
præcipuè in Sodales ſanctiſſimi Roſarii, ô quam excedit, eminet, & ſupergreditur omnem amorem, quo ulla mater naturalis ferri poteſt in proles ſuas! Audite B. Alanum: *Quoniam, prout ipſa* *B. Alan. 4.*
Domina noſtra Virgo Maria aliquoties revelavit, tantum amat *p. c. 24.*
quemlibet peccatorem ſibi ſervientem, ut ipſa, quantum in ſe eſt, vellet dimittere gloriam ſuam usque ad finem mundi, & pro ipſo agere pœnitentiam in hoc ſæculo præſenti, antequàm ipſe damnaretur. Et iterùm: *Quoniam ipſa tantum diligit quemlibet ſibi pſallentem in hoc Pſalterio, ut potiùs vellet pati, quantum in ſe eſt (ùt fideliſſimè revelavit) pœnas omnium animarum, quàm relinquere eum damnandum.* Similia habet B. Alanus de 15. gemmis, *Idem de 15.*
ita differens: *Virgo Maria plùs quemlibet ſuum Pſaltam amat,* *gemmis c.*
quàm quæcunque magiſtra unquam ſuum amaverit diſcipulum. Imò *17.*
ſi mundi mulieres omnes eſſent tuæ magiſtræ, te ſingulariter amantes, adhuc ipſa clementiſſima Maria plùs amat te, ſibi in Pſalterio ſuo pſallentem, & multò magis cuncta proſpera & ſalubria, tibi pſallenti Pſalteriô ſuô, impetrabit indubiè Virgo glorioſa. Et iterùm: *Virgo DEI Genitrix ſola plùs amat pſallentem in hoc Pſalterio, quàm poſſint facere tot mulieres amicæ, quot ſunt ſcintillæ ignis.*

Quis ergo dubitet, Auguſtiſſimam ſanctiſſimi Roſarii Regi- N. 4.
nam, materno amore adeò exardeſcentem, ſpeciali modô invigilare ſuis Roſarianis, videre tribulationes, & millenis etiam oculis attendere neceſſitatibus eorum. Declaratur hoc ex viſione, quæ oſtenſa fuit Prophetæ Ezechieli, & Joanni in ſua Apo- *Ezechiel. 1.*
calypſi. Propheta Ezechiel ita ſuam viſionem refert: *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus - - & in medio ejus ſimilitudo quatuor animalium: Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis - - & totum corpus oculis plenum in circuitu.* Simile quid vidit Joannes, ubi oſtiô in cœlo apertô intuebatur ſedem poſitam, & ſedentem ſuper eum, qui ſimilis erat aſpectui lapidis Jaſpidis, & Sardinis: *Et in medio ſedis, & in circuitu* *Apoc. 4.*

ejus quatuor animalia, plena oculîs ante, & retrò -- & requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus DEUS Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Per iſta animalia, oculîs plena, conformiter ad S.
Guiliel. in c. 3. Cant. Textûs contentum Guilielmus intelligit omnes Sanctos in cœlo; illi enim nedum ſimilitudinem, ſed faciem, aſpectum, & ſubſtantiam hominis in ſuis animabus beatis, & glorificatis referunt, & ſplendor cœleſtis circumdat eos: Iſti ſunt in circuitu throni Divini, in quo ſedet, cujus aſpectus eſt ſimilis Jaſpidi, & Sardio, & de cujus facie exarſit ignis: Illi non habent requiem die ac nocte, ſed continuò condignas DEO ſuo decantant laudes, dicentes: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus DEUS Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Denique Sancti in gloria pleni ſunt oculîs, ut attendant, invigilent, & occurrant innumeris malis, periculis, & miſeriis, quæ hominibus in hoc mundo degentibus quotidie impendent. Ita explicat S. Textum præallegatus Doctor hîs verbîs: *De quatuor pennatis animalibus, quæ Sanctorum typum tenent, legitur, in circuitu, & intùs plena eſſe oculîs, hoc eſt, piarum ſolicitudine curarum, quibûs non tam ſibi, quàm aliis proſpiciunt, & invigilant.* Unde benè filii Ammon, & Moab, ut Holofernem monerent de non committendo prælio cum Iſraëlitis, dixerunt: *Filii Iſraël non in lancea, nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos.* Id eſt, ait Doctorum Sol Auguſtinus: Patrocinia Sanctorum, qui fidelibus mille oculîs invigilant, mala avertunt, luctantes defendunt: Sancti ſunt, quibus id convenit, quod S. Pagina me-
2. Machab. 15. morat: *Hic eſt, qui multùm orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta DEI.* Sancti ſunt, quorum mentionem facit Job, quòd coram throno DEI ſupplices, & incur-
Job. 9. vi mundum ſuîs precibûs ſuſtentent: *Sub quo curvantur, qui*
S. Hieron. *portant orbem. Sancti enim*, interpretatur S. Hieronymus, *portant mundum, dum eum, ne ruat, ac pereat, orationum fortitudine ſuſtinent*, fixîs ſemper oculîs intendentes in bonum ſuorum Clientum, qui eorum auxilium invocant, & protectionem ingemiſcunt.

N. 5. Aſt præcitatus laudatiſſimus Guilielmus non contentus per animalia oculata intellexiſſe Sanctos DEI, eorúmque patrocinia in juvando homine, vel maximè plenitudinem oculorum attribuit

buit glorioſæ omnium Sanctorum Reginæ, Matri divinæ miſericordiæ, fonti uberrimo omnis clementiæ. *Quis enim* (ſunt verba ejus) *tam plenus oculîs, quàm Mater luminis? quis pari ſolicitudine ſibi, & aliis invigilavit, ac Mater pietatis?* Et benè; quis enim unquam magnitudinem clementiæ, & miſericordiæ, qua Maria quaſi multocula, ut loquitur S. Epiphanius, & quaſi Argos attendit miſeriis hominum, ſatìs intelligere potuit? quis longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem ejus dimenſus eſt? *Longitudo*, ait S. Bernardus, *eſt usque ad noviſſimum diem invocantibus eam.* Revolve tempora præterita, nullum reperies ſæculum, annum, menſem, diem, horam, imò & momentum, in quo in ſuos non ſemper Clientes convertit miſericordes oculos. *Latitudo*, pergit Mellifluus, *replet orbem terrarum.* Conſidera multitudinem beneficiorum tum corporalium, tum ſpiritualium, & invenies, omnia in acceptis referenda eſſe oculatiſſimæ Matri. Teſtantur id luculenter varia tum vetera, tum nova monumenta, omnis generis ſcripta, ubique erectæ pyramides, coloſſi, cippi, tabulæ, Laureti in Italia, Serrati in Hiſpania, apud Trochos in Lithuania, apud Hallas in Belgio, apud Cellas Marianas in Styria, Oettingæ in Bavaria, & alibi paſſim appenſæ. *Altitudo* clementiæ Virginis Mariæ ſe limitibus terræ detineri non patitur, ſed in cœlorum usque faſtigium penetrat, ubi Angelos lætificat, Beatos recreat, Sanctiſſimæ Trinitatis gloriam decorat, ait S. Anſelmus. Denique *Profunditas* miſericordiæ B. Virginis in infernum uſque deſcendit, ubi animabus in purgatorio quaſi mille oculîs invigilat, eas protegit, ſolatur, & adjuvat, ut citiſſimè liberentur. Sanè innumeri ſunt oculi, quibûs Maria eſt prædita, ut ſuorum anguſtias videat, & ſublevet, in hoc longè dignior omni laude & veneratione, quàm impurus Plato. Hic Philoſophus cupiebat in cœlum mutari, & tot oculos habere, quot in cœlo ſunt ſtellæ, ut eam fœminam, quam amabat, aſſiduè contemplaretur. Ab inordinato amore hoc votum procedebat: At verò à materna charitate eſt, quòd Beata Virgo in cœlum verſa mille oculos habeat, ut hominum mille calamitates videat, & opportunè opem ferat. Unde Geometres Virginem ſic ſalutat: *Salve mille oculîs pole prædite, clara regens innumeros charitas.*

Guiliel. cit.

S. Epiphan. in Orat. de Laud. Virg.

S. Bernard.

S. Anſelm. L. de Excellent. Virg. c. 8.

Geometres Hymn. 2.

Dicta

N. 6. Dicta hæc eleganter confirmat viſio illa, quæ contigit Jeremiæ Prophetæ, DEO ipſo interrogante: *Quid tu vides Jeremia?* Reſpondit Propheta: *Virgam vigilantem ego video.* Repoſuit Dominus: *Benè vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, ut faciam illud.* Conformiter ergo ad hæc per hanc virgam communiter SS. Patres intelligunt Divinam Providentiam, quæ attingit à fine usque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter, intuetur univerſum orbem, omnes ſtatus, conditiones, ordines, gradus, ac ætates hominum, & cuncta ſapientiſſimè ordinat. Idipſum cœca quoque agnovit gentilitas. Unde dixit Plinius: *Deus totus ſenſus eſt, totus viſus eſt.* Ægyptii verò, teſte Cyrillo Alexandrino, ut ſignificarent Divinam Providentiam, oculum pingebant, cui baculum ſubſtituebant, in oculo videlicet adumbraturi DEI Sapientiam, quæ omnia videt, in baculo verò Divinam Juſtitiam, quæ omnia punit. At verò S. Bernardinus cum aliis per virgam vigilantem, quam vidit Jeremias, non aliud intelligit, quàm amantiſſimam miſericordiæ Matrem: Maria enim multipliciter in figura Virgæ oſtenſa fuit in veteri Teſtamento. Inprimìs apud Iſaiam: *Egredietur virga de radice Jeſſe.* Ipſa enim, ut loquuntur SS. Patres, egreſſa eſt de radice Jeſſe, ſeu Iſai patris David. Secundò, iterùm apud Iſaiam per virgam Aſſur: *Hac virga percuſſus pavebit Aſſur.* Quia, teſte S. Auguſtino, dæmon, qui per Aſſur indigitatur, percuſſus interiit. Tertiò, per illud: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion;* id eſt, Mariam, interpretantur S. Ildephonſus, & S. Bonaventura, quæ eſt opus eximium Divinæ Omnipotentiæ. Maria eſt virga vigilans, quia eſt totus ſenſus, totus quodammodò oculus, ut videat ſuorum Clientum, præcipuè Roſarianorum omnium indigentias, labores, miſerias, calamitates, dolores, pericula, & mala univerſa. Maria eſt virga vigilans, nemini in ſignum punitionis, ſed cunctis in ſignum maternæ benevolentiæ, præſertim Fratribus, & Sororibus ſanctiſſimi Roſarii, quia illorum, ex dictis, eſt Mater maximè ſolicita, benigniſſima, & amabiliſſima, ut eos tanquam filios dilectiſſimos obſervet, neceſſitatibus eorum attendat, mala impendentia cautè prævideat, & præoccupet.

Jerem. 1. — *Plin. L. 2. Hiſt.* — *Cyril. Alex L. 9. contr. Julian.* — *S. Bernardin. Tom. 1* — *Iſa. 11.* — *Iſa. 30.* — *S. Auguſt.* — *Pſalm. 109* — *S. Ildeph.* — *S. Bonav.*

N. 7. Sed adeſt & alia ratio, & quidem ad probandam ſecundam Sermonis partem peridonea, cur Maria nobis indigitata fuerit per

per virgam vigilantem, quam vidit Jeremias Propheta: Virga enim illa, ùt annotat Theodotius, & Pagninus, erat de amygdalo, *Theodotius* quæ arbor eſt typus clariſſimus B. Virginis Mariæ, quia, ſicut *Pagnin.* amygdalus inter cæteras arbores verno tempore vireſcit prima, flores emittit prima, fructus maturos offert prima; ita clementiſſima DEI Genitrix inter cæteros Sanctos miſerias hominum videt prima, ſuccurrit prima, conſolatur prima, & citiſſima invocantes ſe. Expertus id eſt S. Joannes adhuc in utero materno: Et ipſe enim tunc peccati originalis vinculîs tenebatur, afflictus, & depreſſus onere hoc hæreditario, & ipſa ejus mater Eliſabeth gravida ſolatiô,& ſervitiô egebat. Et ecce! *Exurgens MARIA abiit* *Luc. 1.* *in montana cum feſtinatione*, ut anima Joannis citiùs à macula peccati originalis elueretur, & ipſi matri ejus eſſet ad ſervitium promptiſſima. Hoc pulcherrimè elucidatur ex tribus illis honorificis prædicatis, quæ B. Virgini attribuuntur, hîs verbîs: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ùt luna,* *Cant. 6.* *electa ùt ſol?*

Dicitur *Electa ùt ſol.* Sicut enim ſol ab illo tempore, quo N. 8. lucem accepit, indeſinenter volvitur, pernicique curſu omnes mundi plagas circumambulat, & hoc eo duntaxat fine, ut per perennem benevoli ſui influxûs ſcaturiginem omnia inferiora conſervet, vivificet, & conſolidet, & quidem, quod potiſſimum eſt, cum tanta munificentia, ut ſuos radios in omnia creata indifferenter diffundat, ſuper malos æquè, ac bonos oriatur: Ita B. Virgo ab eo tempore,quo in mundo nata fuit, ſemper ſua beneficia in homines effudit, ſemper quaſi omnibus benefaciendô obambulabat, quaſi non alio fine enata videbatur, quàm ut humanum genus influxu ſuarum gratiarum conſervaret, vivificaret, conſolidaret, & quidem ad inſtar ſolis in motu ſuæ munificentiæ velociſſima, ad inſtar ſolis ſuæ clementiæ radios tam latè diffundens, ut nullus ſit tam longè diſſitus, qui ab illis non participet, aut à calore ejus, id eſt, à charitate & dilectione ſe abſcondat, non ſolùm bonus, ſed & malus, non ſolùm fideles, ſed & ſæpè infideles, & pagani. Unde S. Bernardus: *Quemadmodùm ſol oritur ſuper bonos, & ma-* *S.Bernard.* *los indifferenter; ſic Maria præterita merita non diſcutit, ſed om-* *inSerm.ſu-* *nibus ſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium deni-* *per ſignum* *que neceſſitatibus ampliſſimo miſeretur affectu.* *magnum.*

N. 9. Hoc magìs clareſcit ex eo, quòd Maria dicatur *Pulchra ùt lunæ.* Lunæ officium eſt, præeſſe nocti, nocturnas tenebras illuminare, prælucere in caligine, incommoda noctis ſublevare; eſt enim nox inimica homini, & multis hominem exponit tum animæ, tum corporis periculis, quæ tamen beneficiô ſplendentis lunæ ſecurus evadit. Secundum officium lunæ eſt, rore nocturno humefactare terram, fovere ſementem, maturare fructus agrorum, & hortorum, condenſare, & temperare vapores de nocte aſcendentes; ſi enim, teſte Albumazar, cæteriſque Aſtrologis, luna nocte omninò non radiaret, vapores de terra aſcendentes adeò condenſarentur, ut animalia reſpirare non poſſent. Ad hæc beneficia lunæ gratô animô recolenda Judæis olim præſcriptum erat, ut in novilunijs recurrentibus Calendarum, ſeu Neomeniæ Solemnitatem feſtivo applauſu celebrarent, juxta illud: *Buccinate in Neomenia tubâ in inſigni die Solemnitatis veſtræ.* Potiſſimùm autem, quod in luna obſervatur, eſt illud, quòd, ſicut luna ex omnibus Planetis eſt maximè vicina terræ, & hominibus, ita inter omnes in curſu ſuo eſt velociſſima, & in revolutione ſua citiſſima; ùt enim conſtat ex doctrina Aſtrologorum, ſol ex Planetis lucidiſſimus ſuam revolutionem non peragit, niſi intra trecentos ſexaginta quinque dies, quinque horas, & quadraginta novem minuta. Tantumdem fermè temporis in ſuo curſu circa globum terræ inſumunt Planetæ Venus, & Mercurius. Mars verò adhuc tardior eſt in revolutione ſua, quia bienniô propemodùm indiget, in quo ſpatium ſuum emetiri ſolet. Saturnus demùm, ſicut inter Planetas ſummam provinciam nactus eſt, ita in ſuo ambitu lentiſſimo procedit pede, ubi ad ſuum curſum penitùs abſolvendum viginti novem annos exigit. At verò luna, omnis moræ quaſi pertæſa, adeò veloci curſu circumfertur, ut integrum circulum diebûs duntaxat viginti percurrat. Inde Lemma habet: *Velocitate præſtat.*

Albumaz. — *Pſalm. 80.*

N. 10. Omnia hæc Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ conveniunt, quæ idcircò dicitur *Pulchra ùt luna.* Maria inprimìs præeſt nocti, illuminat tenebras, prælucet in caligine, ſublevat incommoda noctis; tribulationes enim, & anguſtiæ, quæ homini in hoc mundo frequenter obveniunt, aptè comparantur nocti, quia in tribulationibus, & anxietatibus obnubilatur intellectus, deficit lumen rationis, obtenebrantur ſenſus, adeò, ut homo neſcius conſilij, quid agat, quò vadat, ſæpiſſimè non videat. Hujus noctis numerantur

varia

varia incommoda, diſcrimina, & pericula tum animæ, tum corporis; quot enim tribulationum pondere oppreſſi ſeipſos ſuffocârunt in aquis, ſuſpenderunt ex trabe, peremerunt gladiô, præcipitârunt ex alto, & ſic & corpore ſimul, & anima miſerè periêrunt? Aſt, ſi nox iſta ingruat, nolite timere, Sodales Mariani! Regina ſacratiſſimi Roſarij pulchra eſt ùt luna, ipſa illuminabit vos, ipſa diſſipabit tenebras, ipſa avertet univerſa incommoda. Licèt enim, ait eruditus Philippus Polinus, pijſſima Virgo Maria mœrentium ſemper fuerit Conſolatrix, & omnibus miſericordiæ ſinum, ùt inquit Bernardus, aperiat, hoc tamen munus præcipuè ſemper exercet, & exercuit erga ſuos Roſarij devotos; ſicut enim ab his gaudet ſalutari, ita hos ſuæ dulcedinis, & lætitiæ vult eſſe participes. O quoties ab horum oculis omnem abſtergit lachrymam, & ſæpè, neſcio, quid divini ſolatij deguſtandum ſuis devotis Roſariantibus præbet! Unde præſertim in Roſarianos quadrat illud, quod de B. Virgine deprædicat Richardus à S. Laurentio: *Adeò blandi erga omnes ſunt oculi Virginis noſtræ, ut, licèt oculi Domini ſint ſuper juſtos, oculi tamen hujus Dominæ ſunt etiam ſuper peccatores; ſicut oculi bonæ matris ſunt ſuper puerum, ne cadat, vel ſi ceciderit, ut eum elevet. Unde ipſa ſervienti ſibi ait: In hac via, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.*

Philipp. Polin. in ſuo faſcicul Roſar. Roſ. 3. fol. 3.
S. Bernard.
Richard. à S. Laurent. L. 2. de Laud. Virg
Pſalm. 31.

Secundò: Maria, pulchra ùt luna, rore gratiæ ſuæ humectat corda hominum, fovet ſementem divinarum inſpirationum, quas DEUS inſerit animabus noſtris, maturat fructus bonorum operum, & temperat vapores afflictionum, qui de terra aſcendunt. *Si quid enim ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea totum redundare novimus*, ait S. Bernardus. Ipſa ſuæ benevolentiæ radiîs vapores afflictionum, adverſitatúmque noſtrarum diſſipat; ſecùs reſpirare non poſſemus, citò ſuffocaremur, & periremus. Hinc Idiota, Vir doctiſſimus, eam vocat *Spiraculum hominis*; quia, quemadmodùm intercluſo anhelitu homo nequaquam vivere poteſt, ita ſublatô virginis patrociniô homo vivere vix valet. Et hunc in finem ad recolenda hæc beneficia, quæ B. Virgo, pulchra ùt lunà, derivat copioſè, ſicut olim Judæis indicta fuit Solemnitas Neomeniæ, ſeu novilunij; ita provida Mater Eccleſia varias in honorem B. Virginis ordinavit Solemnitates, quas cum ſumma lætitia, & applauſu per anni circulum celebrant fideles. Præcipuè autem videtur, quòd hunc in finem ad recolenda beneficia, N. 11.

S. Bernard. in Serm. de B. Virg.
Idiota L. contemplat de Virg. c. 5.

quæ Roſariani à Luna ſua Mariana accipiunt uberrimè, Archi-Fraternitas SS. Roſarij præcipiat, ut in omni prima Dominica menſis, quaſi in novilunio, ſpecialis celebretur Feſtivitas, habeatur ſolemnis Proceſſio, publica peragatur veneratio Reginæ ſacratiſſimi Roſarij.

N. 12. Denique, ſi luna in ſuo curſu eſt velociſſima & terræ maximè vicina, etiam Maria, pulchra ùt luna, ad ſuccurrendum homini afflicto eſt citiſſima, & omnibus eam invocantibus ſemper proxima. *Richard. à S. Victor.* Velociùs occurrit pietas ejus, ait Richardus à S. Victore, quàm invocetur, & cauſas miſerorum anticipat, videt deſideria, & fert ſuppetias, nondum audiît vocem ſupplicantis, & jam præſtò eſt auxiliô ſuô. Hinc, ubi in Cana Galilææ vinum defuit, ipſa primum defectum advertit, prima de ſupplemento ſolicita eſt, nullo interpellante, nullo orante, ſpontè ſe Patronam offert, non vocata Advocatam agit, & Filio dicit: *Vinum non habent.* Ipſa ſicut præ omnibus Sanctis magìs eſt miſericors, ita ope ſua ſemper invocantibus ſe eſt proxima. *Eccli. 24.* Hinc de ea dicitur: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* Ubi notandum primò, B. Virginem non dici oleum, ſed olivam. Cùm enim oleum, & oliva paſſim Symbola ſint miſericordiæ, ubi alij Sancti ſunt oleum, ſeu quinque illæ Virgines prudentes, quæ acceperunt oleum in vaſis ſuis, hoc eſt, miſericordiam in cordibus ſuis, ut venienti Sponſo, id eſt, Chriſto, & Sponſæ ejus, ſeu Eccleſiæ cum lampadibus, hoc eſt, ardenti charitate occurrerent. Maria miſericordiæ oleô ita abundat, ut ipſi arbori olivæ comparetur, quæ ubertatem olei ſemper, & obviè ex ea manantis indicat. Dicitur ſecundò non ſimpliciter *Oliva*, ſed *Oliva in campis.* Ubi enim Oliva in horto concluſo ab omni non eſt acceſſibilis, domino ſuo ſolùm fructificat, olei ſui dulcedinem promiſcuè non præbet univerſis, Maria eſt oliva in campis, quæ cunctis eſt patula accedentibus, & de ejus clementia guſtare volentibus omni tempore, ac loco, pro omni neceſſitate eſt expoſita.

N. 13. Demùm Maria deprædicatur *quaſi aurora conſurgens:* Quia ſicut aurora roſeo ſuo vultu non tantùm tenebras citiſſime diſpellit, totalitérque abſumit, ſed inſuper optatam diei lucem invehit, & mentes hominum lætificat; ita Maria in Roſario, ſicut in nocte tribulationis, prælucet anguſtiatis, ne errent, & pereant: Sic quaſi aurora conſurgens velociſſimè quoque omnes afflictionum umbras peni-

penitùs diſſipat, totaliter abigit, & conſumit, inſuper diem jucunditatis annuntiat, & mentes ſuorum Sodalium perpetuâ lætitiâ ſerenat. Ipſa eſt *Cauſa noſtræ lætitiæ*, ùt canit Eccleſia: Ipſa, ſæculîs omnibûs celebranda, eſt Judith, quæ ſuum in Bethulia contriſtatum revivificavit populum, & à preſſura liberavit: Ipſa eſt formoſa Eſther, quæ Judæis poſt triſte mortis decretum in totam gentem Judæorum latum, & mille perſecutiones ſub Aſſuero toleratas non aliter, quàm *nova lux oriri viſa eſt.* Unde exclamat S. Gregorius Thaumaturgus: *Ave gratia plena; nam per te gaudium diſpenſatur omni creaturæ.* Et S. Methodius: *Salve in æternum, indeſinens noſtra lætitia, Dei Genitrix! Quis enim unquam*, addit S. Amadæus, *ab ea æger, vel triſtis abiit?* Quæ omnia ſpeciali titulô appropriantur Sodalibus ſacratiſſimi Roſarii juxta promiſſum, quod ipſa clementiſſima cœlorum Regina dedit famulæ ſuæ Mariæ Sanchez, ut teſtatur Goſwinus hìs verbìs: *Perge filia mea in Roſario meo, ego tuis neceſſitatibus adero, & omnium in eo mihi ſervientium.*

Eccleſia
Eſther. 8.
S. Gregor. Thavmat. Serm. 2. *de Annunt.*
S. Methodius Serm. de Purific.
Amadæus Hom. 7. *de Virg.*
Goſwin. Dom. 4. *Quadrag.* N. 14.

Pro coronide igitur idipſum facere nos oportebit, quod Ægyptii feciſſe leguntur. Magna erat preſſura famis in univerſa terra, unicè in horreis Pharaonis providente Joſeph frumentum ſupererat, quo ſuſtentabantur homines. Ideò univerſi populi ad Joſeph confluebant, dicentes: *Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantùm Dominus, & læti ſerviemus.* Eodem modo & nos in tribulationibus noſtris accurramus ad Reginam ſanctiſſimi Roſarii, & clamemus: *Salus noſtra*, ô Maria! *in manu tua eſt:* Reſpiciat nos tantùm Domina benigniſſima, & læti ſerviemus ei. Tantùm dicat: *Iterùm videbo vos: Et gaudebit cor noſtrum.*

Gen. 47.

Hiſtoria.

INter innumeros, quos Sanctus Pater Dominicus in Hiſpania aggregârat Mariano Pſalterio, Fratres, & Sorores erat devotiſſima quædam fœmina, Lucia nomine, quæ indies devotè dicebat Roſarium, & magnô exinde jugiter perfundebatur ſolatiô. Maurìs intereà Regnum Granatenſe invadentibûs, & devaſtantibûs, Lucia unà cum conjuge ſuo Barbaris in prædam cedit, virô paulò poſt à Maurìs ferociter ſtrangulatô, Luciâ verò in captivitatem procul abductâ. In hac captivitate duo erant, quæ ſolitas miſeræ ſervitutis

anguſtias multùm aggravabant. Inprimìs Lucia gravida erat, dum à Mauris capiebatur, & jam tempus partûs appropinquabat. Dein dominus, cui, ceu vile mancipium, vendita erat, vir fuerat perquàm crudelis, & immitis, qui, ſepoſito omnis humanitatis ſenſu, ſervam ſuam adeò magnîs, & continuîs vexare oneribûs pergebat, ut iis ampliùs ferendis par non eſſet fœminarum debiliſſima. Unicum ſolamen erat miſeræ, quòd indies ſuum Roſarium clam recitaret, illique ſe recommendaret, quæ vocatur *Conſolatrix afflictorum*. Tandem aderat tempus pariendi, & quidem ipſa nocte Nativitatis Chriſti Domini, dum & Lucia, ſicut olim Sanctiſſima Virgo Maria in Bethleem, in ſtabulo heri ſui inter bruta animalia verſabatur. In his anguſtiis deſolatiſſima puerpura totam ſuam in Roſario collocat ſpem, ingemiſcit auxilium clementiſſimæ Roſarii Reginæ, opem implorat Marianam. Nec fruſtra! Sicut enim benigniſſima Dei Genitrix jam diu vigilantî oculô viderat multiplicatas tribulationes hujus ſuo Mariano Pſalterio devotiſſimæ Sororis; ita citiſſimè eidem in tempore opportuno ſuppetias tulit. Apparet Chriſtus JEſus in veſtibus ſacerdotalibus, aſtat Beata Virgo, quæ, ſicut dolores partûs Luciæ minuit, ita infantulum natum mox in ſuas ulnas recipit, pannis involvit, & Divino Pontifici conſignat, qui ſinè mora puerulum baptizat, eique nomen *Mariani* imponit. Nondum erat finis ſupernarum conſolationum. In Vigilia Purificationis denuò Auguſtiſſima cœlorum Regina puerperæ ſe viſibilem exhibet, dicens: Filia dilecta, perge in eo, quod cœpiſti, captivitati tuæ mox finem imponam, eris ex nunc in domo tua paterna unà cum filio tuo, ut deinceps meditandis ſanctiſſimi Roſarii Myſteriis te devotiùs impendere valeas. Et ecce! altera mox die circa horam decimam Lucia cum nato ſuo reperta fuit in Eccleſia S. Jacobi in Gallicia, ubi erat locus originis, etſi ratione matrimonij in loco extero fixum fuerit domicilium. Ex poſt Lucia ſe totam virtutibus dedit; filius verò Marianus in eremum ſeceſſit, ubi, vitâ ſanctè exactâ, piè obiît. P. Joannes de Monte in ſuo Mirabili, & ex eo B. Alanus 5. p. Operis redivivi cap. 63.

SER-

SERMO VIGESIMUS QUINTUS.

Dominica quarta poſt Paſcha.

THEMA.

Arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. Joan. 16.

Roſarium defendit à peccato, placat Divinam Juſtitiam, & ſalvat in judicio.

MEl, & fel in hodierno Evangelio diſtillâſſe videntur labia amabiliſſimi Salvatoris noſtri. Mel, ubi dilectos ſuos diſcipulos gratioſô dignabatur promiſſô de mittendo Spiritu ſancto poſt ſuum in cœlum aſcenſum, dicens: *Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiêro, Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiêro, mittam eum ad vos.* Fel verò, quia idem, qui promittebatur Spiritus Sanctus, non niſi, ut coarguat mundum, mittendus dicitur hìs verbìs: *Et cùm venerit ille* (puta, Spiritus Sanctus) *arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: De juſtitia verò, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me: De judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt.* Inprimìs Spiritus Sanctus, quem proximè exſpectamus, multos arguet de peccato, quia in Chriſtum, & Deum ſuum aut non crediderunt, aut crediderunt quidem ore, non autem opere, juxta illud Apoſtoli: *Multi confitentur verbîs, ſe nôſſe Deum, factîs autem negant, cùm ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* N. 1. *Ad Tit. 1.*

Ubi

S. Thom. de Vilanov. in Octav. Paſch. Ubi tamen, teſte S. Thoma de Villanova, *vera fides non eſt otioſa, ſed facit ea, quæ præcepta ſunt, æmulatur bona opera, prava deſideria frænat, effrænes appetitus cohibet, feroces cordis motus ſedat, vitia pellit, virtutes inſerit, mollia calcat, aſpera tollerat, nihil tam durum reputat, quod non aggrediatur propter Deum.* Secundò: Spiritus Sanctus arguet mundum de juſtitia, quia nedum Salvator noſter omnes fideles edocuit exemplô ſuô juſtitiam Chriſtianam, ad quam juxta ſtatûs conditionem ſingulos eniti condecet, ſed inſuper omni verborum energiâ mundo palàm fecit Juſtitiam Patris ſui æterni, quæ, etſi ad tempus diſſimulet peccata hominum, in fine tamen nihil impunitum transmittit, ſed ſeveriſſimè etiam in minima animadvertit; hac in re DEO ter Optimo Maximo frequenter ſeſe aſsimilante parentibus creatis, qui non ſtatim ad verbera properant, ſed priùs filijs immorigeris minas intentant, admonitiones præmittunt, virgam oſtentant. Et de hac utraque juſtitia Spiritus Sanctus arguet mundum, nihil minùs à potiori cogitantem, quàm ut vel Juſtitiam Chriſti in perfectione vitæ æmuletur, vel Juſtitiam Patris æterni peccata ſingula rigidiſsimè punientem, & per mala hujus temporis ſolicitè minas præmittentem timeat. Denique Spiritus Sanctus arguet mundum de judicio, quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt, & quidem ad doctrinam, & tremorem noſtrum, qui ex judicio, quod Lucifero, & angelis ejus factum eſt (qui tamen erant Spiritus nobiliſsimi, & non niſi unicum in cogitatione commiſerunt peccatum) facilè argumentamur, & menſuramus rigorem judicij, quod nos manet, qui ſumus filij iræ nati, & toties nedum cogitatione, ſed & verbo, & opere peccavimus in DEUM noſtrum. Et tamen multi ſunt, qui de futuro judicio parùm anguntur; & ideò non ſine cauſa à Spiritu Sancto arguendi. Sodales Mariani! Ne Spiritus Sanctus & in nobis inveniat, de quo arguamur, Roſarium veluti triplicatum ſcutum aſſumamus, quod inprimìs defendit, quia illud tollit: Secundò defendit à Juſtitia, quia iram DEI placat: Tertiò defendit in judicio, quia Judicem amicum habet.

N. 2. Roſarium primò defendit à peccato, quia illud, ne arguantur Roſariani à Spiritu Sancto, tollit, veram contritionem, dignóſque pœnitentiæ fructus impetrando; & hoc tum virtute propria à DEO, & B. Virgine accepta, tum per mutua Conſodalium orationis ſuffragia, Inprimìs, ſanctiſsimum Roſarium virtutem intrin-

ſecam

ſecam habere ad impetrandam peccatoribus veram contritionem, ſat luculenter docet Mariæ dilectiſſimus filius, & Mariani Pſalterij zeloſiſſimus Reſtaurator B. Alanus de Rupe, ita diſſerens: *Trinitas Sanctiſſima per Pſalterium Virginis Mariæ præſtat peccatoribus veniam. Nec aptius medium Pſalteriô excogitare quis poteſt ad peccatorum converſionem; hoc enim ſcelera fugat, crimina delet, quod optimè Sanctiſſima Virgo B. Dominicum, dum ei Roſarium dedit, edocuit.* Similia B. Alanus repetit de Laudibus Pſalterij, ubi ſeipſum in teſtem citat horum ſuorum dictorum hîs verbîs: *Aſpexi aliquoties quadam in Eccleſia peccatores hôc ſaluberrimô Pſalterio talem habuiſſe contritionem, tantámque lachrymarum copiam, ut non fuerit dubium, quin Maria apparuerit ibi, & manum ſuam appoſuerit.* Ex quo haud diſſonè colligitur, Roſarianos eſſe inter primos illorum, pro quibus glorioſa cœli Regina orat, plenámque remiſſionem peccatorum efflagitare non deſinit. Demonſtratum hoc fuit in viſione quadam Sanctæ Brigittæ; vidit námque hæc DEUM ter Optimum Maximum magna cum gloria in throno ſuo conſidentem, innumerîs ſanctorum cœtibûs circumcinctum, &, quodammodò digitô ſuô denotantem aliquos non procul diſtantes peccatores, conſultantem cum amicis ſuis, quid agendum eſſet cum peccatoribus iſtis, hoc modo: *Quid vobis videtur de iſtis, qui caſtrum meum occupaverunt?* Et una voce reſponderunt univerſi: *Domine, in te eſt omnis juſtitia, tibi datum eſt omne judicium, tu Judex eorum es. Hæc eſt juſtitia, ut, qui ſuffoderunt murum, puniantur, ùt fures: Et qui in malitia perſiſtunt, puniantur ùt invaſores.* Aſt longè alterius ſenſûs erat pijſſima miſericordiæ Mater; ipſa enim reis, ne arguerentur de peccatis ſuis, gratiam, contritionem, & veniam de novo exorare cœpit, hîs verbîs: *Domine mi, Fili chariſſime, tu fuiſti in utero meo verus DEUS, & homo, tu me, quæ eram vas terrenum, dignatione tua ſanctificâſti, ſupplico, miſerere eis adhuc ſemel.* Amantiſſimæ nihil denegare potuit Filius amabilis, ſed reſpondit: *Benedictum ſit verbum oris tui, quod quaſi odor ſuaviſſimus aſcendit ad Deitatem meam. Tu Angelorum, & omnium Sanctorum gloria es, & Regina, quia omnes lætificâſti. Et quia voluntas tua à primo principio juventutis tuæ erat, ſicut mea, ideò faciam adhuc ſemel, quod vis.* Simile quid contigit illis Roſarianis, quos B. Alanus in quadam Eccleſia vidit hôc ſaluberrimô Roſariô talem habuiſſe contritionem, ut non du-

Alan. de Rupe in Apol. c. 1.

Idem de Laud. Pſalt. c. 52.

L. 1. Revel. c. 5.

bium fuerit, quin Maria apparuerit ibi, & manum ſuam appoſuerit. Simile quid hodiedum experiuntur Sodales ſacratiſſimi Roſarij; innumeri enim eſſent, quos Judex cœleſtis de peccato jam dudùm arguiſſet, judicâſſet, & condemnâſſet, niſi in virtute Mariani Pſalterij dolorem ſuper peccata ſua obtinuiſſent, intercedente pro ijs primò Auguſtiſſima Roſarij Regina.

N. 3. Secundò, per acceſſum multorum Conſodalium ſacratiſſimi Roſarij orationis ſuffragiorum. Certum enim eſt, multos peccatores vî ſuorum demeritorum fuiſſe perituros, niſi aliorum precibûs, & bonîs operibûs adjuti gratiam reſurgendi impetrâſſent. Hinc dicitur: *Meliùs eſt duos eſſe ſimul, quàm unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si unus ceciderit, ab alio ſuffulcietur.* Idipſum enim, quod de elephante narrat Barthol, hoc & hominibus frequenter commune eſt. Experientiâ certum eſt, elephantem aliter non quieſcere, niſi per reclinationem ad arborem quandam, qua, corporis molem ſuſtentante, liberiùs animal hoc reſpirat, & ſomnum dulciter capit. Si ergo contingat, arborem talem, cui acclinatur elephas, vel vetuſtate exeſam, vel in ſeipſa minùs robuſtam vel etiam ſtudiô à venatoribus (qui elephantem capere tentant) inciſam, ponderi, & moli corporeæ eſſe imparem, frangi, & ruere, ruente arbore ruit & elephas, penitùs ob gravitatem corporis ſui poſteà impotens ad ſurgendum, ſéque virtute propria de terra elevandum. Sed ecce! quod per ſe non valet, hoc aliorum auxiliô impetrat. Ubi cadentis elephantis barritum, & clamorem alij in vicinia elephantes audiunt, citato gradu concurrunt, jacenti in terra adjutorium præſtant, eò totîs ſuîs viribûs connitentes, ut jacentem erigant. Idipſum non raro verificatur in ſenſu morali. Labitur homo in peccatum mortale, jacet totus depreſſus, & affixus objecto ſuo peccaminoſo, ſeipſum juvare non poteſt, quia gratia ſurgendi eſt ſupernaturalis, & vires puri hominis longè transgreditur. Unde S. Thomas: *Nemo ſibi ipſi primam gratiam impetrare poteſt.* Felix proinde conditio eſt omnium, qui nomen ſuum dederunt Archi-Fraternitati ſacratiſſimi Roſarij; hi enim, ſi ceciderint, innumeros Conſodales numerant, qui pro invicem quotidie orant, ſibi mutuas porrigunt ad ſurgendum manus, alternîs ſeſe adjuvant ſuffragiîs: Etſi enim, ut docet Angelicus noſter Articulô ſequentî, unus alteri, exceptô Chriſtô, de condigno primam gratiam mereri

Eccle. 4.

Barthol. L. de propriet. rerum.

Simile.

Applicatio.

S. Thom. 1. 2. q. 114.

reri non poſſit; poteſt tamen hoc de congruo. Si ergo S. Stephano, dum lapidabatur, orante pro adoleſcente quodam Saulo, hic ex perſecutore Eccleſiæ factus eſt vas divinæ electionis, ſi Sancto Paphnutio orante pro nepte ſua, hæc, nomine Thais, ex publico proſtibulo evaſit in ſpeculum lucidiſſimum pœnitentiæ, ſi Sancto Petro noſtro Martyre orante pro ſicario, à quo occiſus eſt, hic, nomine Carinus, poſteà factus eſt Laicus in Ordine Prædicatorum, & ſanctè obiit; quid ſpei ſinguli Fratrum, & Sororum ſacratiſſimi Roſarij, quid auxilij, quid adjutorij exſpectare poterunt, qui de orationibus tot millium, & millium Mariani Pſalterij Conſodalium communicant, qui initô quaſi pactô confœderati ſibi idipſum promiſerunt, pro quo confratres ſuos Romæ rogavit Apoſtolus: *Obſecro vos, fratres, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad DEUM.* Qui quotidie adimplent monitum illud S. Jacobi: *Orate pro invicem, ut ſalvemini; multa enim valet deprecatio juſti aſſidua.*

Rom. 15.

Jacob. 5.

N. 4. Conſiderandô igitur mutua Roſarianorum ſuffragia videtur id etiamnum hodie renovari, quod legimus: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? at ille reſpondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hôc annô, usque fodiam circa illam, & mittam ſtercora; & ſiquidem fecerit fructum: Sin autem, in futurum ſuccides eam.* Ficus denotat hominem peccatorem, ait S. Athanaſius, tres anni indicant tres hominis ætates, pueritiam, juventutem, & ſenectutem. Venit Dominus cœli, quærens fructum innocentiæ, & puritatis in pueritia, & non invenit, ſed nugas, ſcurrilitates, res vanas, non tam impuberes, quàm impuras, anteà vitiis aduſtos, quàm ætate firmatos. Venit iterùm in juventute, & reperit impudentiam, laſcivias, furores ebullientes, irarum ignes, & morum turpiſſimas fœditates. Venit in ſenectute, & adhuc fructum illum bonum non videt, ſed ſordidiſſimas avaritias, cor in terra fixum, & radicatum, ſui oblivionem, divinorum contemptum, ſenes bis pueros, qui ſinè prudentia repuereſcunt, ſtulteſcunt, inſaniunt. Unde Dominus morti imperat: Succide arborem, ut quid enim terram occupat?

Luc. 13.

S. Athanaſ.

ut quid vivit in mundo? inanî umbrâ terram, ſterilî ramô hortum deturpat? Aſt interpoſita vinitoris ſupplicatione hæc mens Domini iterùm perſæpè mutatur; venit enim venitor, id eſt, explicant S. Auguſtinus, & S. Thomas Aquinas, venit Beata Virgo, quæ de ſeipſa fatetur: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Veniunt Sancti, & Sanctæ DEI, veniunt fideles adhuc viventes in terra, & orant: *Domine, dimitte illam & hôc annô.* Et parcit Dominus peccatori, mitigatur, ne arguat nos de peccato. Quod potiſſimùm Roſarianis proprium eſt; ſi enim benigniſſimus Deus dicit de Job: *Job ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam;* quid denegare poterit tot centenis millibus, qui invicem orant in Sodalitate ſanctiſſimi Roſarij?

S. Auguſt. *S. Thom. Aquin.* *Cant. 1.* *Job. 42.*

N. 5. Sicut autem Roſarium defendit à peccato, quia illud tollit, ita defendit à Juſtitia, quia iram DEI placat. Orationis in communi ſat notum eſt elogium, quòd luctetur cum DEO irato quodammodò vincat, & liget Omnipotentem. Ita legimus in Exodo: Ubi Dominus Deus vehementer iratus erat ſuper populum Iſraël, qui, omnium divinorum beneficiorum immemor, non erubuit verum DEUM relinquere, & vitulum ex auro conflatum, fragile opus manuum ſuarum, cultu divino adorare. Juſtiſſimâ igitur irâ commotus Dominus meritas in populum rebellem decrevit pœnas, brachium ſuum Omnipotens extendit, & virgâ furoris ſui ferire cœpit gentem duræ cervicis: Aſt non potuit. Moyſes orabat pro populo, & oratio ſervi fidelis brachium Omnipotentis retinuit à verbere. Unde Dominus ad Moyſen: *Cerno, quòd populus iſte duræ cervicis ſit: Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos;* hîs verbîs luculenter oſtendens, ait S. Hieronymus, ſe per orationem fidelium teneri poſſe, ne faciat, quod minatus eſt. Si ergo orationis in communi tanta eſt placandi iram divinam efficacia, quid de oratione ſacratiſſimi Roſarij dicemus, quæ à B. Alano, & alijs appellatur Regina cæterarum precum, ſicut Roſa eſt Regina florum; quæ juxta teſtimonium ipſius cœlorum Reginæ, apud Pacciuchelli, eſt medium ad divinam miſericordiam impetrandam accomodatiſſimum, cujus partes, quibûs contexta eſt, non ſunt artis humanæ, ſed Dominica Oratio quinquies in Roſario repetita, quæ ipſum DEI Filium, qui eſt caput Eccleſiæ, habet ſuæ formulæ Prælectorem, Angelica verò Salutatio quinquagies in Roſario inſerta habuit Angelum

Exod. 32. *S. Hieron.* *Pacciucheli Excit. 3. in Ang. Salut.*

gelum Paranymphum agentem, cùm primùm pronuntiata eſt; & hinc indubiè huic orationi vis, & virtus permaxima ineſt, ut placatum reddat DEUM, & vincat Omnipotentem.

Hoc inprimìs ipſe DEI Filius Unigenitus noſtro Roſario aſſerere dignatus eſt, ſic olim locutus Beato Alano: *Si Pſalterium meum frequentarent miſeri, & mea ſic participarent merita* (puta, per contemplationem Myſteriorum) *Advocatus peccatorum facilè Juſtitiam Divinam placarem.* Feliciores enim ſunt Chriſtiani hìs temporibûs, quàm olim populi Syriæ. Iratus, & furore ſpumans Rex Nabuchodonoſor ſupremo ſuo Belliduci imperium dedit, ut igne, & gladio perderet univerſum regnum Occidentis, præcipuè eos, qui contempſerant juſſa regia. Ubi mandatum hoc Nabuchodonoſoris, quod dedit Holoferni totius exercitûs Generaliſſimo Duci, in vicinia innotuit, cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram, & multi Reges, & Principes, præſertim Syriæ & Meſopotamiæ, miſerunt Legatos ſuos ad Holofernem, dicentes: *Deſinat indignatio tua circa nos: Meliùs eſt enim, ut viventes ſerviamus Nabuchodonoſor Regi magno, & ſubditi ſimus tibi, quàm morientes cum interitu noſtro ipſi ſervitutis noſtræ damna patiamur.* Hîs non contenti univerſi incolæ, ubi Holofernes ad terram illorum deſcendit, *exiêrunt obviàm venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes Choros in tympanis, & tibiis.* Aſt fruſtra agebantur omnia, nullo honoris, & ſubjectionis titulo ferocitas Holofernis mitigari poterat, quin civitates in Regno Syriæ deſtrueret, & lucos accenderet, & univerſa gladio, ignéque perderet: Nil minùs Holofernes cogitabat, quàm advocatum apud regem ſuum agere pro populo ſupplicante, aut placare iram Nabuchodonoſoris. Sed en, Sodales Mariani! en ſortem veſtram exoptatiſſimam! Si iratum DEUM veſtrum placare cupitis, occurrite Salvatori veſtro cum coronis, ſeu Roſarijs veſtris, invocate auxilium ejus, illi cauſas veſtras concredite & promiſſum olim B. Alano datum adimplebitur: *Si Pſalterium meum frequentarent miſeri, & mea ſic participarent merita, Advocatus peccatorum facilè Juſtitiam placarem Divinam.*

N. 6. *B. Alan. p. 2. c. 24.* *Judith. 2. & 3.*

Hanc eandem vim & virtutem ad Divinam Bonitatem reconciliandam, quam Roſario promiſit Filius, Mater ejus amantiſſima quoque eidem Roſario appropriavit verbìs ſat apertìs, quæ adducit Bzovius talì formâ: *Dixit Regina cælorum, nullum hoc genere*

N. 7. *Bzovius in Annal. Tom. 13. n. 2.*

nere orationis efficacius eſſe ad divinam benignitatem conciliandam. Idem enim medium mitigandi iram, & Juſtitiam DEI modò ſu-
3. *Reg.* 21. pereſt Roſarianis, quod olim adhibuit rex Achab. Graviter Achab offenderat Dominum cœli, & terræ, quia Naboth viro, & civi perquàm honeſto per ſum̄am injuriam eripuit vineam quandam: Naboth, qui, ut venderet vineam, bonîs perſuaderi non poterat, per inauditam crudelitatem lapidibûs obrui debuit. Unde graviter ſuper hoc impium facinus indignatus DEUS denuntiavit iram ſuam Regi Achab, ſícque illi locutus eſt per Prophetam Eliam: *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum -- ecce! ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & ultimum in Iſraël.* Hæc ubi ex ore Eliæ inaudiît Achab, totîs artubûs contremuit, &, ùt refert Sacra Pagina, *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit ciliciô carnem ſuam, jejunavítque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Nec fruſtra! mox enim hoc modo placata eſt ira divina, factúsque eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei causâ, non inducam mala in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui inferam mala domui ejus.* Opera pœnitentiæ, ſciſſio veſtimentorum, jejunium, uſus cilicij, & demiſſio capitis ad terram tantæ erant efficaciæ, ut ex integro temperârint indignationem, & juſtiſſimam DEI iram. Similia placationis media in, & cum Roſario nobis ad manum ſunt: Ipſa enim Auguſtiſſima cœlorum Regina teſte, *nullum hoc genere orationis efficacius eſſe ad divinam benignitatem conciliandam*, præſertim ſi Roſariani non deſinant condigna quoque pœnitentiæ opera ſuperaddere, & ambulare demiſſo in terram capite; in ſenſu quippe myſtico terra denotat B. Virginem Mariam, quam intuentes gemendô, & flendô clamârunt antiqui
Iſa. 45. Patres: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Qui ergo ad hanc terram benedictam caput ſuum demiſerit, qui vultum ſuum ad Mariam deflexerit, ejúsque in Roſario aſſiſtentiam imploraverit, Juſtitiam Dei ſibi facilè placatam reddet; Roſarium enim defendit à Juſtitia,

N. 8. Et hoc ipſo etiam à judicio; quia, qui DEUM ſibi placatum, & amicum habet, DEUM ùt judicem non habet, cur timeat. Terribile quidem erit judicium ultimum, ita, ut ſi fieri poſſit, etiam

juſti

juſti timore corripiendi ſint ultimo. Unde, ut ſibi in tempore providerent Sancti de malo hoc, non ceſsârunt clamare ad Dominum. Inprimis David, non obſtante, quòd Oraculô Divinô appellatus fuerit Vir ſecundùm voluntatem DEI, attamen quotidie oravit ad Dominum: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, quia perſecutus eſt inimicus animam meam.* Secundò: Sanctus Hieronymus, qui ingenuè faſſus eſt, ſe toties toto corpore contremuiſſe, quoties illius diei, in quo judicium erit, recordatus fuit. Tertiò: Elias Abbas, qui, quamvis ſeptuaginta annos ſanctiſſimè in eremo vixerat, tria tamen ſe timere liberrimè edixit, primò, diſceſſum animæ à corpore, ſecundò, inevitabilem neceſſitatem comparendi coram DEO, & tertiò, ſententiam, quam in eum declaraturus foret Divinus Judex. Et benè: Talis enim erit extremi judicij rigor, ut nemo ſit, qui credat, juxta illud, quod refert P. Faber. Quidam Religioſus, poſt mortem apparens amico in vultu triſti, habitúque vili, ſimúlque interrogatus de cauſa tam inſolitæ, triſtitiæ, reſpondit: *Nemo credit, nemo credit, quàm diſtrictè DEUS judicet, quàm ſeverè puniat.* Nec abs re! ſi enim cœlô tempeſtuosô fulgura coruſcantia, & tonitrua reſonantia tantum terrorem hominibus incutiunt, ut, quoties fulgura aërem illuminant, atque è nubibus emicandô erumpunt, toties pænè exanimentur mortales, ſubitaneúmque fulmen, quod in ictu occuli turres, ædificia, arbores comburit, deijcit, & ſæpè homines absque exteriori læſione non ſinè magno tremore interimit; quantæ, obſecro, formidinis, quanti terroris, atque horroris erit univerſis hominibus tremenda illa univerſalis judicij dies, in qua contremiſcet terra, mugiet mare, aër creberrimo fulgure coruſcabit, ignis totum orbem terrarum corripiet, atque omnia, quæ in eo ſunt, depaſcet? quando etiam à ſupernis ſedibus deſcendet Judex iratus, cœleſtium Spirituum turmîs ſtipatus, & omnium peccata (non ſinè magna peccatorum confuſione) propalabit, ut contra iniquos tremendum illud telum vibret: *Ite à me maledicti in ignem æternum?* Tunc rigidiſſimum inſtituetur examen non duntaxat de uno, alteróve peccato, ſed de univerſis, non duntaxat de manifeſtis & proprijs, ſed etiam de occultis & alienis, non duntaxat de majoribus, ſed etiam de minimis: Tunc multa homo deprehendet peccata, quæ hîc peccata eſſe non cenſuit, plures in anima

Pſalm. 142.

P. Faber Dom. 21. poſt Pentec. Conc. 6.

ma inveniet nævos, de quibus hîc non cogitavit, tot videbit in ſeipſo menda, quot atomi in camera aliqua clareſcunt ad lumen ſolis effulgentis: In circu adſtabunt innumera dæmonia; ſubtùs erit immenſum chaos inferni, deſuper iratus Judex, foris mundus plenus flammîs, intùs conſcientia mordens; latere nemo poterit, apparere erit intolerabile: Aër, terra, aqua, cœlum ſtabunt adverſùs peccatores in teſtimonium, homines, qui præceſſerunt, aut coætanei, qui tibi erant in ædificationem exemplô virtutum, vel quos tu peſſimîs moribûs ſcandalizâſti, erunt accuſatores, & judices. Quàm igitur tremendus, & horribilis erit judicij dies!

N. 9. Sed, Sodalis Mariane! erige animum, Roſarium defendet te à judicio, quia Judicem amicum habebis, mediante ſcilicet, & intercedente glorioſa ſacratiſſimi Roſarij Regina. Ita ipſa ad B. Alanum, qui de extremo judicij die mentionem faciens hæc conſolatoria addidit: *Ut tantis malis anteveniant homines, ad me Judicis Matrem confugiant, séque Filio meo, & mihi in Pſalterio devotè commendare non omittant.* Figuram hujus legimus in S. Scriptura, ubi Dominus DEUS poſt mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt, ſtrictiſſimè præcepit, ne unquam ſummus Sacerdos in poſterum præſumeret ingredi in Sancta Sanctorum, niſi priùs offerret vitulum pro peccato, & fumum incenſi præmitteret, hîs verbîs: *Offeret vitulum, & rogans pro ſe, & pro domo ſua immolabit eum: Aſſumptóque thuribulô, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum ultra velum intrabit, &, poſitîs ſuper ignem aromatibûs, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur.* Ratio hujus erat, quia ſicut ſancta ſanctè tractanda ſunt, ita oportebat ſacerdotem eſſe ſanctum, & mundum, dum in Sancta Sanctorum ingrediebatur: Unde, ne in eo labes peccati inveniretur, priùs vitulum pro peccato offerebat, fumúmque incenſi præmittebat.

B. Alan. 4. p. c. 25.

Levit. 16.

N. 10. Sodales Mariani! ſi ſacerdos, dum ad Sancta Sanctorum ingreſſus fuit, debuit eſſe mundus, & ſanctus, ideóque præviè obtulit pro peccato vitulum, præmiſsítque fumum incenſi; quantò magis oportebit, ut & nos mundi, & ſancti exiſtamus absque omni labe peccati, ubi in conſpectu Domini in extremo DEI judicio apparebimus? Nónne neceſſe erit, ut & nos antecedenter

offe-

offeramus vitulum pro peccato, fumúmque incenſi præmittamus, ut defendamur à judicio? Utrumque nobis ad manum eſt. Inprimìs vitulus pro peccato; ubi enim apud Oſeam legimus: *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum;* Gloſſa ordinaria ita exponit: *Vituli labiorum ſunt confeſſio Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis, & Paſſionis, & Reſurrectionis; etenim corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Unde, qui ſic revertitur ad DEUM, placat pium Patrem. En igitur in Mariano Pſalterio, ejúsque Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis ſanctiſſimis Myſterijs inprimìs vitulum pro peccato! Deinde & fumum incenſi præmittendum, per quem Richardus ipſam B. Virginem Roſarij Reginam vult intelligi, quia ipſa eſt Mediatrix, ſummô ſtudiô allaborans, ut in ſibi devotis labes peccati contegatur, deleatur, expungatur: ipſâ, veluti fumô incenſi, præmiſſâ, homo non habet, quod timeat in judicio; ipſa intercedente Judex evadit in amicum; ipſa præveniente placatur ira DEI; ipſa ſuccurrente obteguntur peccata. Unde S. Auguſtinus: *Qui ad colendam accedit Deiparam, jam ſcelera ſua nititur abſcondere.*

Oſe. 4.

Richard. L. 12.

S. Auguſt. Serm. 100. de Temp. N. 11.

Quando ergo veniet Spiritus Sanctus, & juxta minas Chriſti Domini hodie intentatas arguet mundum de peccato, & de Juſtitia, & de judicio, vos, ô Roſariani! ad Pſalterium Marianum confugite, Roſarium veſtrum defendet vos à peccato, quod tollit; à juſtitia, quia iram DEI placat; à judicio, quia Judicem habet amicum.

Hiſtoria.

Quidam Religioſus, negligens valdè in ſervitio monaſterij, ſed tamen admodùm erga Deiparam devotus, & quotidie ejus pervolvens Roſarium, incidit in gravem infirmitatem: Unde delatus fuit in infirmariam, ut ibidem commodiùs curaretur. Veſpertino quondam tempore, Religioſìs omnibûs in choro exiſtentibûs, circumdederunt illum maligni, atque tartarei Spiritus, qui animam ejus (ut ipſi videbatur) violenter corporeìs ſolverunt vinculìs, & coram Chriſto, ejúſque Matre in magnifico, ac per-

lucido reſidentibus palatio ſtiterunt. Quid huic Religioſo, inquiebat Chriſtus, facere deſideratis? Volumus, reſpondebant, ut arguatur de peccato, de juſtitia, & de judicio, nobiſque conſignetur deportandus ad infernum, quia noſter eſt. Ad hæc Virgo Mater: Nequaquam ita fiet, quia mihi ſemper devotus exſtitit: Medium aliquod inveniri debet, quo defendatur à peccato, à juſtitia, à judicio. Fruſtra (inquiebant nequam Spiritus) tale quæritur medium, cùm nec Conſtitutiones ſuas, nec Regulam, neque Profeſſionem ſervaverit. Ponantur bona, & mala opera ejus in ſtatera, & ita juſtum judicium feratur ſuper illa, ſive ad vitam, ſive ad damnationem æternam. Dixerant. Et ecce! mala opera ejus poſita in una ſtatera præponderabant bonis operibus, ac Roſarijs ejus. Heu! clamabat Religioſus, actum eſt de me! O Mater miſericordiæ, ſum æternæ damnationis filius, niſi ſuccurreris SS. Roſarij meritîs! Illa verò, Chriſti pedibus advoluta, miſericors Fili, dicebat, Roſarium meum in ſe continet merita pretioſi tui Sanguinis: Hic mihi fideliter per Roſarium inſervivit. Applica igitur guttam Sanguinis ipſi, & non arguetur de peccato, neque de juſtitia, neque de judicio. Chriſtus juſtus Judex paratus contra illum fulminare ſententiam peccatorum, motus interceſſione Virginis Matris, guttam pretioſi ſui Sanguinis adjunxit SS. Roſario. Quo facto mala opera diſparuerunt. Hoc videntes dæmones clamabant: Saltem ipſius facinora caſtigari merentur. Et magno furore irruentes in eum dirè vulnerârunt. Finitîs Matutinîs Religioſi ipſum accedentes invenerunt gementem, atque lachrymantem. Quid tibi, dicebant, Frater, accidit? quare ita gemis, ac lachrymas fundis? Ipſe verò tragœdiam illam indicare noluit eò usque, donec accedente præcepto formali coram tota communitate narrârit, quod ipſi contigit, ſua peccata magna contritione eſt confeſſus, & magna cordis lætitia obdormivit in Domino. Albertus Caſtellanus fol. 229. Tax. L. 3. cap. 20.

SER-

SERMO VIGESIMUS SEXTUS.

Dominica quinta poſt Paſcha.

THEMA.

Petite, & accipietis. Joan. 16.

Quia Sodales ſacratiſſimi Roſarij petunt in nomine Chriſti, & B. Virginis, accipiunt, quidquid ſalubriter petunt.

JUcundè non minùs, ac conſolatoriè Divinus hodie Magiſter N. 1. diſcurrebat cum diſcipulis ſuis, promittendô inprimìs, quòd omnia ad votum eſſent impetraturi, quidquid in nomine ejus petituri forent à Patre æterno, poſteà verò promiſſum ſuum quaſi duplicî juramentô confirmandô, inquiens: *Amen, amen dico vobis: Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ut enim advertit ſplendidiſſimum Africanæ Eccleſiæ lumen, S. Auguſtinus, *Amen* idem ſonat, ac juramentum, & bis hodie à Chriſto repetitur, ut binâ de promiſſo ſuo roboraretur fiduciâ, utpotè qui nedum, quod promittit, fideliter adimplet, ſed inſuper plus ſemper donat, ac promiſit; ubi econtra homines promiſſa ſua aut omninò non ſervant, aut datâ operâ diminuere ſatagunt. Hîs non contentus cœleſtis Magiſter majus pondus ſuperaddit promiſſo ſuo, animátque ad petendum diſcipulos ſuos hîs verbîs: *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Ubi immediatè conjungendô ly *Petite,* & ly *Accipietis* innuere videtur, inter

ter preces, & effectum, per preces intentum, nullam omninò futuram fore moram, nullam diſtantiam, nullam retardationem, ſed potiùs inſtantaneam in Patre promptitudinem, facilitatem, & voluntatem dandi omnia, quæ poſtulantur. Eſto enim, in Aulis Principum mundanorum neceſſe ſit multiplicare Memoralia, & Supplicationes, quæ tamen ſat communiter aut tardiſſimè ad effectum veniunt, aut penitùs in vanum porriguntur; nihilominùs apud Patrem æternum, innuit Chriſtus, res longè aliter ſe habet, Supplicationes ſtatim ſuſcipiuntur, poſtulata expediuntur, omnibus patet facilis acceſſus, univerſis promiſſum datur: *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Promiſſum tamen hoc pientiſſimi Salvatoris non abſolutè, ſed conditionatè accipiendum eſt, ut ipſe textus ſacrorum verborum indicat: *Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Inprimìs per ly *Si quid* intelligitur aliquid conducens ad ſalutem animæ, & vitam æternam obtinendam, quia, quidquid animæ nocivum eſt, & ad vitam æternam non ordinatur, in ſe nihil eſt, in ſe vanum eſt. Unde Salomon, poſtquàm omnibûs, quas mundus offert, deliciîs abundè fuiſ-

Eccle. 2. ſet ſatiatus, veriſſimè dixit: *Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis, in omnibus vidi vanitatem, & nihil.* Altera conditio, precibus noſtris annectenda, ſiſtit in eo, ut non quomodocunque, ſed ſemper in nomine Chriſti fiant orationes noſtræ. Unde dicitur non obiter, *ſi quid petiêritis Patrem*, ſed limitatè, *ſi quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Idem vobis hodie dico, Sodales Mariani! Quidquid petitis, per Roſarium accipietis, quia in nomine Chriſti, & B. Virginis cuncta petitis.

N. 2. Poſtquàm Magiſter cœleſtis in varijs jam, quæ ad ſalutem ſpectant, inſtruxerat diſcipulos ſuos, inter alia quoque ijsdem efficacem orandi, & omnia impetrandi modum tradidit, dicens: *Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Per quod duo innuit, ſcilicet & id, quod petendum eſt, & modum, quo peti debet. Bona enim, quæ

S. Auguſt. petimus, ſpiritualia ſint, neceſſe eſt, non verò terrena; ſecùs non

Tract.102. petitur in nomine Chriſti. Ita S. Auguſtinus: *Non petitur in*

in Joan. *nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis.* Et

Theophy- Theophylactus clariùs: *Nullus ex ijs, qui mundana petunt, & ani-*

lact. *mabus damnoſa, in nomine Chriſti petit. Quæ enim ad perditionem*

animæ

animæ pertinent, quomodò dicemus in nomine Salvatoris peti? Hoc eruit Angelicus Doctor noſter ex ipſis verbis, quibûs Apoſtolos orare docuit, dicens: *Si quid petiêritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si quid*, dixit Salvator; quod enim eſt penitùs terrenum, etſi in ſe videatur eſſe aliquid, comparatione tamen ad ſpiritualia nihil eſt. Unde legimus in libro Sapientiæ: *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*, ſcilicet cœleſtis ſapientiæ. Et apud Jeremiam: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil*, puta, in omnibus theſauris ſuis, in purpura & ſceptro, in auro & argento. *S. Thom. Lect. 9. in c. 16. Joan. Sap. 7. Jerem. 4.*

Secundò: Cœleſtis Magiſter modum, quo orare efficaciter oportet, tradidit; tunc enim in nomine Chriſti oramus, quando noſtra merita, & opera unimus meritis, & bonis operibus Unigeniti DEI Filij, eáque offerendô æterno Patri ſupplicamus, qui modus orandi planè eſt efficaciſſimus: Sicut enim opera noſtra bona, piáque exercitia in ſe exigua, modica, & viliſſima ſunt; ita, dum meritis Unigeniti DEI Filij uniuntur, ſicque unita æterno Patri offeruntur, ingentem valorem adipiſcuntur, & quæcunque à DEO Patre obtinent, quia fiunt in nomine Chriſti, id eſt, ait Dionyſius Carthuſianus, per virtutem Paſſionis Chriſti, & merita, quæ pro humana ſalute aſſumpſit, fecit, at pertulit per Incarnationem, obedientiam, & patientiam in Paſſione, per glorioſam à mortuis Reſurrectionem, & Aſcenſionem in cœlum. Nec mirum eſt hoc! Inprimìs enim merita Chriſti ſunt infinita, valoriſque in circumſcripti, theſaurus nunquam deficiens, pretiúmque inæſtimabile. Unde, dum noſtræ preces, bona opera, & pia exercitia ijsdem adunantur, ſicque adunata ad DEUM Patrem aſcendunt, ſuô modô & ipſa quandam infinitatem participant, ad ſummum valorantur, eámque condignitatem communicant, ut ea, quæ petunt, facillimè impetrent. Deinde, ſi per viſibilia argumentari liceat ad inviſibilia, quid inter nos homines communius, quàm ut in gratiam amici vix unquam quidpiam denegemus? intuitu amici petentibus cuncta annuamus? nullum, qui per amicum intercedit, vacuum dimittamus? Quantò ergo magìs miſericordiarum Pater nihil denegabit, precibus noſtris annuet, nullum inconſolatum à ſe dimittet, qui per Filium ejus dilectiſſimum pro gratia ſupplicat? Unde S. Auguſtinus: Quid eſt dulcius, quàm Genitorem in nomine Unigeniti invocare? Patrem in recordatione Filij ad pietatem N. 3. *Dionyſius Carthuſianus. S. Auguſt. c. 5. Medit.*

tem flectere? Regem in denominatione chariſſimæ ſobolis ad miſericordiam movere? Sic enim ſolent rei carceribus eripi, ſic mancipati vinculis liberari, ſic capite damnati nanciſci gratiam, ſic delinquentes famuli evadere ſupplicia dominorum, ſi iratis Principibus dilectæ prolis intimatur charitas, & intervenit dulcedo filiorum. Eſto ergo, in nobis non ſit, unde exaudiamur in precibus noſtris, ſi tamen in nomine Chriſti, per Incarnationem, Paſſionem, & Reſurrectionem Unigeniti DEI Filij oramus, irrita non erit oratio noſtra, ſed ter optatum ſemper conſequetur effectum, dummodò id, quod petitur, ſit ad ſalutem noſtram.

N. 4. Oportet proinde, ut hac in re aſſimilemur Jacob dilecto filio Iſaac, & Rebeccæ. Ubi enim Jacob ex conſilio, & juſſu matris ſuæ conſtituiſſet accedere patrem, & ab eo paternam efflagitare benedictionem, timuit coram patre ſuo comparere, benè gnarus, benedictionis prærogativam ſecundùm ſe non filio ſecundogenito, ùt erat Jacob, ſed potiùs primogenito fratri ſuo Eſau competere. Unde Jacob dixit matri ſuæ: *Nôſti, quòd Eſau frater meus* Gen. 17. *homo piloſus ſit, & ego lenis: Si attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo, ne putet, me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Aſt timorem hunc ſuſtulit Rebecca, quæ noluit Jacob adeò à ſe dilectum in propria qualitate intromittere ad patrem pro petenda benedictione, ſed eundem induit veſtimentîs primogeniti, ſicque transveſtitum ad patrem dimiſit. Seniculo Iſaac, cujus jamjam caligaverant oculi, res primitùs videbatur ſuſpecta; unde dicebat: *Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem, utrùm tu ſis filius meus Eſau, an non?* Ubi tamen poſteà ſenſit veſtimentorum ejus fragrantiam, benedixit illi ſinè mora, inquiens: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi DEUS de rore cœli, & pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini &c.* Idem nos obſervare oportet, quando coram DEO ter Optimo Maximo gratiam petituri comparemus. Ex parte noſtra indigniſſimi exiſtimus, ut poſtulata noſtra ſuum ſortiantur effectum, quia in multis offendimus omnes, &, ſi dixerimus, quòd peccatum non habeamus, veritas in nobis non eſt. Bona noſtra opera aliunde DEO infinitîs titulîs debita ſunt, & ideò in ſe condignitate carent, ut præmium reportent. Neceſſe eſt igitur, ut in perſona, & qualitate Chriſti JEſu Salvatoris noſtri accedamus ad Patrem miſericor-

ricordiarum, merita & opera noſtra uniamus ejusdem meritis Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis. Sicut enim ipſe dicitur *Primogenitus in multis fratribus;* ita ad odorem operum ipſius, & meritorum ſtatim deſcendit ſuper nos benedictio Patris æterni, ídque, quod petitur, accipitur, quia in nomine Chriſti petitur.

Hic ipſiſſimus modus orandi vel maximè proprius eſt Sodalibus ſanctiſſimi Roſarij; illi enim ſunt, qui, quidquid petunt, in nomine Chriſti petunt, id eſt, per merita Chriſti in Incarnatione in prima parte Roſarij, per merita Chriſti in Paſſione in ſecunda parte, per merita Chriſti in Reſurrectione, & Aſcenſione in tertia parte Mariani Pſalterij. Roſariani ſunt, qui, ut benedictione Patris æterni donentur, non in qualitate, & perſona propria accedunt, ſed potiùs transveſtiti in perſona, & qualitate Fratris ſui primogeniti, id eſt, Chriſti JEſu, cujus Myſterijs, & pretio petitiones ſuas valorant còram DEO. Unde nemo dubitet, quin omnia, quæ ſalubriter petunt, impetrent, in omnibus ſuis ſupplicationibus, dummodò aliquid, id eſt, non vana, non temporalia, non nociva poſtulaverint, benevolè exaudiantur. Hujus veritatis ponderoſum argumentum ipſa S. Scriptura ſuppeditat. N. 5.

Nullum ſiquidem, qui vel leviter in S. Scriptura verſatus eſt, latere poteſt, quin inter cæteros Patres veteris teſtamenti orationes, & ſupplicationes Moyſis in conſpectu DEI ſemper fuerint acceptiſſimæ, & efficaciſſimæ. Moyſe orante in medio maris per ſiccum ambulaverunt Iſraelitæ: Moyſe orante Dominus pluit Manna de cœlo: Moyſe orante petra dedit aquam copioſam, & dulciſſimam: Moyſe in monte orante, & levante manus in cœlum, vincebat Iſraël in conflictu Amalec; ſin autem Moyſes paululùm remiſiſſet manus, ſuperabat Amalec: Moyſe orante millenîs vicibûs ira DEI placata eſt, ne deleret populum; ùt paſſim refert S. Pagina. Sed unde precibus, & ſupplicationibus hujus Prophetæ tantus valor, tantum meritum, tanta efficacia? Indubiè ex modo orandí, qui Moyſi erat perquàm familiaris; ut enim ſuis orationibus majorem conciliaret energiam, non nudè, ſed per Patres ſuos Abraham, Iſaac, & Jacob orabat Dominum, hîs verbîs: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël ſervorum tuorum.* Hunc modum orandi etiamnum uſurpant Sodales ſacratiſſimi Roſarij, preces ſuas non quidem in nomine Abraham, Iſaac, & Jacob, benè tamen in virtute illius, qui per Abraham, Iſaac, & Jacob, N. 6.

Exod. 14. *Exod. 16.* *Exod. 17.* *Ibid.* *Exod. 32.*

cob, præfiguratus fuit, valorantes. Abraham figura erat benig-
Gen. 12. niſſimi Reparatoris noſtri in Incarnatione: Sicut enim Abraham ad mandatum DEI ſui egreſſus eſt de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, & venit in terram, quæ ipſi demonſtrata erat, indéque factus eſt in gentem magnam; ita Chriſtus JEſus in Incarnatione ſua à ſummo cœlo egreſſus eſt, reliquit choros Angelorum in domo Patris ſui, deſcendit in uterum Virginis, indéque accrevit in gentem maximam, quæ ab ipſo Authore ſuo Chriſtiana dicitur, totóque orbe diffuſa invenitur. Iſaac denotat Salvatorem noſtrum in Paſſione ſua: Sicut enim Iſaac propriîs humerîs tulit ligna holocauſti ad montem Moria, & ſeſe ſpontè obtulit in victimam; ita patientiſſimus Salvator non recuſavit Crucem ſuam portare ad montem Calvariæ, & in Cruce victima fieri pro univerſo genere hominum. Denique Jacob, ſeu Iſraël ſignificat Redemptorem noſtrum in Reſurrectione à mor-
Gen. 32. tuis, glorioſáque in cœlum Aſcenſione: Quemadmodùm enim Jacob ex Meſopotamia, in qua duram per multos annos ſervitutem ſubiît, tandem lætus reverſus eſt ad domum patris ſui cum duabus turmîs ſervorum & ancillarum, ùt legimus; ita Chriſtus JESUS, poſtquàm per triginta annos formam ſervi tulit in hoc mundo, tandem glorioſus reaſcendit in cœlum, comitantibûs eum duabûs turmîs, Angelorum ſcilicet, & hominum. Si ergo oratio Moyſis adeò fuit accepta, & efficax in conſpectu DEI, quia facta erat in nomine Abraham, Iſaac, & Jacob, qui ſolummodò figura erant pientiſſimi Salvatoris; quàm accepta, quàm efficax ad omnia, quæ petuntur, impetranda erit coram DEO oratio ſanctiſſimi Roſarij, quæ fit in recordatione Incarnationis, Paſſionis, & glorioſæ Reſurrectionis Unigeniti DEI Filij, qui eſt ipſiſſima in Abraham, Iſaac, & Jacob denotata veritas? Si ſola denominatio trium Patriarcharum, qui erant amici DEI ſui, nihil non per Moyſem obtinuit; quid denominatio, & memoria ipſius Unigeniti dilectiſſimi non efficiet apud Patrem omnipotentem in præcipuis Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Myſterijs, quam Roſariani toties renovant, quoties Marianum Pſalterium perſolvunt? Petite ergo,
Carthag. Sodales Mariani, & accipietis; *Altiſſimus enim*, ait Seraphicus
Hom. 3. Mariophilus Carthagena, *non ſuſtinet quidquam denegare iis, quo-*
Arrias *rum in verbis Salutationem Angelicam de cœlo delapſam recognoſcit.*
Roſâ 5. Nec quidpiam, addit doctus Arrias, *opportunius, aut efficacius*

ad

ad obtinenda à divina liberalitate, quæ deſiderantur, bona Roſariô reperitur, quia in eo inprimìs oramus in nomine Chriſti.

Deîn verò in nomine glorioſæ Virginis Mariæ; qui modus orandi ſuâ quoque ſpeciali efficaciâ non caret. Unde eruditus noſter Idiota ſic loquitur: *Non eſt in nullo alio nomine poſt nomen benedicti Filij ſui tam potens adjutorium, aut tanta ſalus hominibus; nomen enim Virginis Mariæ eſt ſuper omnia nomina Sanctorum, reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, ungit agoniſtas, & jugum diaboli extradit: Tantæ eſt virtutis, ut cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant ad ejus pronuntiationem.* Hunc in finem, ut omnes efficacem orationis methodum edoceret S. Bernardus, non dubitavit ſingulis inculcare modum orandi per nomen, & interceſſionem Virginis Mariæ, hîs verbîs: *Quidquid illud eſt, quod offerre paras, Mariæ commendare memento. Si non vis ſuſtinere repulſam, digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura.* Sicut enim in Aulis Principum ij, qui minoris ſunt conditionis, non per ſeipſos audent aucupari gratiam Principis, &, quod poſtulant, obtinere, ſed potiùs per alios, qui voluntate domini potiti ſunt, & pollent potentiâ; ita homines, utpotè viliſſimi terræ vermiculi, per ſeipſos vix à DEO impetrabunt, quod poſtulant, benè tamen intercedente glorioſa cœli Regina, in cujus manu quodammodò voluntas DEI repoſita eſt, & cui data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra. N. 7. *Idiot. Contempl. de B. V. c. 4.* *S. Bernard. de Nativ. B. Virg.*

Hanc ob cauſam, ut Sancti Patres efficaciam orandi per nomen, & interceſſionem Deiparæ Virginis utiliùs, & clariùs ſingulis perſuaderent, varias figuras, ſimilitudines, & hiſtorias adinvenerunt. Alij illud uſurpant, quod S. Scriptura refert. Erat bellum inteſtinum in Iſraël, & magna diſcordia inter Judæos, eoquòd alia pars poſt mortem Regis Saul in Regem ſibi elegiſſent Isboſeth filium Saul; alia verò pars in Regem coronaverat David filium Iſai in Hebron. Diu hoc bellum duraverat, multúmque ſanguinis utrinque fundebatur. Pro Isboſeth ſtrenuè pugnaverant tota vicinia Galaad, Geſſuri, Jezrahel, Ephraim, & Benjamin, quorum ſupremus Bellidux, & Princeps exercitûs erat Abner, jam olim ſub defuncto Rege Saul victorijs, & fortitudine celeberrimus: Pro David verò ſola domus Juda ſteterat ſub imperio, & auſpicijs Joab, quem David in ſuum N. 8. *2. Reg. 3.*

Generaliſſimum ſibi delegerat. Intereà, quia DEO auſpice David indies magìs proficiebat, fiebátque robuſtior, econtra verò domus Saul magìs infirmabatur, & decreſcebat, Abner quoque cum ſuis partes Isboſeth deſerere, & ad caſtra David tranſire decrevit. Unde miſit Abner nuntios ad David, pro ſe dicentes: *Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te univerſum Iſraël.* Nuntios hos benevolè excepit manſuetiſſimus David, amicitiam tamen cum ipſo inire recuſavit, niſi ſub hac expreſſione, ſi ſcilicet Abner Michol filiam Saul ſecum ad domum Regis adduxerit. Unde per nuntios reſcriptum fuit Abner à David: *Optimè: Ego faciam tecum amicitias, ſed unam rem peto à te, dicens: Non videbis faciem meam, antequàm adduxeris Michol filiam Saul: Et ſic venies, & videbis me.* Idipſum quotidie contingit noſtrìs temporibûs. Bellum conti-

Applicatio. nuum agitur inter Principes tenebrarum harum, & inter Regem regum, Dominúmque dominantium JESUM Chriſtum. Plurima turba caſtra diaboli ſequitur, peccata peccatîs cumulandô, rurſúmque Chriſtum JESUM ſceleribûs ſuîs ſibi crucifigendô: Puſillus verò eſt grex eorum, qui Regi æterno adhærent, quibúsque complacuit Patri cœleſti dare regnum. Si ergo aliquis peccator DEO miſerente incipiat meliùs ſapere, caſtra Principis tenebrarum relinquere, partes Chriſti corde contrito amplecti, gratiámque Patris æterni inire, ſuadent ſancti Patres, ne ſolus accedere audeat, ſed potiùs meminerit, Mariam, dilectiſſimam Divini Regis Filiam, ſecum adducere, per nomen, & interceſſionem illius reconciliationem, & amicitiam implorare; idem enim, quod David ad Abner, eſt reſponſum benigniſſimi Numinis ad quemque peccatorem: *Optimè: Ego faciam tecum amicitiam, ſed unam rem à te peto, dicens: Non videbis faciem meam, antequàm adduxeris Michol*, id eſt, Mariam: *Et ſic venies, & videbis me.*

N. 9. Ex alio fonte efficaciam orandi per nomen, & interceſſionem

Hugo à S. Charo. Virginis Mariæ deducit noſter Purpuratus Hugo à S. Charo, nempe ex illo, quod factum legimus in monte Calvariæ, ubi Chriſtus in Cruce fuit mortuus. Jam eò res erat, ut patientiſſimus Salvator in manus Patris ſui æterni traderet ſpiritum, opúsque ſuum, quod pro redemptione humana inchoaverat, in Cruce finiret, & conſummaret. Hunc in finem ultimatim pro crucifixoribus, eo-

rúm-

rúmque nomine pro univerſo genere mortalium orare cœpit ad Patrem, dicens: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Aſt, quia nimia erat malitia hominum in terra, & omnis caro corruperat viam ſuam, preces Filij DEI ſuum ſtatim non ſortiebantur effectum, advertit Hugo, ſed potiùs aliud, ut exaudirentur, tempus exſpectandum erat. Unde, qui orabat, exclamavit, & dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me!* Ne tamen exinde contriſtaretur homo, aut puſillanimis deſponderet animum, non defuit pientiſſimus Salvator, quin aliam edoceret methodum, ut precibûs à ſe factîs acceleraretur efficacia impetrandi, non quidem ex eo, quaſi preces ipſius non fuiſſent efficaciſſimæ, ſed potiùs ex eo, ut dignitatem dilectiſſimæ Matris ſuæ toti orbi manifeſtaret: Propterea, ùt notat prædictus Hugo, *inclinato capite tradidit ſpiritum;* & quidem inclinato capite verſùs latus illud, quo ſub Cruce ſteterat amantiſſima Genitrix ejus, quodammodò innuens, quidquid in nomine, & per interceſſionem ejus forent petituri homines, à ſe, & à Patre ejus fore exaudiendum in cœlis: Dum enim inclinavit caput ad partem Matris ſuæ dilectiſſimæ, ait Hugo, dicere voluit: *Per ipſam veniam petite, ipſa eſt Oraculum miſericordiæ, ſi per me illicò nihil impetrare poteſtis.*

Ulteriùs, ut efficaciam orandi in nomine, & per interceſſionem Beatæ Virginis palàm faceret, progreſſus eſt Sanctus noſter Vincentius Ferrerius, qui non minùs verbo, quàm opere potens, dum conſiderat ea, quæ Petrum inter, & Judam facta ſunt, magnam ſubtiliter annotat rerum differentiam, exitúſque finalis diſcrepantiam. Uterque Apoſtolus graviter peccaverat, Petrus negandò Magiſtrum ſuum, & quidem ter, addendô etiam juramentum, quòd non noviſſet hominem iſtum; Judas verò tradendô ſanguinem juſtum, & oſculô pacis conſignandô Filium hominis in manus inimicorum. Judas, poſt peccatum ſuum de miſericordia divina deſperans, abiît, laqueô ſe ſuſpendit, & crepuit medius. Petrus foras egreſſus flevit amarè, peccatum ſuum diluit, & non habuit, ut de aliquo contriſtaretur ampliùs in mundo; quod ex illo deducit S. Vincentius Ferrerius, quod in Actibus Apoſtolorum regiſtratum invenimus. Gravem tunc Petrus ab Herode patiebatur perſecutionem; poſtquàm enim Herodes occidit Jacobum fratrem Joannis gladiô, & vidit, quia

N. 10. *S. Vincent. Ferrer. in Feſt. S. Petri ad Vincul.*

Act. 12.

placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderet & Petrum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum. Jam dies mortis conſtituta erat, ultima nox advenerat, qua elapſa in Petrum gladiô animadvertere decreverat Herodes. Aſt non contriſtabatur Petrus, non timebat mortem, ne leviſſimè quidem edictô, & ſententiâ mortis, in ſe latâ, movebatur, ſed potiùs, ait S. Pagina, *erat dormiens inter duos milites, vinctus catenîs duabûs*, lætus, jucundus, totus exhilaratus. Sed unde in Petro tanta conſolationis gratia, in Juda tam alta deſperationis abyſſus? unde in Petro digni pœnitentiæ fructus, in Juda turpis in peccato obſtinatio? unde in Petro dulcis mentis hilaritas, in Juda tam horrendi conturbationis motus? Petrus ad Mariam confugit, ait S. Vincentius Ferrerius, & S. Gregorius Nazianzenus, in nomine, & per interceſſionem glorioſæ Virginis peccati ſui veniam obtinuit: Judas verò ad Mariam venire noluit; ideò nec remiſſionem obtinuit. Petrus in carcere ſecurus dormiebat, quia pro eo Maria, & Apoſtoli ad DEUM orabant; Judas plenus timore, totus conturbatus continuîs jactabatur deſperationis motibûs, quia averſatus eſt, ut Maria pro eo intercederet. Petrus in nomine Mariæ, tanquam communis omnium peccatorum Refugij, quod petiit, impetravit; Judas nullam gratiam adeptus eſt, quia ad Mariam venire intermiſit. Tanti refert, ut in nomine, & per interceſſionem glorioſæ DEI Genitricis preces noſtræ innoteſcant apud DEUM, qui, teſte S. Bernardo, nos nihil habere voluit, niſi quòd per manus Mariæ tranſiret.

S. Vincent. Ferrer. *S. Gregor. Nazianz.* *S.Bernard.*

N. 11. Confidite ergo, Sodales Mariani! læti, & ſecuri exſpectate deſideratum orationis veſtræ fructum, abundè ſemper habebitis, quod ſalubriter petitis, quia vos eſtis, qui in nomine, & per interceſſionem B. Virginis orare conſueviſtis. Vos eſtis, qui millies, & millies verba illa dulciſſima repetitis: *Sancta Maria, Mater DEI, ora pro nobis.* Vos eſtis, quibus idipſum glorioſa cœlorum Regina promittit, quod olim ſanctiſſimi Roſarij Zelatori eximio promiſit, S. noſtro Hyacintho, hîs verbîs: *Gaude, fili Hyacinthe! quia orationes tuæ gratæ ſunt Filio meo, &, quidquid per me petiêris, impetrabis.* Vos eſtis, quos hîſce conſolatus eſt verbis doctiſſimus Loppezius: *Hæc eſt ſumma Virginis dignitas, & pietas, quòd ſacri Roſarij precibûs multa poſſumus*

Loppez. in Feſto Roſarij.

per

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

per ipſam exſpectare beneficia, ſi ſanctæ huic devotioni rectam conjungamus mentem, & vitam, ſi illius fuerimus imitatores, cujus ſumus laudatores, & ſervi, & Confratres. Marianum enim Roſarium, addit Carthagena, *mirabilī vī impetrativā gaudet ad obtinendum à Chriſto, quidquid petiērimus nomine Matris ejus.* Ut propterea Mariæ in Roſario fermè id competat, quod Annales referunt in vita Alexandri Magni. Poſtquàm enim inviſtiſſimus iſte Princeps nedum integrum Darij Regis Perſarum fudit exercitum, ſed inſuper & ipſum Regem, & uxorem, & filias ejus in ſuam poteſtatem captivos recepit, nobiles captivos ſuos unà cum Epheſtione, quem Alexander inter omnes amicos chariſſimum habuit, quadam die inviſit, blandéque alloqui cœpit. Contigit ergo error, ut Darius, qui Alexandrum nunquam noverat, Epheſtioni primum honorem detulerit, & in miniſtro Majeſtatem regiam venerari cœperit. Nec Alexander hoc malè tulit, ſed potiùs, ubi Darius, errore cognito, veniam rogavit, ei manſuetiſſimè reſpondit, dicens: Non errâſti, quia Epheſtio eſt unus Alexander, & Alexander unus Epheſtio. Rectè Epheſtionem pro vita rogâſti; nam tu hoſtis meus es, ego judex tuus ſum: In manu Epheſtionis ſalus tua, vel mors tua abſcondita latet, id eſt, quidquid per eum, utpotè amicum meum dilectiſſimum, oraveris, non tibi denegabitur. Simile quid Mariæ in Roſario aſſerere licet; cùm enim ſit in Roſario amica DEI ſpecialiſſima, quidquid per eam petimus, læti obtinebimus.

Carthagen. Hom. 3.

Annal. in Vit. Alexand. M.

Hiſtoria.

FLorentiæ vivebat tempore S. Patris Dominici mulier genere nobilior, quàm moribus. Etenim ex inordinato parentum amore, qui, ùt fieri aſſolet, filiæ ſuæ dilectæ omnia connivebant, à juventute ita in omni vitiorum nequitia diffluebat, ut publica in urbe peccatrix paſſim diceretur. Benedicta (ita erat nomen puellæ) olim venerat ad concionem Sancti Dominici, & tonitru verborum ejus ſubitò compuncta contrito corde Sancto Patri confitebatur peccata ſua, acceptô ab eo hôc ſaluberrimô conſiliô, ut contra relapſum firmiſſimam ſpem poneret in Beata Virgine Maria, cunctorum peccatorum potentiſſimo Refugio.

 Aliam

Aliam pœnitentiam peccatis Benedictæ graviſſimis condignam addidit ipſe DEUS, ubi pœnitens per annum data fuit poteſtati dæmonis, eam obſidentis, & dirè torquentis. Annus abiît, & per Sanctum Dominicum Benedicta ab hoſte maligno liberata fuit, hac tamen conditione, ut indies diceret Roſarium in honorem JESU, & MARIÆ. Aſt, ô fragile humanæ mentis propoſitum! Paucîs abhinc diebûs puella, & propoſiti ſui, & injuncti Roſarij oblita, rediît ad vomitum, usquedum denuò à S. Patre ad frugem revocata, longè autem vehementiùs à dæmone obſeſſa, diu, noctúque acerrimè divexata fuit. Terribile erat hanc miſeram videre: Modò ſpumabat; modò manibûs, pedibúsque furebat; modò allidebatur terræ; modò ſtridebat dentibûs; modò ad humum inflectebatur; modò mille aliìs tormentîs concutiebatur: Verùm ſalubre in his malis Benedictæ præſcripſit remedium S. Dominicus, nempe frequentem ſacri Roſarij recitationem, & repetitam ſanctiſſimorum Nominum *JESU*, & *MARIÆ* invocationem. Nec ſinè fructu! Quoties enim Benedicta præcitata ſacratiſſima Nomina pronuntiabat in Roſario, toties infeſtationes dæmonum ceſſabant, dolores minuebantur, mens exhilarabatur. Et nondum ſatìs! Eò ſucceſſu temporis devenit Benedicta, ut, quidquid in Roſario per Nomina *JESU*, & *MARIÆ* petere cœpit, optatiſſimo quin conſequeretur effectu, nunquam dubitare potuerit, exinde ad illud virtutis faſtigium enixa, ut, quæ paulò ante in civitate erat proſtituta peccatrix, facta fuerit præclariſſimum Sanctitatis prototypon. Joannes Carthagena Lib. de Mirac. B. V. §. 115.

SER-

SERMO VIGESIMUS SEPTIMUS.

Dominica infra Aſcenſionem.

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. *Joan. 16.*

Per meditationem SS. Myſteriorum, & aſſiſtentiam Reginæ ſacratiſſimi Roſarii confortantur Sodales in anxietatibus ſuis.

TRiſtia hodie augurabatur Chriſtus diſcipulis ſuis, nempe perſecutiones, tribulationes, & contemptum mundi, dicens: *Absque Synagogis facient vos.* Id eſt: Eijcient vos extra ſynagogas & templa ſua, reputabunt vos indignos, qui cœtui illorum aggregemini, perſequentur vos de una civitate in aliam. Hoc abundè poſteà experti ſunt Apoſtoli, ubi ejecti extra civitates, amandati à cœtibus populi, repulſi à conventu, & congregationibus plebis, propter metum Judæorum vix audebant in foro apparere, ſed potiùs occluſi in domibus ſuis omnium peripſema facti ſunt. Pergit ulteriùs amantiſſimus Salvator: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare DEO.* Quaſi diceret: Eò devenient adverſarij veſtri, ut non contenti, vos verberibûs, vinculîs, & ludibriîs affeciſſe, lapidibûs obruiſſe, gladiô peremiſſe, fullonibûs occidiſſe, ſed inſuper credituri ſint, honorificum ſe præſtitiſſe opus, ſi vos violenta morte trucidârint, & vel Dijs falſis, quos colebant gentiles, vel N. 1.

DEO

DEO vero, quem colebant Judæi, in ſacrificium obtulerint. Hoc craſſo errore obcæcatus erat inprimìs Paulus, dum adhuc nominabatur Saulus, qui, dum lapidabatur S. Stephanus, magnum ſibi comparare meritum ſperabat apud DEUM ſuum, ſi ſua quoque impiæ lapidationi deferret ſervitia, non lapides jaciendô (erat enim adhuc imbecillis parvulus) ſed veſtimenta lapidantium cuſtodiendô. Ex eodem errore ductus eximium pro divino numine opus ſe aggredi credebat Saulus, ſi recentes Chriſticolas immortalî perſequeretur odiô, & hujus viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Jeruſalem. Saulo non diſſimiles erant illi, qui in ipſum, jam Paulum effectum, nedum conjurârunt, ſed inſuper votum fecerunt DEO ſuo de morte Pauli, dicentes Principi Sa-
Act. 23. cerdotum: *Devovimus nos nihil deguſtaturos, donec occidamus Paulum.* Aſt hæc augurandô Magiſter cœleſtis non defuit, quin etiam mœſtis diſcipulis ſolatium ſuperadderet, animúmque inſpiraret ad fortiter hæc omnia toleranda, dicens: *Hæc locutus ſum*
B. Albert. *vobis, ut non ſcandalizemini*, id eſt, ait noſter Albertus Magnus, ut
M. hîc. non conturbemini, ut vis, & robur mentis veſtræ non enervetur, ut inconcuſſum animum ſervetis.

N. 2. Sodales Mariani! Quod prædictum hodie fuit diſcipulis, idipſum nobis omnibus infallibilî vaticiniô innotuit ex ſacra Scriptura, ubi inprimìs dicitur: *Multæ tribulationes juſtorum.* Secun-
Pſalm. 33. dò: *Fili accedens ad ſervitutem DEI, præpara animam tuam ad*
Eccli. 2. *tentationem.* Tertiò: *Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto,*
2. Timoth. 3. *perſecutiones patientur.* Adeò hoc verum eſt, ut aliter Virginem Euſtochium de anguſtijs conquerentem conſolari non voluerit S.
S. Hieron. Hieronymus, quàm hîs verbîs: *Quis Sanctorum ſinè certamine*
ad Euſtoch. *coronatus eſt? Abel juſtus occiditur, Abraham periclitatur uxorem amittere, & ne in immenſum extendar, quære, & invenies, ſingulos adverſa fuiſſe perpeſſos.* At hæc, Sodales Roſariani! dicta ſunt, ut non ſcandalizemini, id eſt, ut non conturbemini, ut vis, & robur mentis veſtræ non enervetur, ut patientiâ non excidatis, dum obvenerint; in Pſalterio enim Mariano per meditationem ſacrorum Myſteriorum, & per aſſiſtentiam Auguſtiſſimæ Roſarij Reginæ ſemper confortabimini in anguſtijs veſtris.

N. 3. Qualiter juſti tribulationibûs, & ærumnîs divexentur in hoc mundo, ut exemplo eſſet omnibus, ſenior Tobias ſpecialiter videtur à DEO fuiſſe delectus. Tobias ſincerè intendens cultum DEI ſui,

ſui, totam vitam ſuam non niſi orationibus, eleemoſynis, aliisque pijs operibus, nominatim autem ſepulturæ mortuorum, conſecraverat, propterea ab ipſa Scriptura hîs encomiîs celebratus: *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, dividebâtque unicuique, prout poterat, de facultatibus ſuis: Eſurientes alebat, nudíſque veſtimenta præbebat, & mortuis, atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat.* Aſt de his pijs operibus aliam mercedem Vir DEI non retulit, niſi quòd, juſſus à Rege Sennacherib occidi, ægrè tandem ſe, filium, uxorémque ſuam per occultam fugam ſalvaverit, omni ſubſtantiâ ſuâ in manu Regis derelictâ. Inſufficientia tamen erant hæc, ut vel in minimo terrerent Tobiam, quin paulò poſt eadem miſericordiæ opera pro poſſibili reaſſumeret, quidquid minarum ſuperadderet Rex, & in contrarium ſuadere pergerent noti, & amici, hîs verbîs: *Jam hujus rei causâ interfici juſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterùm ſepelis mortuos?* Et quid exinde præmij? Sanè non aliud, niſi quod tribulationem exciperet tribulatio. Quadam die Tobias plùs timens DEUM, quàm Regem, à ſepultura mortuorum oppidò defatigatus, domum revertitur, feſſis membris quietem concedit, & dulciter obdormiſcit. Et ecce! de nido hirundinum calida obdormiſcentis oculis incidunt ſtercora, quibûs Vir juſtus in inſtanti amborum privatur uſu oculorum, ex integro cæcus, & miſer; & quidem, ut acutè advertit eruditus Lyranus, non ſinè ſpeciali Divinæ Providentiæ ordinatione, hæc adverſa de novo Tobiæ immittentis. Inprimìs enim Lyranus nullatenùs ſibi perſuadet, ſtercus hirundinum ejus eſſe malignitatis, ut de ſe ſit cauſa obcæcandi, ſed potiùs credit, illud ſtercus ex virtute ſua intrinſeca eſſe peraccomodum, ut purificet humores noxios, tollátque lipitudinem oculorum. Secundò: Nemo non mirabitur, quî factum fuerit, ut dormiens Tobias viſum amiſerit per ſtercus hirundinis, quia abundè notum eſt, nos non apertîs, ſed clauſìs dormire oculîs; clauſos autem oculos per incidens ſtercus fuiſſe læſos, vix eſt perceptibile. Unde non cauſæ naturali, ſed unico divinæ ordinationis arbitrio adſcribenda venit inopinata hæc cæcitas. Quid autem hoc rei cœlorum Domine? ſiccíne mercedem tribuis devotè tibi ſerventibus? ánne hoc præmium famulorum tuorum? itáne tuis dilectis tribulationem ſuper tribulationem accumulas? Quòd Sodomitas igne de cœlo delapſo interfeceris, congruum

Tob. 1.

Lyran. hîc.

erat, ne impudicitijs ſuis vacarent enormiùs: Quòd impuri illi lenones, qui fores Loth effringere conati ſunt, ut adoleſcentibûs abuterentur, ſubita cæcitate percuſſi fuerant, nemo miratur, quia, ut cæcutiat Cupido, conſuetum eſt: Quòd utroque lumine privaveris impios illos, qui, ut caperent Eliſæum, unitîs viribûs, & conſiliîs abiêrunt, omnes approbant, quatenùs ſic Vir DEI manus hoſtium ſuorum illæſus evaſit: Sed quòd ille cæcus, & miſer ingemiſcat, contriſtetur, & contabeſcat, qui pro nomine, pro tua gloria, & honore tot labores exantlavit, toties defatigatus fuit, tantum deſudavit, mirabile eſt in oculis noſtris, peregrinum in auribus noſtris, terrificum in cordibus noſtris. Sed nunquid tandem erit arumnarum in Tobia finis? Minimè! Afflicto major adhuc eſt addenda afflictio. Non ſupererat miſero ampliùs, niſi ſolatium cognatorum, & dilectiſſimæ uxoris ſuæ; & hôc ſimul orbari debuit: Ait enim S. Pagina: *Nam ſicut Beato Job inſultabant Reges, ita iſti parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas* - - Imò *& uxor ejus irata reſpondit: Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt*, ubi ſcilicet non alia, niſi cæcitas, in mercedem tibi ceſſit. Hæ erant tribulationes juſti Tobiæ, hæ erant tribulationes mille aliorum virorum juſtorum, hæ etiamnum ſunt tribulationes illorum, qui piè volunt vivere in Chriſto.

Tob. 2.

N. 4. Sed, ô Roſariani! hæc prædixi vobis, ut non conturbemini, ut robur mentis veſtræ non enervetur, ut inconcuſſum animum in ſimilibus contingentibus ſervetis, quia obvium reſpirationis, & confortationis medium in cunctis adverſis ad manum habetis, nempe Marianum Pſalterium, & in eo ſanctiſſima Vitæ, Mortis, & Gloriæ Chriſti Myſteria, de quibus jam dudùm effatus eſt S. Gregorius, quod frequenter recogitata, efficaciter ruminata, maturè ad memoriam revocata ejus ſint virtutis, ut nihil adeò durum ſit, quod intuitu eorum non æquanimiter toleretur. Nec mirum hoc ulli videbitur: Si enim ſolatium eſt miſeris, ſocios habuiſſe doloris; ſi turpe eſt, ſervum delicatum nolle conſequi per ardua viarum, quæ animoſè jam ſuperavit dominus ejus, & moroſè conqueri de occurrente aliqua difficultate, quam jucundè exantlavit herus; an non turpiſſimum foret, nos Roſarianos, qui in Myſterijs ſanctiſſimi Roſarij contemplamur Dominum noſtrum JEſum Chriſtum.

S. Gregor.

ſtum à juventute fuiſſe in laboribus, in doloribus, in cruciatibus, nolle per eandem crucis viam intrare in gloriam DEI, per quam intrare oportuit Salvatorem noſtrum? annon in opprobrium perpetuum cederet nobis, ſi nimìs delicatuli, quidquid aſperum in hac vita occurrit, averſaremur, & longiſſimè à nobis amotum cuperemus, aſpicientes in myſterijs ſanctiſſimi Roſarij, quomodò Rex cœli & terræ non, niſi ut pateretur, naſci voluerit, lubens, & volens humeros ſuos Cruci ſuppoſuerit, non niſi in Cruce mori dignatus fuerit? Hæc benè perpendit mulier illa, cui, dum penitùs preſſuris hujus mundi immerſa ægrè trahebat ſpiritum, quidam amicorum imaginem Crucifixi in manus dedit, & dixit: Roga Dominum iſtum, qui pro te tot labores paſſus eſt, ut te à tuis hiſce doloribus liberare dignetur; fortiter illa reſpondit: Qua fronte poſſum poſtulare ab eo, ut meos à me tollat dolores, qui tot, tantósque ferens labores pro me à maximis ſuis doloribus noluit liberari; & ego pro ipſo leves has non feram cruces? ego liberari ab ipſo petam? Abſit! Patior libenter pro eo, qui pro me majores incomparabiliter dolores paſſus fuit. Idem indubiè reſpondebimus, ſi ſedulò in meditatione Vitæ, Mortis, & Gloriæ Redemptoris noſtri exercebimur. Hæc enim meditatio eſt fortiſſima armatura *1. Pet. 4.*
contra omnes adverſitates. Unde D. Apoſtolus Petrus: *Chriſtô S. Damaſc.*
in carne paſſô, & vos eadem cogitatione armamini. Eſt baculus *L. 4. Fid.*
ſuſtentans, ne in via crucis ſuccumbamus. Unde S. Damaſcenus: *c. 12.*
Infirmus, qui pedibûs ſe continere non poteſt, baculo innixus incedit. S. Auguſt.
Eſt medicamentum confortans, ne ingraveſcant morbi animorum. *Serm. 23.*
Unde S. Auguſtinus: *Nihil tam ſalutiferum nobis eſt, quàm cogi- ad Patr. in*
tare, quanta pro nobis pertulit DEUS & Homo. Erem.

Hoc ipſe clementiſſimus DEUS videtur nobis oſtendiſſe in N. 5.
figura quadam. Egreſſi erant filij Iſraël de mari rubro, gratiíſque *Exod. 15.*
condebitîs DEO altiſſimo peractîs, quòd tam miſericorditer eos per vadum maris traduxiſſet, equo, & aſcenſore, Pharaone perſequente, & exercitu ejus in mare dejecto, venerunt tribûs diebûs per ſolitudinem, & non inveniebant aquam. Motîs proinde denuò caſtrîs venerunt in Mara, ubi magnam quidem inveniebant copiam aquarum, & fontes uberrimos, at ita amaros, & falſos, ut ne labiîs quidem extremîs quidquam aquæ delibare poterat populus, ſitî jam pænè enecatus. *Unde murmuravit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus?* Moyſes, partim compaſſione ſitien-

tientis populi motus, partim ad ſedandum in plebe murmur ſolicitus, clamavit ad Dominum, non dubitans, quin ille, qui paulò ante ſiccîs pedibûs populum ſuum transportaverat per mare rubrum, nunc quoque ſitientes in deſerto dulcî aquarum fluentô potare dignaretur. Et benè. Sicut enim pientiſſimus DEUS ſuis nunquam deeſt in neceſſitatibus; ita Iſraëlitis penuriâ aquarum preſſis mox adeſſe voluit, dulcem, quam petebant, aquam ſuppeditandô. Apparuit enim Moyſi, & oſtendit illi lignum, quod *cùm miſiſſet Moyſes in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Simile quid hodiedum contingit nobis viatoribus, qui non habemus hîc manentem civitatem, ſed peregrinamur à Domino, & proficiſcimur ad terram deſiderabilem cœleſtis patriæ, transeuntes per deſertum hujus mundi, venientes tribûs diebûs, id eſt, in juventute, in adulta ætate, & in ſenectute per ſolitudinem, nec invenientes
Pſalm. 62. aquas conſolationis; eſt enim mundus præſens *terra deſerta, & invia, & inaquoſa.* Ambulamus per ſiccum, areſcunt corda, & ora, quia vera nullibi habetur conſolatio; ſola aqua amara frequenter occurrit, id eſt, multiplices tribulationes, & anguſtiæ in hac lachrymarum valle. Aſt nauſeant labia noſtra ſuper hanc aquam, nolunt eam vel leviſſimè attingere, averſantur amaritudinem, & parùm abeſt, quin multi in murmura, in querelas, in ejulatus erumpant, cœlum & terram, DEum & homines inculpantes. Verùm abſit à vobis hoc, ô Roſariani! clamate potiùs ad Dominum cum Moyſe; & ecce! oſtendit vobis lignum, quod cùm miſeritis in aquas, in dulcedinem vertentur; lignum, enim hoc, ait
S. Antonin. noſter S. Antoninus, eſt lignum vitæ Chriſti, eſt lignum Crucis, quod miſſum in aquas tribulationis tollit amaritudinem, affert dulcedinem, demit ariditatem, Lignum hoc oſtenditur nobis in Pſalterio Mariano toties, quoties Myſteria Vitæ, Crucis, & Gloriæ Chriſti meditamur. Expertus hoc eſt B. noſter Henricus Suſo, qui penitùs abſorptus in amaritudine, & triſtis ſedens in cella ſua audivit vocem de cœlo: *Surge, & meam Paſſionem devotè pertracta, & in amaritudine mea* tuum dolorem vinces. Surrexit, & vicit. Expertus eſt hoc ille in Speculo Exemplorum, cui apoſtatare volenti apparuit Chriſtus, Latus diſcooperuit, Sanguinem effluentem oſtendit, jubens, ut reverteretur ad monaſterium ſuum, & in poſterum, quidquid amarum occurret, in Sanctiſſimum Latus ſui Salvatoris intingeret. Reverſus eſt, & omnis amaritudo mutata fuit in dulcedinem.

Eò

Eò autem certiùs Roſariani per meditationem S. Myſterio- N. 6.
rum confortantur in tribulationibus ſuis, quò ſecuriùs ſemper confidere poſſunt in ſimultaneam aſſiſtentiam dilectiſſimæ Matris ſuæ, & Reginæ ſacratiſſimi Roſarij, quæ communî elogiô, nec ſinè cauſa, vocatur *Conſolatrix afflictorum, Salúsque infirmorum.* Si *S. Ignat.* enim, teſte S. Ignatio, hæc miſericordiſſima Mater, adhuc degens *Epiſt. 1.* in terra, miſeris & afflictis condolebat afflicta, cum infirmis infirmabatur, lachrymantibus collachrymabatur, nec ſegniter univerſis ad eam venientibus ſubveniebat; quid ſpei, quid auxilij, quid ſolatiij nunc de ea univerſi, ad illam confugientes, concipient, ubi ſuper omnes cœlos exaltata recepit omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, ſimúlque communis miſerorum Advocata conſtituta eſt in æternitate? Quid roboris, quid protectionis ſperare poterunt illi, quos ipſa amantiſſima Mater ſuos dilectiſſimos filios, & filias vocitare jam ſæpiùs dignata eſt, nempe Roſariani? nunquid enim Mater oblivіſci poterit filij ſui? nunquid Mater afflictatam deſeret filiam ſuam? Hac de cauſa non minùs nervoſè, quàm conſolatoriè ſcripſit, qui, conſiderandô Reginam ſacratiſſimi Roſarij in ordine ad Clientes ſuos, comparavit eam aquilæ delapſæ de cœlo, quæ ſuum miraculoſè præſtitit patrocinium Sancto Medardo, ùt legitur in vita ejus. *In vit. S. Medard.* Cùm enim S. Medardus adhuc puerulus quadam die gravem ſuorum parentum indignationem incurriſſet, eoquòd non duntaxat in pauperes liberalis, ſed potiùs prodigus, & diſſipator bonorum paternorum cuidam viatori generoſum equum dono dediſſet, DEUS inſolitô prodigiô innocentiam pueri protexit hoc modo. Cùm námque puerulus, ut iram genitorum ſubterfugeret, clàm à domo paterna effugiſſet, & intereà per famulum vocaretur ad prandium, ſervus, qui miſſus venerat, totus attonitus eminùs proſpexit puerum currentem per campos, &, quia imber denſiſſimus ingruebat, citato paſſu latebras quærentem. Et ecce! Aquila grandium alarum ſubitò ſeſe dimittebat ſuper caput parvuli, ſicque currentem volitandô comitabatur, & expanſis alis ſuis protegebat, ut nec in minimo ab injuria pluviarum læſus fuerit, aut moleſtatus. Vidit hæc famulus, & celerrimè ad cœnaculum revertitur, ut, quod mirum ſuìs oculìs notaverat, id & parentibus, & toti familiæ ſinè mora denuntiaret. Concurrunt omnes, catervatim ruunt ad feneſtras, &, quem auditu perceperant, continuatum aquilæ ſuper puerum volatum

propriîs intuentur oculîs. Aquilam magnarum alarum jam dudùm intitulavit Reginam cœlorum B. Bernardus, quia inſtar aquilæ volitare conſuevit ſuper Clientes ſuos, eóſque, ne lædantur, protegere ſub umbra, & patrocinio pennarum ſuarum. Imbres frequenter ruunt, cœlum obducitur nubibûs, abſconditur ſol, ingruunt tenebræ, & ſicut in Annalibus legimus, olim pluiſſe cruces, lapides, ſanguinem &c. ita & nunc non raró in mente hominis obſcurata, & obnubilata non niſi cruces, non niſi lapides tribulationum depluere videntur.

S. Bernard. Serm. 2. in Salve Reg.

N. 7. Aſt injuriam harum pluviarum non timent, nòn ſentiunt, aut ſi ſentiant, non læduntur Roſariani; Maria in Roſario ſuper eos volitat, eos protegit, eos obvallat, & munit. Ita eruditus Pepinus hîs verbîs: *Bonum eſt Roſarium habere in manibus, & devotè illud recitare, cùm homo timet adverſa, & maximè, ſive immineant pericula latronum, ſive fluminum, ſive ignium, ſive beſtiarum, ſive quorumcunque aliorum adverſorum.* Ita Marianus Scriptor Cornelius Snekis: *Per Roſarium Servuli Virginis in tentationibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in omnibus denique proſperis, & adverſis, DEI, & ſuæ Sanctiſſimæ Matris ſolatium, & conſilium ſibi adeſſe comprobabunt.* Ita ipſa B. Virgo ad B. Alanum, dum inter alios fructus Roſarij enumeravit *conſolationem triſtium & dolentium, ſimúlque à communibus tribulationibus hujus mundi liberationem.*

Pepin. in Proœm. Serm. Roſ.

Corn. Snekis Serm. 18. Serti Roſac.

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 17.

N. 8. Et hæc probabiliter eſt cauſa, cur glorioſa cœlorum Regina ſeipſam comparaverit Platano: *Quaſi Platanus exaltata ſum juxta aquam in plateis.* Quemadmodùm enim tres præcipuè ſunt qualitates, quibûs præ alijs arboribus inſignitur Platanus; ita tria potiſſima ſunt elogia, quibûs B. Virginis in Roſario commendatur protectio ſuper Clientes ſuos. Inprimis, teſte noſtro Hugone, Platanus, quot progerminat folia, tot exhibet ſcuta, quia omnia folia ejus formata ſunt inſtar ſcutorum. Idem competit Sanctiſſimæ Deiparæ in Roſario. Quis enim neſcit, in Mariano Pſalterio tot exhiberi ſcuta, quot folia, id eſt, tot contra univerſas adverſitates auxilia, quot Salutationes Angelicæ in eo numerantur; Salutatio ſiquidem Angelica, ait D. Bernardus apud B. Alanum, eſt ſcutum, quo ignea tela nequiſſimi hoſtis infernalis eliduntur, & vincuntur cuncta adverſa. Scutum inter cæteram armaturam præſtantiſſimum erat antiquis; cùm enim lis oriretur, quod armorum

Eccli. 24.

Hugo à S. Charo.

S. Bernard. ap. B. Alan.

morum genus utiliſſimum foret contra inſultus hoſtium, primitùs quidem tot erant ſententiæ, quot capita. Hi loricam, alij gladium, nonnulli galeam, alij lanceam, plurimi acinacem præ cæteris extollebant; in fine tamen unanimis fermè erat conſentientium concluſio, ſcutum inter totam armaturam eſſe præclariſſimum, eoquòd generoſi milites nullo non tempore integrum ſuum robur & in ſcuto poſuerint, & probroſius non habuerint, quàm ſinè ſcuto ex prælio redire. Idem ut affirmetur de ſcuto ſanctiſſimi Roſarij in ordine ad alias orationes, nihil obſtat; ſi enim ex me quærat aliquis, quod ſit contra adverſitates idoneum remedium? ſuam ut cunctis orationibus attribuam energiam, & virtutem, neceſſe eſt. Ait enim S. Jacobus Apoſtolus: *Triſtatur aliquis veſtrûm, oret.* Aſt primas hac in efficacia partes facilè tenet oratio Mariani Pſalterij; illa enim, teſte Auguſtiſſima cælorum Domina ad B. Alanum, *eſt contra omnia adverſa remedium præſentiſſimum.* Illa eſt, teſte eadem B. Virgine ad Mariam Sanchez, ùt refert Flaminius, *proprium orandi genus ad mala, pœnásque avertendas.* Illa eſt, qua, teſte Franciſco Coſterio, *inter omnia veræ pietatis exercitia nihil præſtantius, nihil DEO gratius, nihîlque homini utilius, & neceſſarium invenitur ob aſſiduam in Roſario Vitæ, & Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti meditationem.*

Jacob. c. 5. *B. Alan.* *Flaminius Dom. 8. poſt Trin.* *Franc. Coſterius L. 1. Chriſtian. Inſtitut. c. 26.*

Secunda Platani prærogativa ea eſt, quòd eminentiſſimo quodam modo dicatur foliorum ſuorum dilatatione obumbrare, & recreare, quicunque in umbra ejus refocillationem quærunt. Unde doctiſſimus Abbas Ferrus Platano Lemma addidit: *Obumbrat, & recreat;* adeò quidem, ut priſcîs temporibûs gentiles libertatem ſub umbra Platani ſeſe recreandi pecuniîs emiſſe memorentur. Aſt longè dulciùs Clientes Mariani ſub umbra benigniſſimæ Matris ſuæ lætificantur, & confortantur. Ita S. Bonaventura: *O quàm benè ſub umbra alarum tuarum, Domina, requieſcam, quia delectabile eſt mihi refrigerium tuum!* Ita S. Amadæus: *Virgo elegantiſſima orta de tribu Jeſſe ramorum ſuorum mirabili extenſione ſeſe ubique terrarum expandit, ut diſperſos filios Adæ ab æſtu, à turbine, à pluvia umbrâ deſiderabili protegat.* Ita Abſalon Abbas: *Sub umbra ejus pauſandum eſt, ibi in æſtu vitiorum refrigerium, in preſſuris ſæculi umbraculum, & in omnibus laboribus, qui vitæ huic faſtidium ingerunt, quietem aſſequimur.* N. 9.

Ferr. Abb. *S. Bonav. in Pſalt. B. Virg.* *S. Amad. Hom. 8. de Laud. Virg* *Abſalon Abb. Serm. 28. de B. Virg.*

Goswin. Dom. 1. Advent. *mur.* Ita in ſpecie de Roſario noſter Gosvvinus: *Maria ſuos Clientes Roſariô circumdat, protegit ab omni dæmonis inſolentia, & ſecuros in cœlum transfert.* Unde ipſa pijſſima miſericordiæ Mater, teſte Flaminio, ad Mariam Sanchez: *Perge filia in Roſario meo, ego tuis neceſſitatibus adero, & omnium in eo mihi ſervientium.* (Flamin. Dom. 4. Quadrag.)

N. 10. Plinius. Tertia Platani qualitas, quam ſummoperè commendat Plinius, illius eſt ſingularitatis, ut, ſicut tempore æſtatis radios ſolis arcet, ita tempore hyemis eos admittat, quodammodò in omnibus ſeſe accomodans emolumento hominis, qui tempore æſtatis intenſos ſolis calores declinare ſatagit; ingruente verò hyemis frigore datâ operâ ad ſolis radios ſe calefacit. Hoc maximè quoque convenit glorioſæ Roſarij Reginæ, dum ex una parte Solis Divini exurentes radios clementer à nobis avertit, ex altera parte eosdem, dum frigemus, nobis benevolè immittit. Si increatus Juſtitiæ Sol incaleſcat, exardeſcat, inflammetur in nos peccatores, iracundiæ ſuæ ignem evibret, ardores ultionis intentet, Maria in Roſario inſtar Platani radios arcet, miſeros peccatores ſub umbra ſua colligit, & fovet. Unde eruditus Goswinus, *cùm vides*, inquit, *Deum nubibûs iræ obductum contra te, Mariam in Roſario require, hanc Advocatam poſce, & apparebit pro te intercedendô.* Et iterùm: *Roſarium & ab ira, & à vindicta DEI tegit, & protegit peccatorem tegumentô terræ, id eſt, terrenæ vitæ JESU, quæ peccatoribus indulgentiam impetrat.* Si autem ex adverſo ingruat frigus tepiditatis, puſillanimitatis, & deſperationis, Maria in Roſario radios Divini Solis miſericorditer communicat indigentibus, tepidos accendit, puſillanimes fovet, deſperare incipientes ardore ſuperni amoris calefacit. Maria enim, ait S. Ephrem, *eſt ſacroſanctiſſima deſperatorum, atque reorum Spes.* *Maria merente Roſario*, ait Lovvetius, *in deſperatione ſuccurrit.* *Maria*, ait Labbata, *devotis ſuis, in exercitio Roſarij perſeverantibus, verum impetrat fervorem, & contritionem, ut peccata ſua confiteantur, & eorum indulgentiam à DEO conſequantur.*

(Goswin. Dom. 1. Advent. — Idem Dom. infra Oct. Nativit. — S. Ephrem. — Loppez. in Synops præ rog. Roſ. — Labbat. in apparatu Tom. 2.)

N. 11. Ad Mariam ergo in Roſario, quaſi ad Myſticam Platanum confugite in neceſſitatibus veſtris; & quidem ea veneratione, qua Platanum proſecutus fuiſſe refertur Rex Xerxes, dum eam & aurea catena, & mille armillis, & regio faſtu honorâſſe dicitur. Aurea catena, regia armilla ſit Roſarium veſtrum.

Hiſto-

Hiſtoria.

ULyſſibonæ in Luſitania Matrona quædam, Roſario devotiſſima, quotidie pio gemitu, ac ſuſpirijs illius Myſteria revolvebat. Erat hæc Matrona de numero illarum, quas mundus hîc odio habet, & millenîs divexat perſecutionibûs, viduas & pupillos opprimendô, & afflictos novîs afflictionibûs onerandô. Unde pia mulier, quia de auxilio humano ſpes nulla ſupererat, preſſuras ſuas, præſertim negotium quoddam arduum, propter quod maximo tædio, & anxietate affligebatur, clementiſſimæ Deiparæ coram privata quadam ſanctiſſimi Roſarij imagine, quam domi ſervabat, multîs ſingultibûs indies commendabat. Nec fruſtra! Etenim paulò poſt illi, cujus infallibile eſt effatum: *Qui quærit, invenit, qui petit, accipit, & pulſanti aperietur;* placuit per interceſſionem dilectiſſimæ Matris ſuæ ſinceram ſupplicantis devotionem deſiderato remunerari effectu. Nam, cùm die quadam perſolutô Roſarij penſô ardentiùs pro ſuis moleſtijs removendis apud benevolam DEI Matrem inſtare cœpiſſet, in hæc verba linguam ſuam reſolvit: O Mater Deiparens, & generis humani Advocata! attende,precor, attende afflictionem, qua diſcrucior, de qua nulla humana ope me liberari poſſe exiſtimo, de te, ô intemerata Virgo, Filij tui immenſa charitas ſummam mihi ſpem præbet. Adſis ergo Clienti in auxilium præſens, ô Maria! nec meorum gravitatem peccatorum,ſed tuam conſidera clementiam, meúmque, quo erga te feror, amorem. Mirum dictu! Reſpondit mox imago: *Confide, ô filia dilecta! ob tuam enim erga Roſarium pietatem ero tibi Auxiliatrix, levaménque ex me ſenties.* Qua voce, ut dignum erat, plurimùm animata Matrona, nedum patienter præſentem tulit anguſtiam, ſed inſuper omnia in poſterum negotia ei ad votum ſucceſſerunt. Miraculum hoc evulgavit R. P. Ludovicus Granatenſis, Religioſus, Aſceta, & Concionator Ordinis noſtri clariſſimus; imago autem, poſt ejus Matronæ mortem in Sacram Dominici Ædem delata, ſumma ibidem veneratione aſſervatur. P. Archangelus in Lib. de Roſario cap. 16. Mirac. 20.

SERMO VIGESIMUS OCTAVUS.

In Feſto Pentecoſtes.

THEMA.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. 14.

Roſarium eſt perquàm efficax ad impetrandum Spiritum Sanctum, & ſeptem dona ejus.

N. 1. EO majus beneficium illud æſtimandum venit, quò Pater æternus hodie Spiritum Sanctum in filios adoptionis effundere dignatus eſt, quò id Unigenitus æterni Patris Filius in bonum Apoſtolorum & enixiùs poſtulare debuit, & difficiliùs obtinuiſſe credi poſſet. Quæſtio non minùs ardua, quàm utilis inter SS. Patres ventilatur, cur nempe Chriſtus Dominus unà cum corpore, & quidem retentîs quinque Vulnerum ſtigmatibûs in cœlum aſcenderit? Videtur enim hoc maximè incongruum tanto triumpho, quem Chriſtus glorioſè aſcendens in tota curia cœleſti celebravit. Conſtat enim toti orbi, qua pompa, Solemnitate, & honore Romani ſuos olim inſtituerint triumphos, quando fuſîs hoſtibûs aliquis Heroum victorioſè Romam rediît; aſt de nullo legitur, quòd vulnera ſua, ſi fortè quædam in bello recepit, publicè in triumpho ſuo oſtenderit: Nihilominùs amantiſſimus noſter Salvator, ùt paſſim innuunt SS. Patres, non niſi pa-

patentibûs manuum,pedum,& Lateris cicatricibûs cœlum ingreſſus eſt, adeò, ut ipſi Spiritus Angelici obſtupeſcentes dixerint? *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Theophylactus *Zach. 13.* quidem,& alij opinantur, ideò Chriſtum Vulnera retinuiſſe, ut ea *Theophylact.* aliquando in judicio poſſit demonſtrare perfidis Judæis, & peccatoribus, ſicque eos ſuæ pertinaciæ, & malitiæ convincere. Eucherius verò ex hoc actu novum divini amoris argumentum eruit: *Eucher.* Noverat ſiquidem pientiſſimus Salvator,quàm debilis eſſet homo, & quàm grande nihil ſinè divino numine, & donîs Spiritûs Sancti; ideò Patrem interpellaturus, ut demitteret Spiritum Sanctum, aſcendit ad cœlum, útque faciliùs, & citiùs moveret paternæ pietatis viſcera, retinere voluit corpori ſuo inflicta Vulnera, non dubitans, quin intuitu eorum, quidquid peteret, efficaciter foret impetraturus. Unde S. Auguſtinus: *O quàm ineffabilis eſt pietas* *S. Auguſt.* *Redemptoris! Quanta eſt Authori cura pro inſtauratione facturæ ſuæ! Non poteſt eſſe repulſa, ob tot ſunt charitatis inſignia*, id eſt, Vulnera inflicta.

Sodales Mariani! Omnium noſtrûm vota ſunt ardentiſſima N. 2. pro accipiendo hodie Spiritu Sancto, ingemiſcimus, & clamamus: *Veni Sancte Spiritus, mentes tuorum viſita, imple ſupernâ gratiâ,* *Eccleſ. in* *quæ tu creâſti pectora.* Et benè: Sicut enim ſol neceſſarius eſt *Hym. Pen-* mundo,ut eum illuminet, fons plantis, ùt eas irriget, radix arbori, *tecoſt.* ut fructificet; ita neceſſe eſt, ut Spiritus Sanctus, qui in forma ignis apparuit,illuminet tenebroſa corda noſtra,irriget ariditatem animarum noſtrarum, ſuccum gratiæ ſupernæ influat in hominem interiorem. Ut ergo vota noſtra deſideratum ſortiantur effectum, accipiamus Roſaria noſtra; Roſarium enim, ùt hodie ſermo erit, eſt medium efficaciſſimum, ut & Spiritum Sanctum trahamus ad corda noſtra, & ſimul obtineamus ſeptem dona ejus.

Ante omnia, ſi vos hodie, ô Roſariani! iiſdem alloquar ver- N. 3. bîs, quibûs olim Apoſtolus Paulus quoſdam ſuórum diſcipulorum allocutus eſt: *Si Spiritum Sanctum accepiſtis;* difficilis iſta indu- *Act. 10.* biè quæſtio eſſet,quia Spiritus Sanctus non jam viſibili ſpecie,velut olim columbæ ſuper Chriſtum, vel ignis ſuper diſcipulos ejus, ſed arcano, & inviſibili modo in cor hominis deſcendit. Nihilominùs, etſi nemo ſciat certitudine infallibili, ſeu evidenti, an Spiritum Sanctum acceperit, non erravero, ſi ex conjecturali quadam certitudine, omnes Roſarianos vel jam Spiritum Sanctum hodie

accepiſſe, vel indubitanter recepturos fore, aſſeverem. Si enim juxta priùs dicta ideò Unigenitus DEI Filius Spiritum Sanctum toti mundo à Patre impetravit, quia eidem ſua Vulnera, manuum, pedúmque impreſſa ſtigmata oſtendit; quidnî Fratres & Sorores ſanctiſſimi Roſarij ſibi vel de jam accepto, vel de accipiendo Spiritu Sancto hodie congratulabuntur, qui toties ſuô modô æterno Patri Vulnera, & cicatrices Unigeniti Filij oſtendunt, quoties in ſuo Mariano Pſalterio Myſteria Vitæ, & Mortis Redemptoris ſui devotiori meditatione percurrunt? Si juxta S. Auguſtinum apud miſericordiam divinam non poteſt eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis inſignia, id eſt, tantorum, quos charitas dilectiſſimo noſtro Salvatori inflixit, Vulnerum apparentia, & quodammodò nervoſa peroratio, non eſt, cur repulſam timeat Roſariani, ſi hodie pro accipiendo Spiritu Sancto oraverint, quia tot charitatis inſignia oſtentant æterno Patri, quot Myſteria in ſuo Pſalterio contemplantur. Unde Malvenda: *Dum quisque Roſarium tacitîs meditationibûs percurrit, intimîs animi, ſecretíſque ſpiritualibûs deliciîs perfunditur*, recipiendô ſcilicet illum, qui dicitur animarum noſtrarum Conſolator.

Malvenda Annal. 1215. c. 15.

N. 4. Confirmatur hoc exinde, quòd juxta communem *SS.* Patrum opinionem non detur aptior ad Spiritum Sanctum recipiendum diſpoſitio, quàm devota, & frequens oratio. Ita S. Iſidorus: *Quando quis orat, Sanctum ad ſe Spiritum advocat.* Ita de Ponte: *Oratio eſt primum requiſitum ad impetrandum de cœlo Spiritum Sanctum.* Probant hoc Sancti Patres tum ratione, tum exemplo. Ratione quidem; quia univerſis liquet, Spiritum Sanctum nedum nominari ſpiritum, ſed inſuper in forma ſpiritûs, & venti vehementis hodie apparuiſſe diſcipulis. Sic enim legimus: *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes.* Quis autem neſcit, ſpiritum ore trahi, & anhelitu? Labia moventur, os aperitur, & aërem attrahimus, quo vegetamur, & vivimus. Eodem modo Spiritus Sanctus in corda noſtra trahitur, nimirum ore, gemitu, & oratione, juxta illud Regij Pſaltis: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Exemplô autem hæc veritas fit manifeſta, tum ex illo, quod regiſtratum invenimus apud Lucam. Audiêrat Beatiſſima Virgo ab Angelo, quòd & Eliſabeth cognata ſua conceperit filium, & menſis jam ſextus eſſet illi, quæ vocatur ſterilis. Et exurgens

S. Iſidor. L. 3. Sent. c. 3. *Ludovic. de Ponte in 2. Cant.* *Act. 2.* *Pſalm. 118.* *Luc. 2.*

Maria

Maria abiît in montana cum feſtinatione, intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. *Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth.* Si ergo, infert perdoctus Eſcobar, repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth ad vocem ſalutationis Mariæ, ſanè Maria frequenter à nobis ſalutanda eſt Roſarij recitatione, ut in hac Spiritûs Sancti gratiâ repleamur. Tum ex eo, quòd poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem inter Apoſtolos contigiſſe referunt Acta Apoſtolorum. Poſtquàm enim Divinus Magiſter abiens ad Patrem diſcipulis ſuis promiſerat, ſe in brevi miſſurum fore Spiritum Sanctum, regreſſi ſunt omnes in Jeruſalem, & ut convenientiùs ſe præpararent ad promiſſum Spiritum Sanctum dignè ſuſcipiendum, in unam domum ſimul ſeſe concluſerant, & *erant omnes perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre JESU, & fratribus ejus*, non dubitantes, quin oratio fervens, oratio continuata, oratio unanimis, oratio perſeverans peridonea eſſet diſpoſitio, ut eò citiùs Spiritus Sanctus deſcenderet de cœlo. Ipſa B. Virgo, ait S. Bernardinus, alios exemplô præibat, ad orationem excitabat, ad pia deſideria inflammabat, omnes inceſſanter incitabat ad orandum, usquedum *apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſedítque ſuper ſingulos eorum: Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Aſt, ſi paululùm ſancta curioſitate inquirere liceat, ſcire cuperem, quænam illa fuerit oratio, quænam preces fuerint illæ, quas Apoſtoli in unum congregati recitandò ſeſe parabant, & ad ſe attrahebant Spiritum Sanctum? Reſpondet S. Ildephonſus: *In cænaculo ipſa Virgo cum Apoſtolis uno ore Myſteria Redemptionis conferebat.* Id eſt: Tota oratio ſita erat in enarrandis, ruminandis, & recogitandis ijs, quæ in Vita, & Morte Chriſti Domini paulò ante contigerant. Maria narrabat Apoſtolis ea, quæ evenerant Filio ſuo tunc, quando nullus adhuc Apoſtolorum ei aſſociatus fuerat, nempe in Annuntiatione Angeli à DEO in Nazareth miſſi, in viſitatione ad Eliſabeth, in Nativitate pueri JEſu in Bethleem, in Præſentatione ejusdem in templo Jeroſolymis, in triduana amiſſione, & jucunda denuò readinventione in medio Doctorum. Poſteà B. Virgo cum Apoſtolis percurrebat totam triſtis Paſſionis tragœdiam, ſudorem Sanguinis in monte Oliveti, ſacrilegum oſculum Judæ, funes, & vincula innocentiſſimo JEſu violenter injecta, virgas & flagella, ſpi-

Eſcobar.

Act. 1.

S. Bernardin.

S. Ildephonſ

neæ coronæ acutiſſimos dolores, infame Crucis lignum, & barbaricam crucifigentium rabiem. Ultimatim B. Virgo dulciter colloquebatur cum Apoſtolis de glorioſa Filij ſui à mortuis Reſurrectione, & lætiſſimis ejusdem circumſtantijs, de admirabili in cœlos Aſcenſione, & permagnifica jam in cœlo regnantis gloria. Et hæc conferentia, hæc ſermocinatio, hæc colloquia erant illæ preces efficaciſſimæ, quibûs & ipſa Sanctiſſima Deipara, & Apoſtoli dignè præparabantur, & recipere merebantur Spiritum Sanctum, ait S. Ildephonſus.

N. 5. Nolite igitur, dilectiſſimi Roſariani! nolite in dubium vertere, quin Roſarium veſtrum ſit medium validiſſimum ad impetrandum Spiritum Sanctum. An non enim in Mariano Pſalterio eſt continua quaſi conferentia, ſermocinatio, & contemplatio Myſteriorum Redemptionis noſtræ? An non in Roſario in unum quodammodò congregamur cum Maria Matre JEſu, & fratribus ejus, id eſt, alijs Roſarianis, & percurrimus totam Vitæ Salvatoris noſtri ſeriem? In gaudioſo Roſario Chriſtum contemplamur à prima Conceptione usque ad annum ætatis duodecimum, in doloroſo totam Paſſionem inchoativè à monte Oliveti usque ad mortem in monte Calvariæ, in glorioſo integra Reſurrectionis & Aſcenſionis Solemnia. Quidnî igitur piè ſperemus, Spiritum Sanctum aut jam diffuſum eſſe in cordibus noſtris, aut mox per orationem ſanctiſſimi Roſarij fore in nos diffundendum?

N. 6. Et quidem eo modo, quo hodie Apoſtolos recepiſſe Spiritum Sanctum refert S. Vincentius Ferrerius, videlicet per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Sic enim de Apoſtolis diſcurrit S. Vincentius: *B. Virgo flexîs genibûs oravit, dicens: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Et facta oratione à B. Virgine Maria ſubitò factus eſt de cælo ſonus magnus ad inſtar tonitrui, non terrentis, ſed delectantis, & ſubitò ad inſtar venti deſcendit de cælo, & ille ſonus replevit totam domum, ubi erant Apoſtoli, & domus tota repleta eſt igne, & ignis ille diviſit ſe ad inſtar linguarum, & ſedit ſuper ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Unde S. Epiphanius: *Nubes cæleſtis eſt B. Virgo, quæ tonitrum Spiritûs Sancti in ſeipſa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritûs Sancti in univerſam terram ad producendum fidei fructum demiſit.* Hoc hodiedum ſuis Roſarianis præſtat benigniſſima DEI Genitrix, orat pro devotis

S. Vincent. Ferrer. Serm. de Pentecoſt.

S. Epiphan.

ſuis

ſuis Clientibus, & replentur omnes Spiritu Sancto. Eſt nubes cœleſtis, quæ tonitrum Spiritûs Sancti deducit in corda ſuorum Sodalium, & imbrem Spiritûs Sancti effundit ſuper animas fidelium. Hinc B. noſter Alanus: *Per Salutationem Angelicam ritè petentibus abundantia gratiæ per plenitudinem Spiritûs Sancti paratur*, per interceſſionem ſcilicet Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ, cùm ſit amantiſſima univerſorum Roſarianorum Mater, idipſum filijs, & filiabus ſuis impetrare non deſiſtit, quòd parentes Samſonis filio ſuo impetrâſſe leguntur. Ambo juſti erant coram Domino, recti, & dilecti ob virtutes ſuas: Unde miſſus eſt à DEO Angelus, qui eis promitteret filium, eò gratiorem, quò ægriùs anteà ſuam ſterilitatem tuliſſent. Quod promiſit Angelus, eventus quoque probavit: *Peperit enim uxor filium, & vocavit nomen ejus Samſon, crevítque puer, & benedixit ei Dominus, cœpítque Spiritus Domini eſſe cum eo*, intuitu nimirum meritorum, & devotorum ſuſpiriorum, quæ continuò parentes ad cœlum mittebant pro ſalute filij ſui. Si ergo Samſon per merita parentum ſuorum fuit benedictus à Domino, *& Spiritus Domini cœpit eſſe cum eo*, confidite, ô Roſariani! in amantiſſimam Matrem veſtram, majora longè apud DEUM ſunt merita illius, Maria continuò orat pro vobis; quidnî ergo eritis benedicti, & Spiritus Sanctus jam cœperit eſſe vobiscum?

B. Alan.

Judic. 13.

N. 7.

Et quidem, quod eſt ultimum augmentum gratiæ, in plenitudine donorum ſuorum, quæ ſeptem enumerantur ab Iſaia hoc modo: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: Spiritus ſapientiæ, & intellectûs, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Hæc dona ſunt roris cœleſtis prima portio, ſunt theſaurus pretioſiſſimus, quo diteſcit anima hominis, ſunt tantæ utilitatis, & æſtimationis, quam nullus unquam aut comprehendit, aut inveſtigare poterit. Hunc in finem juxta Sanctos Patres præfigurabantur mundo per ſeptem illos oculos, quos vidit Propheta Zacharias in lapide uno; per ſeptem illas lucernas candelabri, quod juſſit Dominus fieri in tabernaculo ſuo; per ſeptem illas ſtellas, quas in manu ſua habuit ſimilis Filio hominis; per ſeptem lampades ante thronum DEI, quas vidit Joannes; per ſeptem candelabra aurea, quæ itidem Joanni oſtendebantur. Potiſſimùm autem æſtimatio horum donorum creſcit ex effectu, quem cauſant

Iſa. 11.

Zachar. 3. *Exod. 27.* *Apoc. 1.* *Apoc. 4.* *Apoc. 1.*

S. Bernar- ſint in homine, quia ideò dantur, ait S. Bernardinus, ut diſſi-
din. Serm. pent omnes vitiorum obliquitates. Sapientia tollit, & propul-
in die Pen- ſat reliquias luxuriæ, quia guſtato ſpiritu divinæ intelligentiæ de-
tecoſt. ſipit omnis caro: Intellectûs donum gulæ opponitur; quia illud illuminat, gula verò mentem brutalem facit: Donum conſilij avaritiam expugnat; quia conſilia Evangelica ſuadent paupertatem: Donum fortitudinis acediam enervat, quia incitat ad fortia, & labores: Donum ſcientiæ iram corrigit, quæ ira dici-
Eccle. 7. tur *Inſania:* Donum pietatis invidiam expellit; quia, ſicut invidia nauſeat de bono proximi, ita pietas ſingulis ſtudet benefacere: Donum denique timoris eradicat ſuperbiam; quia hominem humiliat in cognitione ſui nihili. Per ſeptem dona Spiritûs
Hugo. Sancti, ait Hugo, anima haud ſecùs aſcendit ad apicem perfectionis, ac mundus per ſeptem ſucceſſivè dies, & per opera ſeptem dierum ſuum eſſe adeptus eſt, ita, ut, ipſa Scriptura teſtetur:
Venerab. *Et vidit DEUS, quòd eſſet bonum.* Septem dona Spiritûs Sancti,
Beda. ait Venerabilis Beda, ſunt unguenta optima, quibûs ægrotus cura-
Eccleſ. in tur homo. Unde ardentiſſimìs in Feſto Pentecoſtes ſuſpiriìs orat
Feſt. Pen- S. Mater Eccleſia: *Veni Pater pauperum, veni Dator munerum,*
tec. *veni lumen cordium &c.*

N. 8. Quo autem intercedente pretioſa hæc cœli chariſmata, æſtimatiſſima Spiritûs Sancti dona hodie impetrabimus? O Roſariani! per interceſſionem Auguſtiſſimæ ſanctiſſimi Roſarij Reginæ. Ipſa
S. Bernar- enim eſt, *per cujus manus*, teſte S. Bernardino Senenſi, *omnia do-*
din. Senenſ. *na, virtutes, & gratiæ Spiritûs Sancti, quibus vult, quando vult,*
Orat. 7. in *& quomodò vult, adminiſtrantur, quia Spiritus Sanctus non vult*
dona Spirit *niſi per Mariam nobis communicari*, nec niſi per Mariam nobis
S. communicare munera ſua. Si enim Spiritus Sanctus eſt ignis, & in igneis linguis hodie apparuit ſuper capita Apoſtolorum, Maria
Levit. 6. Altare eſt illud, de quo legimus in Scriptura: *Ignis in Altari ſemper ardebit.* Si Spiritus Sanctus columba eſt, & in forma columbæ apparuit ad Jordanis aquam, dum baptizabatur Chriſtus, Maria nidus eſt, in quo Columba hæc Divina inhabitat. Unde dici-
Pſalm. 83. tur: *Invenit turtur nidum ſibi.* Et iterùm: *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi.* Si Spiritus Sanctus eſt *Donum DEI altiſſimi*, Cu-
S. Bernard. ſtos, & Diſpenſatrix hujus Doni eſt Maria, quia DEus, teſte S.
Theodor. Bernardo, nihil nos habere voluit, niſi per Mariam, hac in re haud
Sicul. diſſimilis Regi Nino, qui, ut refert Theodorus Sicculus, nullam

ſub-

ſubditis gratiam elargiri ſolebat ſinè conſenſu, & interventione Reginæ Siramis: Haud diſſimilis Regi Cyro, de quo Annales Veterum teſtantur, quòd nec preces populi audire, nec ſupplices libellos acceptare conſueverit, niſi per regiam manum Conjugis ſuæ Aſpaſiæ: Haud diſſimilis Cæſari Auguſto, qui, ut à priſcis traditur, ſinè nutu & placito Auguſtæ Imperatricis Liviæ nihil, Liviâ autem annuente, & deprecante largiſſimè ſua munera diſtribuit. Eodem modo benigniſſimus cœli, terrarúmque Monarcha ſinè Maria nihil, omnia autem per Mariam in Roſario habere voluit. Unde eruditus Petrus Matthæi: *Roſarij beneficiô multa nobis, atque ampliſſima conferuntur beneficia à liberaliſſima DEI manu.* *Petrus MatthæiL. Conſtit. Summor. Pontific.* N. 9.

Ad hoc fuſiùs declarandum Textus ille in Canticis non videtur eſſe incongruus, ubi, poſtquàm Divinus Paranymphus Sponſam ſuam dilectiſſimam comparaverat horto concluſo: *Hortus concluſus Soror mea, Sponſa, hortus concluſus;* *Cant. 4.* fructuum quoque abundantiam hujus horti concluſi indicavit hîs verbîs: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula, & cinnamomum cum univerſis lignis Libani, myrrha, & aloë cum omnibus primis unguentis.* Super hunc Textum animum reflectens Rupertus Abbas elegantem inter mundum naturalem ex una, & inter animam hominis ex altera parte inſtituit comparationem. *Rupertus Abbas.* Mundus naturalis per ſex ſucceſſivè dies ultimam ſuam perfectionem adeptus eſt, ita, ut undequaque eſſet opus perfectiſsimum, ipſa S. Pagina teſtante: *Ideò perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* *Gen. 2.* Non minùs anima hominis ſuam in primo parente noſtro Adam ultimam obtinuit perfectionis prærogativam, utpotè incorporea, æterna, immortalis, capax ſcientiæ virtutis, gratiæ, beatitudinis, viſionis DEI, omníſque boni, & ipſa imago DEI. Perfectio autem hæc, ſicut in mundo naturali, ita & in anima hominis per peccatum Adæ penitùs fuit deſtructa; vix enim peccaverat Adam, ait Dominus DEUS: *Maledicta terra in opere tuo - - ſpinas & tribulos germinabit tibi.* *Gen. 3.* Simili maledicto ſubjecta fuit anima poſt peccatum; quæ enim priùs in ſtatu innocentiæ erat ad omne bonum inclinata, virtutum fructibûs abundans, omni decore exornata, poſt peccatum erat terra inanis & vacua, terra germinans ſpinas, & tribulos omnium vitiorum, terra repleta urticîs, & zizaniîs concupiſcentiarum, & hoc tamdiu, ait S. Rupertus, usquedum Spi- *S. Rupert.*

ritus Sanctus deſcendit de cœlo, & renovavit faciem terræ per ſeptem munera ſua. Æquè enim ac ſol per influxus, & radios ſuos omnia, quæ germinant in mundo naturali, vivificat, animat, & fœcundat; ita Spiritus Sanctus per ſeptem dona ſua animam hominis renovat, vegetat, & fructiferam reddit. Ut enim loquitur S. Bonaventura: Per donum timoris alta humiliantur, per donum pietatis dura liquefiunt, per donum ſcientiæ obſcura illuminantur, per donum fortitudinis mollia conſolidantur, per donum conſilij deviantia diriguntur, per donum intellectûs vilia clarificantur, per donum ſapientiæ frigida, & inſulſa condiuntur. Unde non immeritò quotidiè orabat David: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, id eſt, animæ; *dona enim Spiritûs Sancti*, ait S. Chryſoſtomus, *ſunt imaginis noſtræ reformatio, mentis perfectio, & animæ noſtræ inſtauratio.*

S. Bonav. Tract. de 7. Don. Spirit. S. — *Pſalm. 103.* — *S. Chryſoſt. Serm. in Pentec.*

N. 10. Quis autem hæc dona derivat in animam hominis? *Emiſſiones tuæ, ô Maria!* exclamat præcitatus Rupertus, *emiſſiones tuæ ſunt paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus; quidquid enim gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt, & ubi priùs erant ſpinæ, & vepres, & univerſitas nequitiarum, ibi ſunt cyprus cum nardo, crocus & cinnamomum, balſamum, & aloë, nempe ſeptem dona Spiritûs Sancti.* Maria in Roſario eſt hortus concluſus, ait B. Alanus, *fructibûs redundans, copiîs exuberans, flore virginitatis vernans, ubi mollioris auræ gratia indeſinenter aſpirat, & vernalis amœnitas allicit intuentes.* Unde exclamat doctiſſimus Eſcobar: *Quàm florentes, quàm odoriferi, qui frequenti Roſarij recitationi operam navant.*

Rupert. cit. — *B. Alan.* — *Eſcobar. L. 2. Sect. 2. Obſerv. 5. n. 155.*

N. 11. Hunc in finem, ſi quis ſcire aveat, quinam hodie Spiritum Sanctum, & ſeptem dona ejus accepiſſe credendi ſint? idipſum ei reſpondere teneor, quod lego in S. Scriptura. Fœdus tunc inièrant tres potentiſſimi Reges, Rex Iſraël, Rex Juda, & Rex Edom contra Regem Moab, & unitîs viribûs adverſarium ſuum aggredi ſtatuerunt, in brevi tamen adverſâ fortunâ ita preſſi, ex penuria ſcilicet aquarum, ut vix non confœderati de ſalute, & proſpero belli ſucceſſu deſperare cœperint, dicente Rege Iſraël: *Heu! heu! heu! congregavit nos Dominus tres Reges, ut traderet in manus Moab.* Hanc ob cauſam, quia humanum non aderat auxilium, aptiſſimè divinum quærebatur, intercedente ſcilicet Propheta Eliſæo,

4. Reg. 3.

ſæo, quem confœderati reges acceſſerunt, rogantes, ut pro populo DEI deprecari dignaretur Dominum cœli, & terræ, aquámque impetraret ſitienti militi de alto. Eliſæus Propheta, ſibi ipſi in hac re ardua primitùs diffidens, diu anceps hæſit, & quid ſupplicantibus reſponderet, non habuit. Tandem triſti potiſſimùm vultu Joſaphat Regis in Juda commotus in hæc verba erupit: *Adducite mihi Pſaltem.* Quo adducto ſtatim occulti aquarum fontes fuerunt aperti, & qui priùs cum exercitu ſuo ſitî jamjam erant enecati, jam non ſinè ingenti miraculo deſideratiſſimâ aquarum abundantiá deſuper fuerunt irrigati; ait enim Sacer Textus: *Cúmque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Id eſt juxta multorum interpretationem: Spiritus Sanctus, de quo dicitur: *Dexteræ DEI tu digitus;* deſcendit ſuper Pſaltem, & dixit: *Non videbitis ventum, neque pluviam, & alveus iſte replebitur aquîs, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra.* Quod prædictis tribus Regibus, id nobis in hoc mundo frequenter accidit. Militandum eſt nobis adverſùs hoſtes tartareos, aquam ſuſpiramus, nempe dona Spiritûs Sancti, de quo canit Eccleſia: *Fons vivus, ignis, charitas, & ſpiritalis unctio.* Aſt, *adducite mihi Pſaltem,* id eſt, oſtendite mihi Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij; & quis dubitat, quòd illis pſallentibus, & devotè Roſaria ſua recitantibus manus Domini, id eſt, Spiritus Sanctus ſit futurus cum illis? quis dubitat, quin aqua divinorum chariſmatum abundabit in alveis cordium noſtrorum? quis dubitat, quin ſeptem rivuli Spiritûs Sancti, id eſt, ſeptem dona, ſumma cum abundantia ſint diffundendi ſuper animas noſtras? *Adducite mihi Pſaltem*, ô Roſariani! &, quod ſcire avetis, omnibus erit manifeſtum, nempe, quinam hodie Spiritum Sanctum, & ſeptem munera ejus ſe accepiſſe noviſſe valeant?

Eccleſia in Hymn. Pentecoſt.

Ibid.

Hiſtoria.

QUòd oratio juſta ſit clavis cœli, ut loquitur S. Auguſtinus, & dum noſtra aſcendit precatio, deſcendat in nos Spiritus Sanctus, qualíſque oratio hoc præſtet fortiſſimè, docet S. Elzearius Comes, vir non minùs ſanctitate vitæ eximius, quàm famâ virtutum in toto terrarum orbe celeberrimus. Tria olim ex El-

S. Auguſt.

zeario quæſiverat ille, qui erat ei à Confeſſionibus, primò, qualitatem orationis, quam frequentiſſimè pertractaret; ſecundò, methodum, qua in oratione procederet; & tertiò, Patronum Sanctum in cœlis, quem ſibi præ alijs elegiſſet in via virtutis adjutorem, & protectorem? Ad quam ſibi propoſitam quæſtionem ita reſpondit Elzearius: Advocata, & Patrona mea ſpecialiſſima, cui me totum commiſi, inter Cœlites eſt Beatiſſima Virgo Maria, huic indies cogitationes, verba, & opera mea ex integro devoveo: In orationibus autem meis hunc ritum obſervare conſuevi. Antequàm me huic pio exercitio accingo, penſúmque precum mearum inchoo, conſidero, & penitùs inſpicio meam indignitatem, & exilitatem: Poſteà ea, qua par eſt, demiſſione commendo me Matri divinæ gratiæ, enixè ſupplicans, ut omnia ea cordi, & ori meo ingerere dignetur, quæ novit & Altitudini ſuæ, & dilectiſſimi Filij ſui beneplacito eſſe acceptiſſima. Hîs præmiſsîs ſaluto benigniſſimam DEI Matrem per unum *Ave* Angelicum, quo devotè dicto nunquam mihi deeſt uberrima Spiritûs Sancti gratia, adeò quidem, ut id, quod dudùm jam edixit coronatus
Pſalm. 118. Propheta, & ego ſanctè atteſtari valeam: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Præſente autem Spiritu Sancto quid ſupereſt, niſi ut mens mea profundiſſimè abſorbeatur in Myſterijs abſconditis arcanæ Divinitatis? cor meum mille ex alto impinguetur donîs, & gratiarum charismatibûs? anima mea jucundè exultet in DEO Salutari ſuo? Si ergo unicum *Ave* Angelicum tantæ fuit virtutis in Elzeario; quid non *Ave* idem Angelicum toties repetitum à Roſarianis impetrabit in nobis. Laurentius Surius in vita Elzearij ad diem 27. Septembris. Cap. 14.

SER-

SERMO VIGESIMUS NONUS.

In Feſto SS. Trinitatis.

THEMA.

Euntes ergo baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Matth. 28.

Sodales Roſariani obligantur ad decantandas laudes Sanctiſſimæ Trinitati & beneficio Baptiſmi, & beneficiô Roſarij, quod eſt veluti alter Baptiſmus.

QUòd Sanctiſſimæ Trinitati debeatur omnis laus, honor, & gloria, edocet nos & Eccleſia triumphans, & Eccleſia militans. In illa diu noctúque reſonat Canticum illud Seraphinorum, quod audivit Iſaias: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum.* Id eſt: Sanctus Pater in Creatione, Sanctus Filius in Redemptione, Sanctus Spiritus Sanctus in Sanctificatione noſtra: Sanctus DEus in cœlo, Sanctus in terra, Sanctus ſub terra: Sanctus in gloria, Sanctus in gratia, Sanctus in juſtitia: Sanctus glorificans Angelos, Sanctus juſtificans homines, Sanctus puniens dæmones: Sanctus in Potentia, Sanctus in Sapientia, Sanctus in Providentia. Eccleſiæ triumphanti concinit Eccleſia militans, ubi paſſim apud Monachos in Choro, apud Sacerdotes in Altari, apud cives in urbibus, apud ruſticos in campis, apud paſtores in ſylvis, apud milites in caſtris feſtivè reſonat Verſiculus ille laudis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Et quidem jure meritiſſimo; condignum enim ejusmodi laudis pen-

N. 1.

Iſai. 6.

penſum à nobis exiguunt ingentia illa beneficia, quibûs nos miſericorditer affecit DEus Pater, DEus Filius, DEus Spiritus Sanctus. A DEO Patre accepimus noſtrum eſſe, vivere, & moveri; fructus autem agri debetur ei, qui plantavit agrum; commodum domûs debetur ei, qui ædificavit domum; reverentia filialis debetur genitoribus. DEus Filius redemit nos à ſervitute diaboli, & quidem pretiô proprij Sanguinis; opera autem ſervi fructificant domino, qui emit eum; apes mellificant inventori ſuo, qui eas in ſylva errantes aſportavit in domum ſuam; fundus utilis eſt poſſeſſori ſuo, qui eum erexit ad frugem. DEus Spiritus Sanctus ſanctificavit nos, factus Magiſter noſter, Dux noſter, & Diſpenſator divinorum charismatum; Magiſtro autem à diſcipulis, Duci à militibus, Diſpenſatori donorum ab indigis debetur omnis laus, honor, & Gloria. Hæc autem univerſa beneficia veluti in compendio concluduntur in unica gratia Baptiſmi, quam nobis Sanctiſſima Trinitas gratioſè contulit tunc, quando in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti baptizati fuimus. Per Baptiſmum quippe homo quaſi de novo accipit eſſe à Deo Patre, cùm ibidem quaſi ſpiritualiter renaſcatur ad vitam gratiæ: In Baptiſmo homo participat merita Paſſionis, & Vitæ Chriſti, veluti unicum redemptionis noſtræ meritum: In Baptiſmo homo principaliter ſanctificatur, & templum conſtituitur Spiritûs Sancti. Unde, ne unquam deficiamus in condebita laude, & cultu Sanctiſſimæ Trinitatis, ſpecialiter nobis in memoriam revocatur hodie beneficium inſtituti Baptiſmi: *Euntes ergo baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* *Tunc enim*, ùt legimus in vita Seraphicæ Virginis Thereſiæ, *cùm beneficiorum, quæ à Deo accipimus, identidem recordamur, vel maximè ad ipſum redamandum incitamur.* Hoc potiorî titulô hodie exigitur à Roſarianis non duntaxat ob gratiam accepti Baptiſmi, ſed inſuper ob ingens beneficium ſanctiſſimi Roſarij, quod videtur eſſe alter in effectu Baptiſmus.

In Vita S. Thereſiæ Virg.

N. 2. Baptiſmus benè deſcribitur, quòd ſit fons ſalutis, quo homines à peccato originali & actuali mundantur, & gloriæ æternæ hæredes efficiuntur. Primitùs enim per Baptiſmum abluuntur peccata anteà commiſſa; deinde per Baptiſmum contribuitur jus ad æternam beatitudinem, quia in virtute Baptiſmi homo conſtituitur Filius Dei adoptivus. Uterque hic effectus non obſcurè

ſcurè deſumitur ex prima inſtitutione Baptiſmi, quæ juxta mentem Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis facta eſt tunc, quando Christus JEſus à Joanne baptizatus eſt in Jordanis flumine. *Math. 3.* Tunc enim pientiſſimus Salvator per contactum ſuum ſanctiſſimum aquæ dedit virtutem, nedum corpus, ſed & animam abluendi, mundandi, & ornandi. Secundò: Per ablutionem ſacratiſſimi Corporis ſui in Jordanis flumine elevavit aquam ad ipſum exercitium lavandi animas hominum. Tertiò: Chriſto in Jordanis flumine baptizato ſignificata fuit forma baptiſmi, ſcilicet nomen Patris, ubi vox de cœlo delapſa venit, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Nomen Filij, ubi ille in ſua perſona primò fuit revelatus mundo, ut jam actu humana carne indutus: Nomen Spiritûs Sancti, qui in forma columbæ ſuper caput baptizati apparuit. Quartò denique: In Baptiſmate Salvatoris aperti ſunt cœli, ut declaretur, Baptiſmum non duntaxat pollere virtute abluendi animam, ſed & virtute aperiendi regnum cœlorum, & tribuendi jus ad gloriam, & hæreditatem filiorum Dei. Utrumque hunc effectum ad inſtar alterius Baptiſmi præſtat ſanctiſſimum noſtrum Roſarium.

N. 3.

Inprimis ſanctiſſimum Roſarium verè eſt fons ſalutis, quo homines à ſuis peccatis mundantur. Unde S. Auguſtinus apud B. Alanum: *Angelica Salutatio fons eſt in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, & ſanantur infirmi.* S. Auguſtino concordat perdoctus Lowetius hîs verbîs: *Enimverò in primo ad Fraternitatem Roſarij aditu, ecce tibi! prima adeſt integra remiſſio omnium peccatorum, quæ non culpam tantùm, ſed omnem quoque pœnam reliquam funditùs exhauriat, velut alter quidam Baptiſmus. Illud námque poteſt Sacramentum; hoc autem efficit Sacramentale indulgentiarum.* Nec mirum hoc alicui videbitur; ſi enim amantiſſimus Redemptor per contactum ſui ſacratiſſimi Corporis dedit virtutem omnes maculas animæ detergendi; quidnî ſimilem virtutem influeret in Marianum Pſalterium, quod ipſe, tanquam fons aquæ ſalientis in vitam æternam, per ſua ſacratiſſimæ Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Myſteria intrare dignatur? Ad cujus clariorem explanationem peregrinum illud deſervire poterit, quod legimus in Libro Eſther, ubi Mardochæus de nepte ſua Ediſſa, ſeu Eſther loquens hanc comparationem intulit: *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, ſolémque converſus eſt, & in aquas plurimas* redun-

S. Auguſt. apud B. Alan. de Laud Pſalt. c. 10.
Loppez in ſua Synopſi
Eſther. 10.

redundavit. Dictu mirabile! Auditu novum eſt, quòd aqua in ſolem, & lucem transmutata fuerit! Potiùs crederem, de ſpinis uvas, de ſilice liquorem, de tenebris ſplendorem oriri poſſe, quàm aquam converti in lucem, & ſolem. Quæ convenientia corporis ſublunaris imperfecti ad corpora cœleſtia perfectiſſima? quæ viciſſitudo liquidi ignobilis ad ſolidum nobiliſsimum? quæ propinquitas ſubſtantiæ infimæ ad ſubſtantiam ſupremam? Et tamen veritas fidei eſt divinæ: *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, ſolémque converſus eſt.* Quis iſte fons? quæ hæc myſterioſa aqua? Sanè nemo alius, quàm Unigenitus Dei Filius in ſanctiſsimis Vitæ, Paſsionis, & Gloriæ ſuæ Myſterijs; hic enim in
Joël. 3. figura fontis promiſſus fuit Patribus antiquis: *Et erit in die illa: Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: Et per omnes rivos Juda ibunt aquæ: Et fons de domo Domini egredietur, &*
Zachar. 14. *irrigabit torrentem ſpinarum.* Et rursùs: *Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem.* Hic erat fons parvus in gaudioſis Myſterijs; Parvulus enim natus eſt nobis, in templo præſentabatur, ùt parvulus, medius inter Doctores in templo inveniebatur, ùt parvulus. Hic in doloroſis Myſterijs excrevit in fluvium magnum ſanguinei ſudoris in horto Gethſemani, copioſè effuſi Sanguinis in flagellatione, coronatione, bajulatione Crucis, & amara in monte Calvariæ Crucifixione. Hic tandem in glorioſis Myſterijs in lucem, & ſolem converſus eſt, ubi plenus gloria, & honore, veluti ſol oriens, ſurrexit à mortuis, plenus ſplendore cœlos conſcendit, factúſque lux cœli nedum illuminavit Jeruſalem cœleſtem, ſed & ignem demiſit de cœlo, nimirum Spiritum Sanctum. Poſtremò JEſus Chriſtus redundavit in aquas plurimas, id eſt, in totum terrarum orbem, omnéſque nationes gentium, juxta illud: *Aquæ multæ populi multi.*

N. 4. Si ergo ad Baptiſmum Chriſti, & per ſanctiſſimum contactum illius aquis data eſt virtus abluendi maculas animæ; quidnì Roſarium, ubi tota Vita, tota Paſſio, tota Gloria Salvatoris, veluti in compendio, continetur, eandem virtutem habeat, dicatúrque fons in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, & ſanantur infirmi? Stupenda quidem paſſim legimus miracula, per quæ Deus ter Optimus Ma-
S. Antonin. ximus mundo oſtendere voluit inſolitos, & gratuitos Baptiſmi ef-
2. p. Hiſt. fectus. Noſter S. Antoninus narrat, uxorem Regis Tartarorum
tit. 20. c. 8. Caſſani à ſuo Conjuge morti fuiſſe adjudicatam, eò quòd filium defor-

deformem genuiſſet, & ſic ſuſpicionem adulteri creâſſet. Regina nihil aliud petiît, quàm ut filium baptizare liceret: Et ecce! tam venuſtus apparuit, ut Rex tantô miraculô commotus fidem Catholicam ſuſceperit. S. Maria de Oegniaco vidit à puero, qui Exorciſmîs, & aliîs precibûs ad Baptiſmum parabatur, fugientem dæmonem, ac deinde, ubi ſacrîs undîs tinctus eſt, Spiritum Sanctum viſibili ſpecie in animam pueri cum innumera beatarum mentium corona ingredientem. De S. Catharina narrat Ribadeneira, quòd, antequàm baptizata fuerit, ipſi apparuerit Beata Virgo cum Filio, cui cùm Mater Sanctiſſima Catharinam commendaret, avertit ille faciem ſuam, dicens, nimiam in Catharina latere deformitatem. Intelligens autem Catharina, hanc deformitatem ortum ducere à defectu Baptiſmi, feſtinavit ſinè mora baptizari, & paulò poſt Sponſus Virginum, denuò ei apparens, annulô cœleſti Catharinam ſibi deſponſavit. Taceo alia ſimilia exempla, ubi aquâ Baptiſmi viſibiliter ablutæ fuerunt maculæ animarum, non ſecùs, ac per aquas Jordanis. Naaman Syrus fuit à lepra mundatus, ejúsque caro pura facta eſt, quaſi caro pueri. Ubi in figura per aquam Jordanis denotatus fuit Baptiſmus novi teſtamenti.

Ribadeneir. — *4. Reg. 5.*

N. 5. Idipſum præſtat ſanctiſſimum Roſarium, veluti alter in Eccleſia Baptiſmus, & ſecundus fons ſalutis. Roſarium enim, teſte perdocto Goswino, *in virtute Myſteriorum Chriſti ſordes animæ detergit, & morbos concupiſcentiæ abluit.* Roſarium deformitatem animæ tollit, & cœleſtem pulchritudinem inducit. Unde eruditus Carthagena: *Beata Virgo Maria per Roſarium peccatîs ſqualidum, pauperem, miſerum, variîſque paſſionum fluctibûs oppreſſum non ſolùm in priſtinam felicitatem reſtaurat, ſed & ad cumulatiorem perducit.* Roſarium continet in ſe fontem illum, de quo jam dudùm vaticinatus eſt Propheta Zacharias: *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus in Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*, id eſt, juxta interpretationem *SS.* Patrum, Chriſtus in Myſterijs Vitæ, Mortis, & Reſurrectionis. Hinc Henricus Jonghem Ordinis Minorum omnes ad hunc fontem invitat hîs verbîs: *Exopto, dilecti Fratres, ut & vos eaſdem in gaudio hauriatis aquas de fontibus Salvatoris, & Roſarium veſtrum irrigetis in iiſdem, ut creſcatis in augmentum Dei, & gloriam ſempiternam.* Id ipſe pientiſſimus Salvator, ùt teſtatur Ægidius Lalaing,

Goswin. Dom. 4. Advent. — *Carthag. Hom. 3.* — *Zachar. 13.* — *Henric. Jonghem.*

Ægid. Lalaing. p. 2. c. 2. ʃ. 6. n. 6. laing, innuere eſt dignatus; cùm enim Matrona quædam, Catharina nomine, quæ fuerat aliquando in civitate Romana peccatrix, ſed prædicatione Sancti Patris Dominici converſa, unâ dierum in ſuo cubiculo doloroſum Roſarium recitaret, ac quinque ſanguinolenta Dominicæ Paſſionis Myſteria contemplaretur, ei Chriſtus quinque inſignitus Vulneribûs apparuit, è quibus quinquaginta quinque fontes limpidiſſimi manabant, univerſam militantem Eccleſiam irrigantes, in ablutionem ſcilicet peccatorum, & munditiam animarum. Verè ergo Marianum Pſalterium fons eſt in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, & ſanantur infirmi.

N. 6. Et quidem fons talis, cujus dignitatem, fœcunditatem, uberrimos in Eccleſia fructus nemo facile, ùt juſtum eſt, deprædicabit. Multorum opinio eſt, in prima rerum productione univerſas aquas promiſcuè fuiſſe commiſtas, indiviſas, & ita amaras, ut, ſicuti modò undæ maris ob ſuam amaritudinem inſulſæ ſunt, ita primitùs nulla aqua ſinè nauſea deguſtari potuerit. Aſt, poſtquàm juſſu divino fluvius paradiſi ſeſe effudit in terram, & per ſui commiſtionem diviſit aquas ab aquis, mox ſubterraneam lympham dulcem reddidit, & humanis uſibus præaccomodam. Simile quid millies contigit in ſenſu morali. Innumeri ſunt, in quibus aquæ ſaluberrimæ Baptiſmi paulò poſt obtentum uſum rationis amaricatæ fuerunt nimìs, ubi nempe in varia peccata prolapſi Deum ſuum, benigniſſimum amaritudine repleverunt, felle ſuæ ſuperbiæ, ſuæ avaritiæ, ſuæ luxuriæ eum potantes. Unde ipſe conqueritur:
Pſalm. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me acetô.*
Oſe. 12. Et rurſùs: *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus ſuis, & ſanguis ejus ſuper eum veniet, & opprobrium ejus reſtituet ei Dominus ejus.* Aſt, poſtquàm fons ſalutis Mariani Pſalterij in corda eorum derivatus eſt, rivulíque Myſteriorum Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Redemptoris diffuſi ſunt in animabus eorum, mox aquæ amaræ verſæ ſunt in dulces, peccatores egerunt pœnitentiam, & qui priùs felle amariores erant in vitijs ſuis, poſteà Deo ſuo facti ſunt dulciores ſuper mel & favum, per Roſarium quaſi neogeniti, & de novo quodammodò baptiſmalì innocentiâ induti.
Carthag. Hom. 2. Unde exclamat eruditus Carthagena: *Bone Deus! quot Roſa Myſtica Maria improbos peccatorum humores ad nihilum reduxit! Teſtes hujus veritatis non alios produco, quàm Virginis Alumnos, & alios ejus auxilium implorantes, mirámque ejus potentiam, & virtu-*

tem

tem frequenter experientes, qui alioquin in peccatorum ſordibus computreſcerent, niſi Myſticæ hujus Roſæ Mariæ inclyta virtus eos cælitùs reficeret, & ſolidaret. Duplicî proinde titulô Sanctiſſimæ Trinitati obſtricti, inprimis, quia gratiam Baptiſmi præ mille alijs, qui aut in utero materno obiêrunt, aut præmatura morte ante ſuſceptum Baptiſmum extincti ſunt, aut nullam notitiam Baptiſmi habuerunt, ex ſpeciali Dei miſericordia impetravimus: Deinde, quia beneficiô ſanctiſſimi Roſarij, quod eſt fons ſalutis, & alter quodammodò Baptiſmus, donati fuimus. Summas Gratias hodie agamus Deo Patri, Deo Filio, & Deo Spiritui Sancto. Optemus mille linguas, mille corda, mille animas, mille vitas, mille corpora, quæ in honorem Deitatis conſumamus, & expendamus. Optemus tantum benigniſſimum noſtrum Deum amare, & laudare, quantum eum laudant, & amant Sancti in cœlo, ac eorum laudes, & mentes quaſi induamus, ut per eos Deum immenſè diligamus, colamus, celebremus. Invitemus omnes Angelos, omnes Beatos, omnes cœlos, omnes creaturas cœleſtes, ut nobiſcum, & pro nobis Divinæ Majeſtati gratias agant, laudes intonent, Hymnos inſonent, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Ad hoc excitamur à fortiori ex eo, quod ſanctiſſimum Roſa- N. 7.
rium nedum ad inſtar baptiſmi ſit fons ſalutis in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, & ſanantur infirmi, ſed inſuper veluti alter Baptiſmus Sodales ſuos efficiat hæredes gloriæ; ſecundus namque Baptiſmi effectus in eo conſiſtit, ut eximat hominem à vinculis diaboli, aſſerat in libertatem gratiæ, conſtituátque filium Dei adoptivum, & hæredem gloriæ æternæ. Quod pulcherrimè indicat S. Chryſoſtomus, qui de neo-baptizatis ſic loquitur: *Ecce libertatis ſerenitate fruuntur, qui tenebantur paulò ante captivi: Cives Eccleſiæ facti ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: In juſtitiæ ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione. Non enim tantùm ſunt liberi, ſed & ſancti: Non tantùm ſancti, ſed & juſti: Non tantùm juſti, ſed & hæredes: Nec tantùm hæredes, ſed & fratres Chriſti: Nec tantùm fratres Chriſti, ſed & cohæredes: Non ſolùm cohæredes, ſed & membra: Non membra tantùm, ſed & templum: Nec tantùm templum, ſed & organum Spiritûs Sancti. Vide ergo, quot ſint Baptiſmi largitates.* Hunc in finem, ùt refert S. Gregorius, Mellitus Monachus in extremo montis agone dixit, apparuiſſe ſibi juvenem, elegantiſſimas litteras porrigentem, cum juſſu:

S. Chryſoſt. Hom. ad neoph.

S. Gregor. L. 4. Dialog. c. 26.

Aperi, & lege. Litterîs verò apertîs, inquit Mellitus, vidi omnes, qui ab Epiſcopo baptizati fuerant, aureîs characteribûs ibi inſcriptos.

N. 8. Hoc ſuo modo præſtat quoque ſanctiſſimum Roſarium. Inprimìs eximit hominem à vinculis diaboli, & aſſerit in libertatem gratiæ, atteſtante clariſſimo Joanne Rebellio: *Devotio Roſarij habet virtutem impetrandi gratiam, & vitam æternam pro peccatoribus, quia illis, qui in hac ſe verè exercent, Deus largitur gratiam, ac tandem vitam æternam, ita, ut iſtam devotionem vocare poſſimus fontem gratiæ, & vitæ æternæ.* Secundò: Roſarium conſtituit filios Dei adoptivos, & hæredes gloriæ, quia, teſte Flaminio, elevat ſuos Sodales usque ad filiationem Dei, & Mariæ, quia, quotidie iſti, & ſæpiùs in die una Deum invocant ùt Patrem ſuum, orantes, & dicentes in Roſario: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Et rurſùs in qualibet parte Roſarij quinquagies Mariam invocant in Matrem ſuam, toties quodammodò eam ùt Matrem quoque ſuam ſalutantes, quoties eam ùt Matrem Dei inclamant, dicendô: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis.* Quòdſi ergo ſunt Filij Dei Patris, & Deiparæ Mariæ, utique & hæredes erunt æternæ gloriæ? *Si autem ſunt filij*, ait Apoſtolus, *& hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et quanta hæc eſt prærogativa, quòd filij Dei, & Mariæ nominemur, & ſimus? Sanè huic filiationi nullum aliud donum comparari poteſt, nec donum linguarum, nec donum Prophetiæ, nec notitia myſteriorum, nec omnis ſcientia, neque omnis virtus miraculorum, etiamſi tanta eſſet, ut montes transferat, & mortuos reſuſcitet, nec tiara Pontificia, nec ſceptrum Imperiale, nec corona Regalis, nec inſigne Ducale. Unde Evangeliſta Joannes in ſua prima Epiſtola: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: Quia non novit eum. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: Et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Sanè ſi Judæi totam ſuam gloriam in eo ponebant, quòd filij eſſent patris ſui Abraham, ut legimus in pluribus Scripturæ locis, quo potiori jure gloriabimur, nos eſſe filios Dei altiſſimi? Hucusque non vidimus, vel audivimus, aliquando potentiſſimum aliquem Monarcham Æthiopica, vel Scythica aliquot mancipia, infimis ſolùm obſequijs idonea, ſæpiùs triremes, & mortem pro-

Joann. Rebell. L. 1. c. 7. a. 7.

Flamin. in Vit. S. Pat. Dominici.

Rom. 8.

1. Joan. 3.

Matth. 3. Luc. 3. Joan. 8.

promerita, in filios adoptâſſe, & ad regni ſui communionem evexiſſe. Hoc autem Deus Pater facit, cùm nos peccatores, inimicos, rebelles, ingratos, carnales, principaliter in Baptiſmo, & ſecundariò in Roſario in filios ſuos adoptat, & regni ſui participes facit.

Quanta eſt hæreditatis hujus æſtimatio, quòd ſimus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti! Audiamus, quid hac in re ſentiat coronatus Propheta: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Quaſi diceret: Ponant alij portionem hæreditatis ſuæ in divitijs, in theſauris, in poſſeſſionibus bonorum terrenorum, meæ hæreditatis pars eſt Dominus; etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Quid ſunt omnia bona temporalia comparativè ad Dominum, niſi umbra, niſi fumus, niſi mendacia? Unde dicit S. Codex: *Quòniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: Et tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: Et tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: Et tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Sitiant alij voluptates, delicias, & recreationes hujus ſæculi, portio calicis mei eſt Dominus, & hæreditas mea præclara eſt mihi; quid enim voluptas, quid deliciæ, quid mundana gaudia comparativè ad Dominum, niſi ſomnia, & grande nihil? Hinc benè cecinit Coronatus inter Prophetas: *Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Quæ verba verſans Mediolanenſis Antiſtes hæc ſcribit: *Cognovit impiorum ſucceſſus in hoc ſæculo ſomnij eſſe ſimiles, non veritatis, quorum emolumenta tamdiu videntur eſſe, dum dormiunt. Ubi dormiêrunt ſomnum ſuum, qui videbantur ſibi potare, jam ſitiunt, qui epulabantur, eſuriunt, nihil ſolidum ex iſto ſomno, perfectúmque referentes.* S. Ambroſio conſentit Doctorum Aquila, S. Auguſtinus, his verbis: *Amaverunt præſentia, & dormiêrunt in ipſis præſentibus ſæculi amatores, & ſic ipſis facta ſunt præſentia delicioſa, quomodò, qui videt per ſomnium, ſe inveniſſe theſauros, tam diu dives eſt, quamdiu non evigilat. Somnium illud divitem fecit, evigilatio pauperem fecit.* Econtra hæreditas Domini, ô quàm præclara eſt! ô quàm deſiderabilis eſt! Habetur, & plenè ſatiat; poſſidetur, & non ampliùs amittitur; deguſtatur, & in æternum lætificat. Unde ad hanc hæreditatem ipſe Dominus omnes invitat: *Tranſite*

N. 9.
Pſalm. 15.
Sap. 5.
Pſalm. 72.
S. Ambroſ.
S. Auguſt. in Pſalm. 75.
Eccli. 24.

ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favum.

N. 10. Hanc autem hæreditatem participant Sodales Mariani, primariò quidem in Baptiſmo, ſecundariò autem in Pſalterio ſuo; quia, *B. Alan. L. 1. de gemmis c. 24.* teſte ipſa glorioſa cœlorum Regina ad B. Alanum, recitantes Roſarium *ſunt filij, & confratres Unigeniti Mariæ Filij*, conſequenter & cohæredes regni cœleſtis: Conſiderantur quippe Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij in domo Dei, ſicut olim attendebatur Iſaac in domo patris ſui Abraham. Abraham diu ſterilis non genuit filios, indéque ingenti dolore confectus frequenter dolebat, quòd alienus eſſet aditurus hæreditatem ſuam. Hinc, cùm ei ap- *Gen. 15.* paruiſſet Dominus, dicens: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis;* nullatenùs hôc uberrimô promiſſô mens abjecta erigi potuit, ſed potiùs altè ingemiſcens repoſuit Abraham: *Domine Deus, quid dabis mihi; Ego vadam absque liberis; Et filius procuratoris domûs meæ iſte Damaſcus Eliezer - - - mihi autem non dediſti ſemen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Aſt non defuit benigniſſimus Deus, ut amicum ſuum fidelem, primô promiſsô non contentum, ad vota conſolaretur promiſsô ſecundô; ait enim Sacra Scriptura: *Statímque factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de utero tuo.* Promiſſo huic non defuit veritas. Paulò poſt enim Abraham filius Iſmaël genitus fuit ex A- *Gen. 16.* gar ancilla, & poſt tempus aliquod filius alter Iſaac ex uxore ſua *Gen. 21.* Sarai, jam ſenicula, & provectæ ætatis Matronæ. Jam duo erant filij in domo Abraham, aſt non duo hæredes; quia hæreditas patris filio Iſaac ex uxore, non autem Iſmaël ex ancilla progenito videbatur ex integro adjudicanda. Hunc in finem, ubi Iſaac adoleſcentior factus jamjam contingere inciperet annos pubertatis, mater Sarai, ſolicita pro filio ſuo Iſaac, acceſſit ad conjugem ſuum, & dixit: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Durè quidem hoc verbum accepit Abraham; nihilominùs, quia ipſe Dominus cœli apparens juſſit, ut voluntatem Sarai uxoris ſuæ exequeretur, dimiſit Agar cum filio ſuo Iſmaël ex domo ſua, hæreditate ex aſſe ſoli Iſaac reſervata.

N. 11. Simile quid contingit hodiedum in ſenſu morali. In domo mundi

mundi hujus ſunt multi filij ejusdem patris, tot ſcilicet, quot Deus Pater ſibi per gratiam ſuam in Baptiſmo regeneratos adoptat in filios, & ſic animat, ac vivificat, ut in habitationem eodem Spiritu moraliter quodammodò vivant, quo Deus ipſe, & quo Chriſtus Filius Dei vivit per identitatem. Aſt non omnes ſunt
hæredes, quia, atteſtante ipſa æterna Veritate, *multi ſunt voca-* *Matth. 20.*
ti, pauci verò electi. Et iterùm: *Non omnis, qui dicit mihi, Do-* *Matth. 7.*
mine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Alij ſunt filij Agar, id eſt, ſæculi hujus, qui ſuis depravatîs moribûs, peſſimâ vitâ, & millenîs peccatîs ſcandalo ſunt devotis animabus, non ſecùs, ac ſceleſtus Iſmaël pravô ſuô exemplô ſeducere conabatur Iſaac in domo paterna; & hi non admittuntur ad hæreditatem filiorum Dei, ſed ejiciuntur in tenebras exteriores. Alij ſunt filij Sarai, id eſt, Mariæ Virginis, ajunt Sancti Patres; & hi, ſicuti ſunt ejusdem cum Chriſto Matris filij, ita erunt & cohæredes
regni cœlorum. Sicut enim, innuit S. Ambroſius, *ſalutem Do-* *S. Ambroſ.*
minus inchoavit à Matre, ita per eam omnibus ſalus parabatur. *in c. 1. Luc.*
Id eſt: Sicut Maria primitùs aſſumpta eſt in Matrem Unigeniti Dei Filij, qui propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo; ita per ipſam omnibus, qui filij ejus erunt, parta, & reſervata eſt ſa-
lus, ut ſint hæredes regni cœlorum. Idipſum confirmat S. Petrus *S. Petrus*
Damianus hîs verbîs: *Per ipſam, in ipſa, & de ipſa totum ſalu-* *Damian.*
tis negotium decernitur, ut, ſicut ſinè Unigenito Dei Filio factum *Serm. de*
eſt nihil, ita ſinè Beata Virgine refectum ſit nihil. Sane in domo *Nat. Virg.*
ſanctiſſimi Roſarij ſupervacaneum eſt dicere: *Ejice ancillam, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.*
Aliunde enim jam lata eſt ſententia apud S. Anſelmum: *Sicut,* *S. Anſelm.*
ô Beatiſſima! omnis peccator à te averſus, & à te deſpectus neceſſe eſt, ut pereat; ita omnis peccator ad te converſus, & à te
reſpectus impoſſibile eſt, ut pereat. Quæ ultima verba Michaël *Michaël ab*
ab Inſulis ſpecialiter appropriat Roſarianis, hîs verbîs: *Unum* *Inſulis*
confidenter dicere, & ſuperaddere ad honorem Virginis non eru- *Tract.*
beſco, quòd videlicet ille, qui ex corde ad ſerviendum Virgini in *Pſalt. c. 31.*
hac Fraternitate ſe obtulerit, & eam toties devotè ſalutaverit, finaliter non peribit, imò ſecundùm Anſelmum impoſſibile eſt, eum perire, aut non eſſe hæredem regni cœleſtis. Unde totum con-
cludit B. Alanus: *Si vultis Mariam habere in Matrem, & jure* *B. Alan. L.*
hæreditatis gaudere filiorum, offerte devotionem veſtram Beatæ *1. de gemm.*
Virgi- *c. 17.*

Virgini pſallendô quotidie ejus Roſarium. Roſarium veluti alter Baptiſmus eſt fons ſalutis in Eccleſia, abluit peccata, & conſtituit hæredes gloriæ.

N. 12. Si igitur Ethnici ſingulîs annîs ſolemnia Feſtiva, quæ Fontalia appellabant, in honorem Deorum fontium celebrabant; quantò magìs condecens hodie erit, Sanctiſſimam Trinitatem ex toto corde, & anima laudare, benedicere, & deprædicare, quæ nobis duplicem fontem ſalutis in Eccleſia aperuit, nempe Baptiſmum, & Marianum Pſalterium?

Hiſtoria.

Pſalm. 138. Commune peccatoris pœnitentis elogium eſt: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Antonius de Riſpolis, Habitum Sancti Patris Dominici de manu Sancti Antonini accipiens, primitùs quidem vivum videbatur omnis virtutis exemplar, paulò poſt tamen turpiſſimum ſuæ Religionis proſtibulum effectus. Cùm enim poſt paucos Novitiatûs ſui annos ex Sicilia Neapolim navigaret, à pyratis captus, & Tunetum in Africam abductus non erubuit impiè fidem abnegare, & ad evitandas durioris captivitatis moleſtias cæco Mahometiſmo adhærere. Aſt, ubi poſteà horribiles Alcorani errores deprehendit, & inſuper à mercatoribus Florentinis, qui tunc Tunîs aderant, multa, & ſtupenda audivit de miraculis Sancti Antonini Florentiæ nuper defuncti, excuſsîs tenebris generoſè denuò ad lumen rediît, Habitúque ſuo Religioſo, quem clam ſecum jugiter retinuit, indutus imperterritè Regi ſe ſtitit, Mahometiſmum audacter ejuravit, & infractè ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt. Adhibentur promiſſa, accumulantur minæ, intentantur vincula, & carceres, fulminantur mille tormenta. At invictus Antonij animus flecti ampliùs à veritate, & lumine fidei non potuit, ſpe firmiſſima in miſerationibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Mariæ in Roſario collocata. Nec fruſtra! cùm enim intereà temporis, donec mortis ſententia in eum proclamaretur, non ceſſaret per preces ſanctiſſimi Roſarij patrocinium Beatæ Virginis implorare, verè expertus eſt, Roſarium eſſe veluti alterum Baptiſmum, quo & maculæ peccatorum abſterguntur, & jus hæreditatis divinæ reacquiritur. Damnatus quippe ad mortem, &

ejectus extra civitatem, ut lapidaretur, ita glorioſè pro fide Chriſti mortem oppetiît, ut inſignia ſtatim miracula ſanctum ejus obitum abundè teſtata ſint. Inprimìs, poſtquàm cadaver ejus injectum fuit igni, nec minimùm à flammis lædi potuit. Deinde, ubi nautæ duos lapides ſanguine Martyris conſperſos navibus ſuis impoſuiſſent, ſtatim tam magna tempeſtas exorta eſt, ut tamdiu in ſuo navigio immobiles tenerentur, usquedum votô factô prædictos duos lapides argentô exornandi, & ad ſepulchrum Sancti appendendi, eóque votô in Eccleſia Genuenſium mercatorum, quam Tunis habent, & in qua corpus Martyris ſepultum quieſcit, executioni mandatô proſperîs velìs à littore ſolverunt. Carolus Foreſti L. de Mirac. Roſar. Mirac. 47.

SERMO TRIGESIMUS.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten.

THEMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

Sodales Roſarij vocantur ad frequentem Communionem, & per Roſarium diſponuntur ad dignam illius ſumptionem.

QUis ſit homo ille, qui fecit hodie cœnam magnam, quid denotet cœna, quam inſtituit, qui ſint, qui invitati, & vocati fuerunt hoſpites, & convivæ, res in aperto eſt. N. 1.
Homo, qui fecit cœnam, ait noſter Hugo, eſt Chriſtus *Hugo Charenſ.*

Dominus, qui homo, ſeu Filius hominis vult appellari, cùm tamen ſit DEUS, & Dei Filius, ad confuſionem multorum, qui, cùm ſint inferiores genere, amant tamen ſemper denominari à majori. Dicitur autem Chriſtus *Homo quidam;* id eſt, quaſi homo ſingu-
S. Bonav. laris, teſte S. Bonaventura, quia ille ſolus conceptus eſt ſinè virili
in Luc. ſemine, ſolus natus ſinè Matris dolore, immunis ab omni peccato, & mortuus pro hominis peccato, de quo homine legimus: *Homo*
Pſalm. 86. *natus eſt in ea, ipſe fundavit eam Altiſſimus.* Chriſtus fecit cœnam magnam, ubi inſtituit Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum; cœnam magnam, quia Sacramentum hoc fuit inſtitutum in civitate magna, & totius Paleſtinæ Metropoli, Hieroſolymîs videlicet; cœnam magnam, quia Sacramentum hoc fuit inſtitutum in
Marc. 14. cœnaculo grandi, ùt dicit Marcus; cœnam magnam, quia in hoc Sacramento appoſita fuerunt fercula magna, nempe, ùt explicant
Hugo cit. noſter Hugo, & Albertus M. Corpus, & Sanguis Dei Incarnati;
Albert. M. Corpus datum fuit in cibum, Sanguis in potum, Anima in pretium, Deitas in condimentum. In hac cœna benignus, & miſericors Dominus noluit eſſe ſolus, ſed invitavit multos, omnes ſcilicet fideles, vocandô per Angelos, per Patres, per Apoſtolos, per paſtores, per miracula, per proſpera, & adverſa, per inſpirationes, & deſideria pia. Unicè dolendum eſt, quòd invitantis gratia tam turpiter fuerit deluſa. Unus dixit: *Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam; rogo te, habe me excuſatum.* Hi ſunt, qui varijs negotijs, & occupationibus ſæcularibus implicantur, ſicque ſe ineptos faciunt ad dignè, & frequenter accipiendam S. Communionem. Alter dixit: *Quinque juga boum emi, & eo probare illa; rogo te, habe me excuſatum.* Hi ſunt, qui trahunt grave jugum inimicitiarum, contentionum, malarum conſuetudinum, & reſtituendorum debitorum, quo plurimi ſe oppreſſos, ſicque à frequentanda S. Communione retardatos agnoſcunt. Tertius dixit: *Uxorem duxi; & ideò non poſſum venire.* Hi ſunt carnales, & laſcivi, qui plùs corpori attendunt, quàm animæ, avidiùs delicijs mundi inhiant, quàm appetant gaudia cœleſtia, potiùs carni indulgent, quàm ſpiritui. Unde dixit illis Salvator: *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Aſperum verbum! dura ſententia! Quid enim horribilius, quàm in æternum excluſum eſſe à regno cœlorum, à beatitudine paradiſi, à gaudio Beatorum? Melior hac in parte eſt ſors Sodalium

San-

Sanctiſſimi Roſarij. Hi enim vi ſuorum Statutorum frequenter invitantur, & comparent ad S. Communionem, ſimúlque per Roſarium diſponuntur ad eam dignè recipiendam.

Fervens, & fermè quotidiana erat in ſumenda Sacra Synaxi primitiva Eccleſia. Aſt, ſicut communiter initium fervet, & finis languet; ita & iſte fructuoſus in Euchariſtiam ardor ſucceſſivè multùm defecit, ad eum quaſi modum, quo id in figura legimus apud Danielem. Vidit Nabuchodonoſor in ſomnis ſtatuam grandem, & ſublimem, & intuitus ejus erat terribilis. *Hujus ſtatuæ caput erat ex auro optimo, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Ita in primitiva Eccleſia caput, ſeu prima initia quodammodò erant aurea in fervore virtutis, & zelo domûs Dei, ſingulariter in tenerrima devotione erga Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, quod quotidie omni poſſibili veneratione accipiebant. Paulò poſt ſucceſſit ætas argentea, tempore videlicet Sancti Baſilij, & Auguſtini, ubi fideles, etſi non quotidie, tamen frequentiſſimè Sacrâ Synaxî reficiebantur. Annîs labentibûs argentum transmutatum fuit in æs, tempore ſcilicet S. Chryſoſtomi, ubi æſtimatio tanti Sacramenti jam notabiliter decrevit, & rariùs communicabant Chriſtiani. Æri ſucceſſit ferrum, ubi poſterioribûs ſæculîs adeò viluit dignitas, & pretium Euchariſtiæ, ut pauciſſimi numerati fuerint, qui eâ, qua par eſt, reverentiâ Myſterium altiſſimum adoraverint, aut de Pane Angelico ſumendo nonnunquam cogitaverint. Tandem noſtrô ævô tempora vivimus partim ferrea, partim lutea, ubi quidam tepidi ſemel in anno duntaxat, alij verò ſæpiſſimè ad Euchariſtiam accedunt, aſt potiùs ex levitate, conſuetudine, & vana hominum complacentia, quàm ex vera cordis devotione. N. 2. Dan. 2.

Huic ergo languori ut præveniret Archi-Fraternitas ſanctiſſimi Roſarij, ſuos Sodales blandè invitat ad frequentem Communionem, ubi multoties per annum ritè confeſſis, & Sacrâ Synaxî refectis elargitur indulgentias plenarias, inprimìs in omnibus Feſtis Domini, in quibus celebratur unum de Myſterijs Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Salvatoris, in ſingulis Solemnitatibus glorioſæ Reginæ ſacratiſſimi Roſarij, omni die Dominica prima menſis, & ubi Fratres Ordinis Prædicatorum Eccleſias habent, in omni Feſto Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis. Jam dudùm DEUS ter N. 3.

Optimus Maximus primos dies uniuscujusque menſis ſuo cultui dicatos voluit; unde præcepit: *In Calendis autem offeretis holocauſtum Domino.* Et hoc ideò, ait Cornelius à Lapide, ut Hebræi primitias & temporis, & menſium, & frugum ſuarum rependerent DEO. Secundò: Ut per ſacrificia & preces fauſtum cunctarum rerum decurſum, & largam deſuper benedictionem ipſô initiô menſis à Deo peterent, & impetrarent. Tertiò: Ut omni populo prima die menſis in templo annuntiaretur lex Dei, & nutus divinus, cui illo menſe attendendum foret. Hunc in finem referunt etiam Annales, & geſta Romanorum, quòd Calendîs cujuslibet menſis populus ad urbem convenire conſueverit, ut ibi diſceret, quid per decurſum menſis in rebus divinis & humanis faciendum incumberet. Ad hoc quoque animum reflexiſſe videtur Sodalitas noſtra; inſtituendô enim in ſingulis diebus Dominicis primis menſium, & donandô plenarias indulgentias ijs, qui eo die confitentur, & communicant, univerſos ad frequentem Communionem invitat, ut hoc modo inprimìs Deo gratias agant pro cunctis beneficijs menſe elapſo obtentis. Secundò: Ut prima ſtatim menſis auſpicia Creatori ſuo conſecrent. Tertiò: Ut uberes cœli favores pro integro menſis curriculo ſibi depoſtulent. Quartò: Ut magìs & magìs exſtimulentur in dilectione Dei, & fortiores continuò reddantur ad decurrendam viam divinorum mandatorum.

Num. 28. Cornel. à Lap. hic.

N. 4. Ingens enim eſt fructus, qui ex frequenti Communione accreſcit Sodalibus Marianis; ſicut à contrario non leve eſt damnum, quod incurrunt illi, qui raró Pane Angelico in Euchariſtia reficiuntur. Fructus accreſcens conſiſtit in eo, quòd muniat inprimìs hominem contra omnes inſultus & tentationes carnis, mundi, & dæmonis; & ſecundò, quòd augeat in homine virtutes, & mentem omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiâ impinguet. Primum, ſeu munimen contra tentationes ita explicat Doctor mellifluus: Frequens Communio *duo in nobis operatur; in minimis peccatis minuit ſenſum, in gravioribus tollit omninò conſenſum.* Sicut enim latet in nobis, unde frequenter tentamur (adhæret quippe homini fomes peccati, caro exurgit adverſùs ſpiritum, diabolus malîs cogitationibûs, illicitìs deſideriîs, pravíſque ſuggeſtionibûs moleſtus eſſe non deſinit) ita forti indigemus munimine, ne tentationibus ſuccumbamus, & frequenti uſu Panis Euchariſtici, quo rabiem inimicorum noſtrorum tutè evadamus.

S. Bernard. in Cœna Dom.

Quid-

Quidnî ſiquidem ex virtute Panis Euchariſtici idipſum nobis ſpondeamus, quod de Ænea fabuloſa referunt Poëtarum deliramenta. *Fabula.* Æneas, cùm vellet deſcendere ad inferos,& inviſere dilectiſſimum ſuum parentem Anchiſem, timuit, ne à tricipiti Cerbero, cui cuſtodia inferni demandata eſt, à pio ſuo intento prohiberetur, morſúque venenoſo re infecta remitteretur ad terram. Hunc in finem acceſſit Sybillam quandam, & quid conſilij adverſùs aggreſſum Cerberi capiendum eſſet, ſolicitè expiſcatur. Nec fruſtra! accepto enim à Sybilla pane, eóque faucibus furentis Cerberi objecto, Æneas illæſus, & inimpeditus ad inferos penetravit, amantiſſimum genitorem ſuum inviſit, & felicî auſpiciô denuò ad vivos regreſſus eſt. Fabuloſum quidem hoc eſſe novimus, & inefficax *Applicatio.* ad aliquid probandum; attamen non ineptum, ait Gregorius E- *Gregor.* miſſenus,ad obſcura quædam declaranda. In via,qua ad patriam *Emiſſen.* pergimus, triceps nobis ſeſe opponit Cerberus, nempe triplex con- *Hom. de* cupiſcentia, amor divitiarum, honorum, & voluptatum. Hic *Paſch.* Cerberus omnia turbat, & perturbat, humana, divináque ſurſùm & deorſùm verſat, & pauciſſimi hucusque inventi ſunt, quibus rabidus iſte canis ſuos dentes lamentabiliter non infixit. Solus Panis Euchariſticus eſt, quo objecto iſte Cerberus non audet rabiem ſuam exercere, non latrare, non inſilire, non nocere; Panis enim Euchariſticus *in minimis peccatis minuit ſenſum, & in gravioribus omninò tollit conſenſum:* Imò, quod plùs eſt, Panis Euchariſticus etiam fatali jam morſu accepto peridoneus eſt, ut inflicto vulneri accomodum applicetur remedium. Figuram legimus in Chronicis Regum. Ægrotabat Rex Ezechias ulcere peſſimo, & jam eò *4. Reg. 20.* gravitas mali devenerat, ut jam ei à Propheta Iſaia dictum fuerit: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Paulò poſt nihilominùs, quia Ezechias elevatîs manibûs, & flentibûs oculîs oravit Dominum, juſſit Iſaias afferri maſſam ficorum, *quam cùm attuliſſent, & poſuiſſent ſuper ulcus ejus, curatus eſt* æger. Æger iſte denotat peccatorem, qui vulnere peſſimo commiſſi peccati decumbens opem, & remedium ingemiſcit, ut relevetur. Maſſa ficorum, teſte noſtro Doctore Angelico, ſignificat Sacroſanctum *S. Thom.* Euchariſtiæ Sacramentum, quod frequenter uſurpatum, & poſi- *Aquin.* tum ſuper ulcus peccatoris præſentiſſimum eſt pharmacum, ut rigor, ac dolor vulneris mitigetur, & deſiderata reſtituatur ſanitas, ſimul & vires animæ ſucceſſivè augeantur.

N. 5. Æquè enim, ac frequens Communio eſt validiſſimum munimen contra tentationes, roborat quoque in homine virtutes, & mentem omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiâ impinguat, ut viam æternitatis indefeſſo pede decurrat; ſicut ſimile quid narrat S. Scriptura de Elia. Indignabatur Eliæ Regina Jezabel, & juramentô factô de morte ejus nil intermittebat, ut Eliam caperet. At Vir Dei benè gnarus, quòd non ſit ira, ſicut ira mulieris, in tempore fugam arripuit, & *ſurgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas*, loquitur Sacer Textus. Jam una dies erat, quo defatigatus, famelicus, ſitique ingenti confectus, errabat in deſerto Berſabee Judæ. Unde projecit ſe ſubter unam juniperum, & petivit animæ ſuæ, ut moreretur, dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim ſum melior, quàm patres mei.* Hîsque dictîs obdormivit ſub umbra juniperi. Et ecce! Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: *Surge, & comede.* Evigilavit Elias, & reſpiciens ad caput ſuum ſubcinericium vidit panem, & vas aquæ, quibûs dulciter refectus denuò obdormivit. Paulò poſt denuò aderat Angelus Dei, qui dormientem excitans dixit: *Surge, & comede; grandis enim tibi reſtat via.* Nòn tardabat juſſa Angeli Elias, ociùs ſurrexit, comedit, & bibit, &, atteſtante Sacra Pagina, *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebûs, & quadraginta noctibûs usque ad montem Dei Horeb.* Unde autem pani huic ſubcinericio tanta vîs, & tantum robur? Nos pane ſolo, & aqua nutriti vix ad unum diem ſufficimus levi oneri, & labori, qui occurrit; & Elias pane ſubcinericio, & aqua refectus per quadraginta dies & noctes non laſſabatur, non deficiebat, non frangebatur in conſcenſu ad montem Dei Horeb? quid hoc rei? quod latentis veritatis myſterium? Mons Dei Horeb, explicat myſterium D. Thomas Aquinas, ſignificat cœleſtem patriam; quia Horeb interpretatur menſa, & tanquam mons menſæ Domini præfigurat ſatietatem cœleſtis gloriæ, de qua dicitur: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quadraginta dies, & noctes comprehendunt in ſe totum vitæ humanæ tempus, quo peregrinamur à Domino, & enitimur ad ultimum peregrinationis terminum, nempe ad domum æternitatis. Panis denique ſubcinericius indicat Panem Euchariſticum, concludit Doctor Angelicus, quia in illo confortatur homo in vita, & bono opere quadraginta die-

[Margin notes: 3. *Reg.* 19. — *S. Thom. Opuſc.* 58. — *Luc.* 22. — *S. Thom. cit.*]

diebûs & noctibûs, id eſt, toto vitæ ſuæ tempore usque ad montem, & menſam Dei, id eſt, quoadusque veniat ad altitudinem ſaturitatis, & ſatietatem æternæ gloriæ.

Surge ergo, qui dormis, ſurge, & comede; grandis enim tibi reſtat via æternitatis. Frequenter accede ad Sacram Synaxim, & proſperè procedes ad cœleſtem gloriam: Tanta enim, inquit Franciſcus Labbata, in Pane Euchariſtico eſt virtus, ut, ſicut Elias in fortitudine cibi illius ambulavit, quoadusque pervenit ad montem Dei Horeb; ſic nos, qui viatores in cœlum ſumus, ſi rectè Pane illo veſcamur cœleſti, in montem gloriæ perveniemus. N. 6. *Franciſc. Labbat. Propr. 18. Euch. effect.*

Sed benè notandum, eum infructuoſè comparere ad cœnam magnam Sacroſanctæ Euchariſtiæ, imò ſuæ ſibi ipſi æternæ mortis cauſam exiſtere, qui indignè, & debitîs non præmiſſîs diſpoſitionibûs auſus fuerit ad menſam Domini accedere. Hoc jam dudùm edixit Apoſtolus hîs verbîs: *Itaque, quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* N. 7. *1. Cor. 11.*
Nec hoc alicui mirum videbitur. Si enim Adam, & Eva ſtatim poſt eommiſſum peccatum extruſi fuerunt ex paradiſo, & flebilî exiliô puniti, quia lignum vitæ immundîs manibûs tetigerunt: Si Oza, ſubitanea morte abreptus, cecidit in terram, quia levî aliquâ irreverentiâ labentem Arcam fœderis contrectare auſus eſt: Si ille, non habens veſtem nuptialem, ligatîs manibûs, & pedibûs à nuptijs fuit repulſus, & in tenebras exteriores ejectus; quæ pœna manebit eos, qui impuris manibus, & immundo ore Panem vitæ tangere, turpî, impiáque irreverentiâ contrectare Sanctiſſima Corporis Chriſti Myſteria, impræparati, & ſinè ornatu virtutum ad menſam Domini accedere non erubuerint? Si Levitis, & ijs, qui coram Altari tabernaculi in veteri teſtamento comparuerunt, rigidiſſimum præceptum datum eſt: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Quantò magìs Angelica mundities neceſſaria erit illis, qui in novo teſtamento communicaturi ad Aram Domini appropinquant? Levitæ in veteri teſtamento tantummodò vaſa materialia, aurea, & argentea, quæ ad cultum Dei deſtinata erant, contrectârunt manibûs; nos in lege gratiæ ore, & lingua contrectamus ipſum Corpus; ipſúmque Sanguinem Domini JEſu Chriſti. *Gen. 3. 2. Reg. 6. Matth. 22. Iſa. 5.*

Unde

Unde omnes ad dignam præmittendam diſpoſitionem enixè ad-
1. Cor. 11. hortatur Apoſtolus Paulus hîs verbîs: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Id eſt, exponit Doctor noſter Angelicus: Diligenter examinet conſcientiam ſuam, ne ſit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non ſufficienter pœnituerit. Quid enim eſt, inquit S. Gregorius, *probet autem ſeipſum homo*, niſi ut evacuatâ priùs peccatorum nequitiâ probatum ſe ad Dominicam menſam, & purum exhibeat?

S. Thom. L. 7. ibid. S. Gregor. in Lib. 2. Reg. c. 1.

N. 8. Accedit, quòd, quemadmodùm homo, qui omnem diſpoſitionem negligit, judicium ſibi manducat, & bibit; ita quoque Sacroſancta Euchariſtia juxta diverſas diſpoſitiones diverſos operetur effectus, & fructus, majores, & copioſiores, ubi dignius, minores, & pauciores, ubi minùs dignum ſubjectum invenit. Sicut etenim ſol juxta menſuram feneſtræ amplioris, vel anguſtioris plus, vel minus de luce ſua communicat inhabitantibus domeſticis; ita Corpus Chriſti juxta capacitatem diſpoſitionis plura, vel pauciora gratiæ ſuæ dona contribuit Sacrâ Synaxî refectis. In alia Parabola ipſe Unigenitus Dei Filius hoc declarare dignatus eſt Sanctæ Catharinæ Senenſi, Ordinis noſtri fulgentiſſimæ Virgini, hoc diſcurſu: *Dico tibi, ſi multi varias ad accendendum candelas afferrent, quarum una ponderaret unicam unciam, alia duas uncias, alia ſex uncias, alia denique integram libram, omnes quidem conciperent ignem, quo accenderentur, ita tamen, quòd candela unius unciæ minus lumen conceptura eſſet, quàm quæ integram libram adæquaret. Eodem modo*, pergit pientiſſimus Salvator, *contingit in hoc Venerabili Sacramento. Qui recipiunt illud, & candelas ſuas accendunt, nempe ſanctum deſiderium, cum quo accipiunt Altaris Sacramentum, tantum recipitur ex iſto lumine, quantum de materia ſinceræ dilectionis accipiatis.* Contingit ſiquidem nobis, quando ad Altare Domini venimus, idipſum, quod legimus in S. Pagina. Mandavit olim Propheta Eliſæus pauperi viduæ, cui, quia ſolvendo non erat, creditores abſtulerunt duos filios ad ſerviendum ſibi, ut peteret mutuò ab omnibus vicinis ſuis vaſa vacua non pauca. Adductîs variîs vasîs denuò mandavit Eliſæus viduæ, ut de vaſe anguſto olei ſui, quod pauperrima domi ſuæ habebat, infunderet in cætera univerſa vaſa; & ecce! ita per miraculum multiplicabatur oleum, ut non ampliùs reperire eſſet unicum vas

Simile. In Dial. Tr. 3. c. 110. 4. Reg. 4.

vacuum,

vacuum, ſed omnia juxta ſuam concavitatem oleô eſſent repleta uſque ad ſummum. Oleum in Divinis Litteris miſericordiæ eſt Symbolum, ait Origenes. Fons ergo divinæ bonitatis ſcaturiens, & exuberans in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento oleum miſericordiæ effundit pro menſura vaſorum, id eſt, juxta condignitatem hominis, & diſpoſitionum illarum, quas præmittit, quando ſe ad Sacram Communionem præparat: Qui digniùs ſe præparaverit, plus de oleo divinæ bonitatis participabit; qui minùs dignè acceſſerit, minus de oleo divinæ bonitatis ſibi comparabit. *Origenes ſuper Levit. Hom. 5. & 10.*

N. 9. Conſiſtunt autem diſpoſitiones præviæ ad dignè ſumendam Sacram Euchariſtiam præcipuè in quatuor ſequentibus. Inprimìs: In corde vero contrito, & humiliato, juxta illud S. Auguſtini: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam.* Secundò: In fide viva, & ſpe firma, juxta illud Apoſtoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, & quòd Deus ſit, & quod remunerator ſit.* Tertiò: In dilectione ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, juxta præcitata verba Redemptoris ad S. Catharinam Senenſem: *Tantum ex iſto lumine recipitur, quantum de materia ſinceræ dilectionis accipitur.* Ultima condebita præparatio ſita eſt in vera charitate proximi, eliminato omni odio, & expulſo omni rancore. Unde dicitur: *Si offers munus tuum ad Altare, & recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, vade priùs reconciliari fratri tuo.* Hæc autem omnia facillimè, feliciſſimè, & digniſſimè præſtant Sodales Mariani ex Myſterijs Vitæ, Paſſionis, & glorioſæ Salvatoris noſtri ex mortuis Reſurrectionis, quæ frequenter in ſuo Roſario meditantur, dignos fructus pœnitentiæ haurientes, fidem vivam, & ſpem firmam elicientes, in amore Dei exardeſcentes, omne odium, omnémque rancorem in proximum deponentes: Sicut in figura nobis indigitatur. Diverterant ad tabernaculum Abrahæ fortè tres viri, ignoti quidem, ſed tamen gratiſſimi hoſpites, quos, cùm ea, qua par eſt, veneratione accepiſſet Abraham, mox aquam poſuit, pedes eorum lavit, menſam ſub jucunda arboris umbra ſtravit, panem attulit, & convivas ſuos juxta pauperem ſupellectilem ſuam refecit; ùt teſtatur S. Scriptura hîs verbîs: *Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponámque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum.* Hunc Textum conſiderans Novarinus per tres prænominatos convivas intelligit quamlibet animam fidelem tunc, quando in pro- *S. Auguſt. Hebr. 11. Chriſt. ad S. Cath. Senenſ. Matth. 5. Gen. 18. Novarin. in Agno Euchar.*

cinctu eſt appropinquare tabernaculo DEI. Per aquam, & lotionem pedum intelligit Sacramentum Pœnitentiæ, & lachrymas peccatoris, qui ad Sacramentum Euchariſtiæ venit. Per arborem, ſub qua quieſcendum eſt, intelligit Myſteria Vitæ, & Mortis Chriſti, præcipuè arborem Crucis, cui affixus fuit Salvator. Denique per buccellam panis intelligit ſpecies panis in Euchariſtia, in quibus realiter continetur Corpus & Sanguis JEſu Chriſti. Hunc in finem Novarinus quemlibet fidelem ad S. Synaxim accedentem ſic alloquitur: *Sub arbore Crucis requieſce, Euchariſtiæ Panem comeſturus.* Id eſt: Poſtquàm lachrymîs veræ contritionis laviſti pedes tuos, id eſt, affectus animæ tuæ, ſub arbore Crucis requieſce, ruminandô, contemplandô, fixîs oculîs inſpiciendô in vitam, acta, & facta Crucifixi: Dein accede ad menſam Domini, Euchariſtiæ Panem comeſturus. Nec dubita, quin dignè compareas, & condebitas præmiſeris diſpoſitiones. Hæc & ſimilia Novarinus.

N. 10. Et benè. Quomodò enim ſub arbore Crucis non dignè ad Sacram Communionem diſponatur homo? inſpiciendô vitam, acta, & facta myſterioſa Salvatoris ſui non conteratur de peccatis ſuis? non concipiat vivam fidem, & ſpem firmam? non exardeſcat in charitate Dei? non deponat omnem rancorem, & odium proximi ſui? Inprimìs, ſi conſideret homo, Unigenitum Dei Filium deſcendiſſe de cœlo, ut deleat peccatum hominis, in ligno mortuum, & ita mortuum, ut omnia oſſa ejus fuerint concuſſa, nec ſpecies, neque decor in eo remanſerit, & hoc unicè, ut homo vitam habeat, & abundantiùs habeat; an non cor humanum immenſè doleat, doloroſè illachrymetur, intimè conteratur de peccatis ſuis, quæ amaræ Chriſti JEſu mortis unica cauſa extiterunt? Si moriente Salvatore perpendat homo, petras fuiſſe ſciſſas, velum templi diſruptum, ſepulchra aperta, aërem obtenebratum, univerſam terram motu horrendo contremuiſſe; an ipſe, lapide durior, non moveatur, & defleat peccata ſua? Secundò: Quomodò homo ſub arbore Crucis non eliciet fidem vivam, & ſpem firmam, ſi ruminat, & trutinat, conſummatorem fidei inter tanta miracula vitæ, & mortis manifeſtè ſe probâſſe eſſe verum Deum, ita, ut ipſi Judæi increduli, tandem convicti, dum Chriſtus in Cruce mortuus fuit, percuſſo pectore regrederentur domum, & faſſi fuerint:
Marc. 15. *Verè hic homo Filius Dei erat?* Si perpendit, in Cruce veniam benignè conceſſam fuiſſe latroni pœnitenti, Petrum foris plorantem

tem feliciter rediiſſe in gratiam, Magdalenam peccatricem ſub Cruce finalem obtinuiſſe remiſſionem omnium delictorum, abundantiſſimam copiam Sanguinis ex Vulnere manuum, pedum, & lateris non alio fine fluxiſſe, quàm ut peccata hominum abluerentur, & accreſceret ſpes ſecura ſalutis? Tertiò: Quomodò ſub arbore Crucis non exardeſcat in corde hominis perfectiſſima charitas Dei, ſi memori mente recolat, Deum Patrem ſic dilexiſſe mundum, ut Unigenitum ſuum dare non dubitârit, Deum Filium factum fuiſſe obedientem usque ad mortem, & quidem usque ad mortem Crucis, ut ad vitam reconvaleſceret homo? Denique, quomodò in homine non extinguatur omnis rancor, non annihiletur omne odium in proximum ſuum, ſi audit, & videt Salvatorem ſuum in Cruce agentem animam nedum plenariam veniam indulſiſſe inimicis ſuis, ſed inſuper multîs ſuſpiriîs orantem pro crucifixoribus ſuis? Unde eleganter ſuper illud Sponſæ: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo;* ſic ſermocinatur Ludovicus de Ponte: *Meditatio Paſſionis, & amaritudinum Chriſti, eſt optima præparatio ad dignè recipiendum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum.* *Cant. 2.* *Ludovic. de Ponte in Cant. 2.*

Cùm igitur Sodales Roſariani frequenter ſub arbore Crucis quieſcant, & in Sanctiſſimis Vitæ, & Mortis Chriſti meditandis Myſterijs exerceantur, nemini dubium eſſe poteſt, quin dignè præparentur ad S. Communionem. N. 11.

Hiſtoria.

JUvenis quidam nobilis, dum in alienas terras proficiſcitur, in ultimo Vale à matre ſua piè admonetur, ut pro felici rerum ſuarum ſucceſſu præter frequentem Sacræ Confeſſionis, & Euchariſtiæ uſum in dies in honorem B. Virginis Mariæ diceret unum *Ave* Angelicum. Filius acquieſcit conſilio matris, à domo paterna abit, primitùs quidem, ſicuti cultui Mariano quotidie, ita & ſæpiùs digno uſui Sacroſanctæ Euchariſtiæ utiliter inhærens, ſucceſſivè autem in tam enormia ſcelera prolapſus, ut ſeſe prædonibus aſſociârit, & brevî temporis intervallô omnium latronum primipilus evaſerit. Intereà peccatorum numerô jam expletô à judice deprehenditur, paucíſque ad mortem damnatur, totus tum ob

 tur-

turpiſſimam vitam, quam egerat, tum ob neſandos nævos, quos toti familiæ ſuæ inuſſerat, deſperatus. In hac anxietate ipſi aſſiſtit juvenis ignotus, qui ſpopondit deſperato & à vinculis, & à morte optatiſſimam liberationem, dummodò in quædam petita conſentiret. Facilè hoc erat perſuaſum adjudicato morti, qui ociùs ad juſſa peregrini (larvatus dæmon erat) abjurat Chriſtum Salvatorem ſuum, omniáque Eccleſiæ Sacramenta. Inſtat ulteriùs dæmon, ut ſacrilegè quoque abjuretur glorioſa Deipara Maria. Aſt fruſtra! Nequaquam enim ad hoc animus utcunque aliàs jam deſperati peccatoris adduci potuit; quin potiùs à contrario ad Mariam ſe converterit; & multas inter lachrymas per ejus interceſſionem peccatorum ſuorum veniam ingemiſcere cœperit, totam noctem, quæ finali mortis judicio præceſſerat, inter ſuſpiria ad Matrem miſericordiæ conſumens. Jam dies mortis aderat, reus ad locum ſupplicij ducitur, & dum in via ad Sacellum quoddam Divæ Virginis devenit, nedum multiplicato gemitu, & repetitis his vocibus: *Refugium peccatorum, adjuva me!* Mariæ patrocinium implorat, ſed inſuper à lictoribus facultatem obtinuit, propiùs accedendi ad imaginem Divinæ Matris, oſculandi pedes ejus, & dulci illius amplexu aliquantiſper perfruendi. Et ecce! vix reus acceſſerat, imago Dei Genitricis extendit brachia, ſolvit vincula captivi, ſicque ſtringit illum, ut nulla vi eidem eripi potuerit. Ad tantum miraculum obſtupet populus, reus abſolvitur à mortis ſententia, deprædicat Matrem pulchræ dilectionis, ſicque roboratur in cultu Mariano, dignáque Sacræ Euchariſtiæ frequentatione, ut plenus meritîs, piîsque operibûs clauſerit extremum diem ſuum. Pelbartus à Temeswar in Stellario coronæ B. Virg. Cap. 12. Lib. 12. Mirac. 2.

SER-

SERMO TRIGESIMUS PRIMUS.

Dominica tertia poſt Pentecoſten.

THEMA.

Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Luc. 15.

Beata Virgo in Roſario quærit drachmam perditam, & eâ inventâ lætatur.

MAgna erat paſtoris hodierni ſolicitudo ſuper ovem perditam, reliquit nonaginta novem oves ſuas in deſerto, abiît poſt unam fugitivam, à quærendo non deſtitit, donec invenit, inventam impoſuit humeris, & gaudens reportavit ad ovile ſuum, adeò quidem, ut magnitudine gaudij impulſus mox convocaverit amicos, & vicinos, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ periêrat.* Sub hac ove perdita S. Bonaventura non intelligit aliud, niſi genus humanum; ſub paſtore verò Unigenitum Dei Filium, qui tunc perdidit ovem unam, quando ex rationabilibus creaturis homo peccavit, à divino præcepto receſſit, & paradiſô pulſus in deſertum hujus mundi errare cœpit. Hinc dicitur: *Omnes nos quaſi oves erravimus.* Ad hanc ergo ovem inveniendam reliquit Divinus Paſtor nonaginta

N. 1.

S. Bonav. in Luc.

Iſa. 53.

ginta

ginta novem oves in deſerto, id eſt, novem Choros Angelorum in cœlo, ad terram deſcendit, per avia & devia, per montium abrupta & vallium concava, in frigore & fame, inter rupes & vepreta inquirit, inventæ non iraſcitur, non percutit, non durè tractat, non reducit eam urgendô violenter, ſed ſumma manſuetudi-
Gloſſ. Ordin. ne imponit humeris ſuis, tunc ſcilicet, ait Gloſſa ordinaria, *quando humanam naturam ſuſcipiens peccata noſtra portavit, & ſcelera noſtra in Crucis brachia ſuſtulit.* Nec minora lætitiæ ſigna poſt inventam ovem in Chriſto, quàm in hodierno paſtore cernere erat; ſicut enim hic gaudens in domum ſuam reverſus eſt, & convocavit amicos, dicens: *Congratulamini mihi &c.* Ita Unigenitus
Hebr. 12. Dei Filius *propoſitô ſibi gaudiô ſuſtinuit Crucem*, ut loquitur Apoſtolus, & ubi glorioſè aſcendens in cœlum ad Patrem regreſſus eſt, convocavit, & occurrere ſibi fecit omnes Angelos, invitans, & innuens, ut gratularentur de ove inventa, & congauderent ei de ovium grege reſtaurato.

N. 2. Non minor erat ſolicitudo, affectus, & vigilantia, quam in hodierni Evangelij hiſtoria exhibuit mulier illa, quæ, ubi ex decem drachmis, quas domi habebat, unam perdidit, mox lucernam accendit, admoto lumine totam domum everrit, omnes angulos diſcuſſit, nulli labori pepercit, irrequietâ, & indefeſſâ diligentiâ hinc inde cucurrit, inveſtigare non ceſſavit, donec drachmam, quam perdidit, ad votum invenit, & quidem tantô cordis ſui jubilô, ut ad exemplum paſtoris quoque convocaverit amicas, & vicinas, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Drachma perdita non minùs, ac ovis amiſſa eſt figura hominis peccatoris. Sicut enim drachma Principis, à quo cudi juſſa eſt, portat effigiem; ita anima hominis ad imaginem Dei
Gen. 1. Creatoris ſui formata eſt, juxta illud: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Hæc drachma toties perditur, quoties homo per peccatum mortale imaginem Dei, animæ ſuæ impreſſam, eradicat, ſuæque dignitatis oblitus degenerat in filium dæmonis. Per mulierem, de drachma invenienda perſolicitam, hodie ſuo in ſenſu intelligo Mariam in Roſario, quæ, ſicut perditiſſimos peccatores reducit ſua interceſſione ad pœnitentiam, ita ſummoperè de illorum converſione lætatur.

N. 3. Magnam ſui ipſius jacturam homo patitur, quoties peccatum mortale committit. Inprimìs enim drachma animæ ita deperdi-

perditur, ut homo ex ſe, & viribus proprijs nullam reinventionis ſpem habeat, ſi Deus ſua pijſſima miſericordia, & infinita bonitate manum non porrigat, & viribûs corroboret ſpiritualibus. Nec primo intuitu peccator tam facilè ſibi promittere valet aſſiſtentiam divinam; quod hac ſimilitudine oſtenditur. Si tam eſſes impudens, ut elatô brachiô ipſi Regi colaphum impingere te velle minareris, & illo ipſo impetu in puteum caderes, cujus ſolus Rex claves habeat, ipséque ſolus vires haberet inde te liberandi; an non certiſſimè crederes, ſpem exiguam ſalutis tibi ſupereſſe, & ex perditionis lacu te non adeò facilè emerſurum fore? Simile contingit peccatori; ille enim committens peccatum mortale brachium attollit, ut Deo quodammodò colaphum impingat. Unde dicitur: *Tetendit adversùs Deum manum ſuam, & contra Omnipotentem roboratus eſt.* Simúlque eodem auſu, & impetu in culpæ puteum incidit, cujus Deus ſolus claves gerit, ſolúsque viribûs pollet, ut inde drachma perdita animæ extrahatur, juxta illud: *Ego ſum primus, & noviſſimus, & habeo claves mortis & inferni.* Hinc ſinè ſpeciali Dei miſerentis aſſiſtentia non credat peccator perditam drachmam animæ ſuæ ſe invenire poſſe, ſed potiùs timeat de jactura facta, & detrimento ſpontè accito. Unde S. Auguſtinus: *Sufficiunt tibi vires, quibûs tibi vitam auferas, tibi pectus pugione confodias, quo moriaris: At, ut mortuus denuò in vitam reſurgas, vires nullæ ſufficiunt, ſi ineffabili ſuâ Deus non ſuccurrat potentiâ.* Parî modô poteris te mortalì polluere noxâ, & drachmam animæ tuæ ultrò abijcere; ſed à noxa te abluere, projectam drachmam te ſolo invenire non vales.

Simile. *Applicatio.* *Job. 15.* *Apoc. 1.* *S. Auguſt.*

N. 4. Scio, peccatoribus occaſiones obvias non deeſſe, quibûs, quod perdiderunt, quandoque inveniunt. Sunt Concionatores, qui verbô divinô viam inventionis indigitant: Sunt imagines Dei, Deiparæ, & Sanctorum, quorum intuitu efficax deſiderium rei perditæ accenditur: Sunt libri pij, & geſta Beatorum, quorum ductu multi quæſièrunt, & recuperârunt drachmam perditam. Sunt & alia millena media; ſed ſemper ſinè fructu, ſi Deus manum non porrigat, & ad reperiendum vires ſuppeditet ſupernaturales. Hinc, ùt S. Cyprianus loquitur, ortus eſt tam extremus Martyrum timor. Sciebant vel maximè, quòd nullô negotiô poſſent liberari à tormentis Tyrannorum, ijs conſentiendò, Diisque pauca grana offerendô v. g. ſibi ipſis hæc, & ſimilia perſuadendô:

S. Cyprian. L. de lapſu.

dò: Hoc agam modò, poſteà iterùm deſuper me in Confeſſionali accuſabo, quo facto meas fiſco addictas opes, deperditum honoris gradum, & vitam recuperabo. Sic moleſtiſſimam hanc torſionem, qua Tyrannus me urget, facilè evadam. Optimè noverant Pœnitentiæ virtutem, Dei miſericordiam infinitam, qui dilatatîs brachiîs filium prodigum excepit redeuntem, pœnitenti David ad unum *Peccavi Domino* cuncta dimiſit, Publicanum ob unum *Deus propitius eſto mihi peccatori* remiſit in domum ſuam juſtificatum. Aſt hîs non obſtantibûs SS. Martyres ne momento quidem temporis locum dabant peccato; timebant enim, ne, ſi drachma animæ ſemel fuerit deperdita, illa denuò haud inveniri poſſet, & non niſi difficulter miſeratio Dei ſperari.

N. 5. Sed, ô vos felices Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij! vos enim ad interceſſionem Auguſtiſſimæ veſtræ Reginæ faciliùs poteſtis auxilium à Deo conſequi, citiùs drachmam perditam invenire, jacturam reſarcire; Maria enim in Roſario in ſenſu idoneo eſt mulier illa Evangelica, quæ lucernam accendit, domum everrit, & quærit diligenter, donec inveniat drachmam perditam, id
S.Bernard. eſt, animam peccatoris. Maria, ait S. Bernardus, accendit lucernam tunc, quando in virginali ſuo utero concepit Verbum æternum, lumen de lumine, de quo legimus: *Lucerna pedibus*
Pſalm.118. *meis Verbum tuum.* Hac lucerna Maria totam domum everrit, pergit S. Bernardus, id eſt, univerſas naturæ leges, efficiendô nimirum, *ut immortalis evaderet mortalis, æternus temporalis, Deus homo, & homo Deus, latitudo anguſta, longitudo brevis, altitudo humilis, profunditas plena, Verbum infantulus, lux non lucens, miſericordia obvians veritati, oſculum juſtitiam inter, & pacem.* Maria quæſivit diligenter, donec invenit drachmam perditam, quia, ſicut millenis gemitibûs cœlos inclamavit, ut mit-
Luc. 19. teretur ille, de quo dicitur: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod periêrat.* Ita eidem ſedulò in quærendo peccatore ſemper aſtitit, fidelis ſocia usque ad montem Calvariæ, à Cruce non diſcedens, eò usque pro ſalute, & redemptione ho-
Joan. 19. minum ſolicita, donec audire meruit: *Conſummatum eſt.* Non minùs Maria poſt mortem dilectiſſimi Filij ſui errantem ovem ſibi cordi habuit, utpotè titubantes in fide confortans, ignorantes viam ſalutis edocens, puſillanimes in ſana doctrina confirmans, gentiles ad veritatem reducens, cunctas hæreſes interimens, pecca-

catores patienter in ſinum ſuum recipiens. Unde non immeritò Sancti Patres verba Divi Apoſtoli Pauli, quibûs ſuis Romanis energicè recommendavit quandam Matronam, Mariam nomine, eò quòd multùm in converſione fidelium cooperata fuerit, applicant glorioſæ cœlorum Reginæ, adhortandô ſingulos: *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.*

Hanc eandem ſolicitudinem, & ardentiſſimum deſiderium, N. 6.
homines in Archi-Fraternitate ſanctiſſimi Roſarij reducendi ad ſtatum gratiæ, hodiedum oſtendit pijſſima Virgo Maria, hac in re Sanctæ Monicæ haud diſſimilis. Novimus de Sancta Monica, quòd, poſtquàm filius ejus Auguſtinus, veluti drachma perdita, jam videbatur periîſſe, nulla re magìs angeretur, quàm ùt perditam drachmam reinvenire poſſet. Aſſidua erat in orationibus ad Deum pro filio, inſtabat maternîs monitîs, addebat preces precibus, à latere filij perditi ſeparari noluit, eum usque Mediolanum ex Africa ſecuta, ut ſic tandem filius, qui mortuus erat, reviviſceret, qui periêrat, inveniretur. Unde dudùm ante converſionem Auguſtini Epiſcopus quidam S. Monicæ dixiſſe refertur: Impoſſibile eſt, ut filius tantarum precum pereat. Idipſum glorioſa cœlorum Regina videtur præſtare ſuis Roſarianis. Inprimìs aſſidua videtur eſſe in orationibus, & interceſſionibus ſuis ad Deum, ne ullus Roſarianorum pereat, ſed ut vitam habeat, & abundantiùs *B. Paſchal.*
habeat. *Maria enim*, ait apud Barez B. Paſchalis de Roſario, *apud Barez*
cum tota curia cœleſti pro eis orat in cœlo, qui Roſarium cum devo- in Chron.
tione perſolvunt in terris. Secundò: Glorioſa Dei Genitrix ſuis *Franc. L.*
Roſarianis non ceſſat inſpirare pia deſideria, ſancta propoſita, ſa- *9. c. 73.*
lutaréſque motus, ut veram contritionem concipiant, dignóſque *Tom. 4.*
pœnitentiæ fructus faciant. *Maria quippe, vel maximè merente Novarin.*
Roſario, compunctionis obtinet gratiam iis, qui, ſceleribûs maculati, in umbra
ad ejus recurrunt patrocinium, ait Novarinus, & noſter Lovvetius. *Virg. n.*
Tertiò: Auguſtiſſima Roſarij Regina à ſuis Roſarianis tamdiu a- *766.*
velli poſſe non videtur, donec, qui mortui ſunt, reviviſcant, &, *Loppez. in*
qui periêrunt, inveniantur. Adeſt quippe cunctis, teſtatur noſter *Synopſ.*
Goswinus, præſentes neceſſitates videndô, ut ſubveniat, præterita, & commiſſa peccata, ut expiet, futura pericula, ut avertat, & *Goswin. Dom. 2.*
ſic quærendô, ut drachmam perditam reperiat; *Advent.*

Et quidem lucernâ accenſâ, puta, Sanctiſſimô Roſariô. Ro- N. 7.
ſarium enim jam dudùm ſub metaphora *lucernæ ardentis, & lu-*

B. Alan. p. 3. Serm. 2. *centis* deprædicatum fuit à S. Patre Dominico apud B. Alanum: *Roſarium lumen eſt intellectûs*, ait perdoctus Rebellius; *quia, meditandô Myſteria vitæ Chriſti, ea veluti exemplaria noſtræ vitæ conſtituimus, &, qui illa ſequitur, non ambulat in tenebris.* *Rebell. L. 1. c. 10. a. 2.* *Roſarium eſt candela accenſa, quæ nos illuminat in medio tenebrarum*, addit prænominatus Rebellius. Oleum hujus lucernæ ſunt Sanctiſſima Nomina *JESUS* & *MARIA*, quæ repetitîs vicibûs Roſariani in ſuo Pſalterio corde meditantur, ore pronuntiant, oratione exaltant. *S.Bernard. Serm. 15. ſuper Cant.* *Quemadmodùm enim oleum*, ait S. Bernardus, *lucet, paſcit, ungit, nutrit carnem, lenit dolorem, eſt lux, cibus, & medicina;* ita Sanctiſſima Nomina *JESUS* & *MARIA* lucent prædicata, paſcunt recogitata, invocata leniunt, & ungunt. *Idem l. c.* *Unde enim*, pergit S. Bernardus, *in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato Nomine JESU? Hoc lumine Paulus illuſtrabat gentes, Petrus erexit claudum, & cæcos perſtrinxit Judæos. Nec tantùm lux eſt Nomen JESUS, ſed & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omninò animæ cibus, ſi iſtud oleum non infunditur. Eſt & medicina. Triſtatur aliquis veſtrûm? Veniat in cor JESU, & ecce! ad exortum Nomen JESU nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperandô; nónne, ſi invocet Nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?* Hæc eadem olei encomia peridoneè adaptantur dulciſſimo Nomini Mariæ, cujus dulcedinem ipſa olim explicare dignata eſt S. Brigittæ hìs verbìs: *Revel. S. Brigitt. L. 1. c. 9.* Audi, quantùm Filius Nomen meum honorârit! Meum Nomen dum Angeli audiunt, gaudent, lætantur, qui in purgatorio ſunt; ſicut æger jacens in lecto, dum audit verba ſolatij. Angeli Cuſtodes ad hoc Nomen auditum magìs appropinquant juſtis, & de eorum lætantur profectu: Hoc Nomen verentur dæmones, & timent: Nullus denique ita frigidus eſt in amore Dei, quin, ſi hoc Nomen factô firmò propoſitô, non amplius revertendi ad peccata, invocaverit, ſtatim diabolus ab eo diſcedat, &, quemadmodùm muſca perit in oleo, ad Nomen *MARIÆ* evaneſcat.

N. 8. Quid mirum igitur, ſi Maria, veluti mulier Evangelica hodie, lucernâ accenſâ, id eſt, ſanctiſſimô Roſariô, oleô Sanctiſſimi Nominis *JESUS* & *MARIÆ* admoto, quærat drachmam perditam,

in-

infallibilem ſibi ſpondeat inveſtigationis effectum? Id enim jam dudùm eidem à Filio promiſſum eſt, ut refert B. Alanus; dum *B. Alan. p. 2. c. 7.* enim pijſſima Mater ſupplex inſtabat apud Filium hìs verbìs: *Peto, ut, quotquot in Pſalterio ſalutem quærunt, inveniant;* reſponſum accepit: *Fas non eſt avertere faciem tuam, Mater. Fiat, ùt poſtulas.* Et ex hoc

O quis explicabit magnitudinem gaudij, & exultationis in corde Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ, ſi, quem inquiſivit, peccatorem invenit. Mulier hodierna gaudium de drachma reinventa non capiebat ſola, ſed inſuper omnes vicinas, & amicas ſibi congaudere, & congratulari voluit, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Idipſum de glorioſa cœlorum, terrarúmque Domina affirmare licet. Sola enim ingens illud gaudium, ubi peccator, qui mortuus erat, reviviſcit, qui perièrat, invenitur, nequaquam continere valet, ſed ſinè mora quodammodò omnes Sanctos, cunctósque Spiritus Angelicos convocare videtur, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Inde dicitur in hodierno Evangelio: *Ita dico vobis: Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Cujus in Angelis gaudij varias aſſignant rationes, & motiva plurima Sancti Patres. Ideò, inquit S. Bonaventura, ſuper pœnitentiam peccatoris gaudent Angeli; *quia ſic deſtruitur culpa, reſtituitur juſtitia, confutatur damnum ſuperbiæ, efficax efficitur Angelorum cuſtodia, reparatur Eccleſia, placatur ira divina, & reſtauratur Jeruſalem ſuperna.* Alia varia motiva allegat Lucas Burgenſis. Primò: Quia Angeli in homines valdè benigni ſunt, ſicque nihil magìs, quàm eorum ſalutem ſibi cordi habent. Secundò: Quia peccatores per dignos pœnitentiæ fructus Angelis ſimillimi efficiuntur. Tertiò: Quia per pœnitentes Angelorum numerus, factáque per Luciferum, & aſſeclas ejus ruina in cœlo reſtauratur. Quartò: Quia hoc modo amplificatur gloria altiſſimi Numinis, & regnum cœlorum copioſô civium augmentô exaltatur. Et demùm: Quia Angeli tenerrimè Deum diligunt, & perſpectè noverunt, Deo ſuo nihil gratius, aut deſiderabilius eſſe, quàm converſionem peccatorum. Si ergo propter hoc ſuper uno peccatore pœnitentiam agente tanta eſt lætitia, tantus plauſus, & exultatio inter Angelos; quàm major in corde Mariæ erit jubilus, in ore jucunditas, & in fronte ſerenitas ſuper peccatore

N. 9.

S. Bonav. in Luc.

reinvento, & converſo? Maria enim, Mater divinæ miſericordiæ, longè magis de ſalute peccatoris ſolicita eſt, quàm omnes Angeli: Maria multò ardentiùs amplum Dei gloriæ incrementum deſiderat: Maria millenîs votîs amplificationem cœleſtis regni anhelat: Maria longè teneriore amoris affectu, longè exceſſivo charitatis impulſu in Deum fertur, quàm omnes Angeli; conſequenter multò ardentiori ſpiritu id vult, quod novit Majeſtati Divinæ eſſe gratum, & deſiderabile, ſcilicet converſionem peccatoris.

N. 10. Ante omnia autem glorioſiſſima cœlorum Regina lætatur in converſione, & reinventione ſuorum Roſarianorum, quia illos ſibi charisſimos habet, & *plùs amat quemlibet pſallentem in Roſario*, ùt teſtatur B. Alanus, *quàm poteſt facere totus mundus patrum, & matrum habentium unicum filium.* Ad hoc declarandum aptiſſimè inſervit Parabola illa, quam incarnatus Dei Filius ipſe propoſuit de patre habente duos filios, quorum adoleſcentior petiît ſibi conſignari portionem hæreditatis paternæ, & peregrè profectus eſt in regionem longinquam, ubi brevî temporis intervallô totam ſuam diſſipavit ſubſtantiam, vivendô luxurioſè. Intereà fames valida facta eſt in regione illa, &, qui paulò ante deliciîs diffluebat, conſumptô aurô paternô eſurire cœpit, & egere, adeò quidem, ut cuperet implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Unde in ſe reverſus dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibûs, ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum.* Nondum paternos lares attigerat, & dum vidit illum à longè venientem pater, miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum, mandans ſervis ſuis: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamentum in pedes ejus, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, periêrat, & inventus eſt. Hîs non contentus amantiſſimus parens ſymphoniam quoque addidit, & choros, diémque illum inter centena gaudia celeberrimum habuit. Res mira! Patri huic duo erant filij, qui amorem paternum ex æquo potuiſſent dividere, niſi junior, ex juvenili pruritu incitatus, ſeipſum paterno affectu reddidiſſet indignum, & ſenior, qui dilecto genitori ſuo promptiſſimus ſemper erat ad obſequia, nec unquam mandatum ejus transgrediebatur, totum ſibi cor paternum ſolus rapuiſſet. Et nihilominùs,

B. Alan. 4. p. c. 24.

Luc. 15.

minùs, ô ſtupendam amoris paterni vim! tot lætitiæ ſigna, tanta jucunditatis ſolemnia, inſolitus gaudiorum complauſus auditur in domo, ſolemnizatur à parente, celebratur inter domeſticos, quando filius prodigus reinventus eſt. Aſt cedat hæc res geſta exultationi illi, quam inter aggratulationes Angelorum, inter complauſus civium ſupernorum, inter feſtiva vota totius curiæ cœleſtis concelebrat Auguſtiſſima Roſarij Regina tunc, quando aliquis Sodalium ſuorum mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt. *Ipſa enim plùs amat quemlibet pſallentem in Roſario, quàm poteſt facere totus mundus patrum & matrum, habentium unicum filium;* eſto, aliàs iſte amor ſit intenſiſſimus.

Videtur proinde amabiliſſima cœli Domina Sodales ſuos dilectos iìsdem verbìs alloqui, quæ olim S. Apoſtolus Paulus ſcripſit ad charos ſuos Philippenſes: *Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea.* Quemadmodùm enim Apoſtolus integram gaudiorum ſuorum ſummam, & totius gloriæ ſuæ complementum collocavit in converſione Philippenſium; ita Beatiſſima Virgo Maria perfectum gaudiorum ſuorum cumulum, totius exultationis,& gloriæ plenitudinem poſuiſſe videtur in glorioſa pœnitentia ſuorum Sodalium. Unde acclamat illi Divinus Paranymphus: *Veni de Libano, Sponſa, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & montibus pardorum.* Sed quid hoc rei? quis iſte dictionis modus? quæ hæc corona? quis unquam vidit, audiît, vel legit coronam ex vertice montium, & cubilibus leonum contextam? Si Sponſa invitaretur ad coronam auream, vel argenteam, elegantiſſimìs gemmìs exornatam, nemo miraretur; quia ejusmodi corona ſemper impoſita fuit Sponſis Regum, & Imperatorum. Si Sponſæ promitteretur corona ſtellarum duodecim, res non eſſet inſolita; quia ejusmodi coronam jam dudùm in capite Mariæ conſpexit Joannes: *Et ſignum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Si mentio fieret de corona florida, roſìs,& liliìs intertexta, facilè acquieſceret intellectus; quia hinc inde in Hiſtorijs manifeſtum eſt, Mariam roſìs coronatam apparuiſſe Sodalibus Sanctiſsimi Roſarij. Aſt Sponſæ offerri coronam ex montibus, ex jugis alpium, & vertice collium, ex cubilibus leonum,& ſylvis pardorum, quis hoc capiet? quis fidem adhibebit?

N. 11. Philipp. 4. Cant. 4. Apoc. 12.

quis non mirabitur? Et tamen ipſiſsima veritas eſt, myſterium jucundiſsimum, & dulciſsimum univerſis, qui noverunt genuinum ſenſum, & medullam rei ex Scriptura eruere. Amana, Sanir, & Hermon ſunt aſperrimi montes Syriæ, inexperti hominibus, occupati verò, & inhabitati à ferociſsimis beſtijs: Unde juxta Sanctos Patres ſunt Symbola, & ſigna impiorum peccatorum. *Amana* juxta Richardum à S. Victore interpretatur *Turbulentus*, & *Inquietus*, & ſignificat peccatorem avarum, qui cupiditate lucri incenſus continuò apparet turbulentus, & inquietus in inceſſu, habitu, & omnibus motibus ſuis. *Sanir*, ait noſter Hugo, interpretatur *Fœtor*, ſeu *Avis nocturna*, & Symbolum eſt hominum luxurioſorum, qui ſunt fœtidiſſimæ aves nocturnæ, in cœno luxuriæ ſeſe volutantes, & odio habentes lucem, tum, quia malè agunt, tum, quia turpiſſima opera ſua manifeſtari nolunt, correctionem averſantes, & ſcarabæorum inſtar fœtere eligentes. *Hermon* idem ſignificat, ac *Excommunicatus*, ſeu *Anathema*, & denotat juxta præfatum noſtrum Hugonem detractores, invidos, & diſcordes, qui unitatem rumpunt, & ſchiſma faciunt. Per *Cubilia leonum* intelliguntur ſuperbi, & ambitioſi, qui inſtar leonis volunt ſuper alios eminere, dominari, & à ſingulis adorari. Per *Montes* denique *pardorum* innuuntur hypocritæ, & ſimulatores, qui pardos æmulandô aliud externè ſimulant, aliud in corde cogitant. Quando ergo Divinus Paranymphus Sponſam invitat: *Veni de Libano, Sponſa, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum;* indicare, & innuere videtur, peccatores converſos eſſe unicum gaudium, & quaſi coronam dilectiſſimæ Matris ſuæ, de quibus ipſa cum Apoſtolo Paulo fatetur: *Fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea!* Ita teſtatur Richardus: *Beata Virgo de cubilibus leonum, & de montibus pardorum coronari dicitur; quia peccatores, tanquam feræ ſylveſtres, per gratiam, & orationes Mariæ ſunt ſtellæ, ut conveniant capiti tantæ Reginæ.* Unde dicitur: *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

Richard. à S. Vict. ſuper Cant. *Hugo à S. Charo.* *Idem in hunc loc.* *Philipp. 4.* *Richard. L. 3. de Laud. Virg.* *Apoc. 12.*

N. 12. Nihil ergo ſupereſt, Sodalis Mariane! niſi ut dilectiſſimam Matrem tuam deſideratô converſionis tuæ ſolatiô non ulteriùs prives, pœnitentiam tuam longiùs non differas, *veluti aſinus non recalcitres,* ait S. Chryſoſtomus, *non laſcivias ùt taurus, tanquam equus poſt mulie-*

S. Chryſoſt. Hom. 23. ad pop. Antioch.

mulieres non hinnias, ventri tanquam urſus non indulgeas, & ùt mulus carnem impingues, & malum memoriâ teneas, ùt camelus, rapias ùt lupus, ùt ſerpens iraſcaris, ferias ùt ſcorpius, ſis ſubdolus ùt vulpes, nequitiâ verò tanquam aſpis, & vipera venenum ſerves, ſed coronam celeriùs Mariæ dilectiſſimæ Matri tuæ ociùs conficias, quæ de cubilibus leonum, & de montibus pardorum coronari exoptat, & inſtar hodiernæ mulieris de inventa drachma lætatur.

Hiſtoria.

ÆQuè ſalutem invenit, ac ad ſalutem invenitur perditiſſimus quisque, qui in Regina Sacratiſſimi Roſarij ſuam collocat finalis gratiæ fiduciam. Martinus Gutrich à puero in Lutheraniſmo educatus, utcunque in moribus, & vita alias honeſtus, illud tamen, quod cum lacte ſuxerat, erroneum fidei dogma ut reijceret, haud perſuaderi potuit. Intereà gravi morbô correptus, & jamjam morti proximus petit à circumſtantibus, ut in ſuum, antequàm moreretur, ſolatium advocaretur Forverius, pro tempore Suffraganeus Bambergenſis. Conſanguinei timentes, ne infirmus mutaret fidem, non Forverium, ſed Præfectum loci adeſſe jubent, qui unà cum turba integra familiarium omnem movet lapidem, ut drachma perdita in ſuis latitare pergeret fidei tenebris. Sed fruſtra! Gutrich enim totîs viribûs in tuto fidei Catholicæ, antequàm ex hoc ſæculo migraret, ſe ponere intendit, ſanctè atteſtans, quòd, ſi plures alij audirent, quæ ipſe vidit, & audiît, facilè ſuum eſſent ſecuturi exemplum. Ut ergo in notitiam hujus arcani ſecuriùs devenirent domeſtici, tandem curioſitate ducti diu deſideratum Reverendiſſimum Forverium ſiſtunt coram ægroto, nequaquam dubitantes, quin huic ſuam viſionem fideliter eſſet expoſiturus Gutrich. Nec fuerunt decepti! Mox enim æger ad Forverium ſic loqui cœpit: Quanta ſit miſericordia Mariæ, quærentis drachmam perditam, ego quoque teſtis ſum. Nuper in Pervigilio Immaculatæ Conceptionis apparuit mihi Beatiſſima Virgo Maria cum tanto cordis mei ſolamine, ut, quoties recordor, toties præ gaudio quaſi emoriar. Hæc dulciſſima Virgo nedum appropinquantem ultimum vitæ meæ terminum circa Feſta Natalitia mihi revelare dignata eſt, ſed inſuper gratioſum addidit promiſſum, me Deo miſerente inter drachmas perditas

ditas non fore numerandum, ſed potiùs eo applauſu, quo Angeli in cœlis gaudent ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, recipiendum in æterna tabernacula, eò quòd in dies in honorem ipſius aliquas dixerim Salutationes Angelicas. Cùm enim quadam die tuis, Reverendiſſime Forveri, intereſſem concionibus, multáque de virtute Salutationis Angelicæ audiviſſem, ab eo tempore nunquam intermiſi, quin manè, & veſpere ſeptem Salutationes Angelicas in honorem glorioſæ cœli Reginæ flexis genibûs recitaverim. Jam ergo juxta mandatum Venerandiſſimæ meæ Patronæ peto à te Sacroſanctîs, quæ Eccleſia moribundis præbet, Sacramentîs provideri. Voti ſui deîn factus compos in media nocte Nativitatis Salvatoris ſanctiſſimè obiît Gutrich. Georgius Calvenerius in Calendario B. Virg. ad diem octavum Decembris.

SERMO TRIGESIMUS SECUNDUS.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Laxate retia veſtra. Luc. 5.

Sanctus Dominicus cum ſuis erat piſcator, qui per Roſarium, ceu rete quoddam, multos deſperatos ex profundo iniquitatis eduxit, & varios titubantes deportavit ad littus firmæ ſpei.

N. 1. Quod hodie Divo Petro, id frequenter etiamnum accidit ijs, qui inordinatè rebus terrennis inhiant. Petrus per totam noctem vigilavit, ſudavit, remigavit, rete projecit

jecit modò ad dextram, modò ad ſiniſtram, modò ad proram,
modò ad puppim; aſt irrito conatu, ut ipſe fatetur: *Præceptor,*
per totam noctem laborantes nihil cepimus. Idem hodiedum con-
tingit ijs, quorum mens tota, ſingulique ſenſus ad hæc inferiora
defixi hærent. Mare eſt mundus præſens, juxta illud: *Hoc mare* *Pſalm. 106.*
magnum, & ſpatioſum manibus. Mare ſalſum per cupiditatem,
addit noſter Hugo, fœtens per luxuriam, tumens per ſuperbiam. *Hugo à S.*
Aquæ ſunt divitiæ, deliciæ, & honores mundi, ſinguláque alia *Charo in*
peccata, quæ intrant usque ad animam per delectationem, ſuffo- *Pſalm. 68.*
cant per conſenſum, & ſubmergunt per operationem. In his a-
quis piſcantur homines per totam noctem hujus vitæ, & in fine
nihil ſe cepiſſe ingemiſcunt. Multi exercentur continuìs tribula-
tionibûs, ærumnîs, infirmitatibûs, & preſſurîs; nihilominùs fru-
ctum nullum referunt, quia deeſt patientia, quæ unica opus per-
fectum habet, ſimilia à ſolo Deo in bonum animæ immitti non
conſiderant, proinde in murmura, & turpem deſperationem dila-
buntur. Alij pro lucro rerum temporalium ſe defatigant, diu,
noctúque occupantur in obtinendis voluptatibus, divitijs, & ho-
norum faſtigijs, nihil tamen laborantes capiunt; voluptuoſi qui-
dem nihil, quàm infamiam, infirmitates incurabiles, ſummáſque
inimicitias; avari nihil, niſi inquietas ſolicitudines, timores, &
tædia. Hinc dicitur: *Dormiêrunt ſomnum ſuum, & nihil inve-* *Pſalm. 75.*
nerunt viri divitiarum in manibus ſuis. Superbi nihil, niſi fumum,
& ventum. Cui conformiter eleganter loquitur Juſtus Lipſius: *Juſt. Lipſ.*
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago, ut verbò
abſolvam, nihil. Id expertus eſt Job, dum dicit: *Habui menſes* *Job. 7.*
vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi. Salomon: *Vidi in* *Eccle. 2.*
omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere.
Aman: *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Et benè: *Eſther 5.*
Temporalia enim, ùt ſubtiliter annotat noſter B. Albertus Mag-
nus, cum ſummo labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, *B. Albert.*
cum dolore præter voluntatem quotidie perduntur. Longè feli- *M.*
ciores æſtimandi ſunt illi, qui imitandò veſtigia Sancti Petri in
verbo Chriſti laxant retia ſua, id eſt, qui præmiſſa bona intentio-
ne cuncta ſua opera in gloriam Dei referunt, in omnibus majorem
Dei laudem ultimatim intendunt; hi enim cum Principe Apoſto-
lorum capiunt, & concludunt piſcium multitudinem copioſam,
& implent naves ſuas omni benedictione cœleſti; hi ſibi congre-

Matth. 6. gant *theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Hîs tamen omiſſîs homines hodie contemplor non tam ùt piſcatores, quàm ùt piſces natantes in hoc mari magno, & ſpatioſo mundi, quorum alij per rete ſanctiſſimi Roſarij ex profundo iniquitatis educuntur; alij ex medio fluctuum timidæ conſcientiæ deportantur ad littus firmæ ſpei.

N. 2. Peccatores piſcibus comparari, ipſa S. Scriptura teſtatur. *Habac. 1.* *Facies hominis, quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem.* Quemadmodùm enim piſces in imo terræ, & cœno, & luto aquarum frequenter hærent, ſubinde diſcurrentes, ſaltus edunt ſuper aquas, unicéque nutriuntur ex ijs, quæ deferunt aquæ; ita reperiuntur peccatores ita mundi rebus, ejúsque impurîs deliciîs abſorpti, & ventorum turbine modò in hanc, modò in alteram partem celeriter delati, qui nunquam ex illis exire ſciunt, ſed in ipſis demerſi vivunt, varij generis ſpurcitijs immobiliter inhærentes. Unde jam dudùm Deus ter Optimus Maximus peccatores ſub figura piſcium à ſe, & à ſuo ſacrificio excluſos voluit *Levit. 11.* hìs verbìs: *Quidquid autem pinnulas, & ſquamas non habet eorum, quæ moventur in aquis, & vivunt, abominabile vobis, execrandúmque erit;* *Origen.* quia ſcilicet, ait Origenes, ſimilia animalia ſemper in imis terræ, in cœno, & luto aquarum morantur. Ad hos piſces capiendos primi piſcatores deſtinati fuerunt Sancti Apoſtoli, & poſt illos omnes divini verbi Præcones, juxta illud Chriſti Domini: *Matth. 4.* *Faciam vos piſcatores hominum.* Quibus etiam uberrimos piſcationis fructus pijſſimus Salvator in hodierno Evangelio oſtendere *Toletus.* dignatus eſt, ubi, teſte Toleto, copioſa piſcium captura nihil aliud indicavit, quàm innumeram animarum multitudinem, quam Apoſtoli & hamô divini verbi, & retibûs Evangelicæ prædicationis per totum mundum explicatîs, & extenſîs capturi forent. Ejuſmodi hamô, & ſimilibûs retibûs utuntur omnes ij, quibus cura animarum, & converſio peccatorum cordi eſt. Hamus enim, *S. Epiphan.* inquit S. Epiphanius, eſt Unigenitus Dei Filius in carne humana, dum prædicatur infidelibus, & peccatoribus in remiſſionem delictorum: Hami divini eſca, teſte prælaudato S. Epiphanio, eſt Beatiſſima Dei Genitrix, quia, ut homines, tanquam piſces, copioſiùs & citiùs capiantur, efficaciſſimum medium eſt Maria: Rete verò eſt ſanctiſſimum Roſarium. Si námque retia, quibûs utebantur Apoſtoli, dum electi fuerunt primi piſcatores hominum, nihil

aliud

aliud erant, quàm quædam verborum complexiones, quibûs, veluti quibûsdam laqueîs, & capiebantur, & tenebantur homines; quidnî tale rete Roſarium dixero, in quo altiſſimæ dantur verborum complexiones, utpotè compoſitum ex verbis, quæ ipſe Dominus JEſus docuit orare in oratione Dominica, ex verbis Archangeli Gabrielis, Eliſabeth, & Eccleſiæ, quæ comprehenduntur in Salutatione Angelica, & denique ex verbis Symboli, quod Sancti Apoſtoli congeſſerunt, quæ omnia verba veriſſimè laquei quidam ſunt, quibûs capiuntur, & tenentur homines?

Et in hoc reti ſanctiſſimi Roſarij ô quàm ingens piſcium, ſeu peccatorum multitudo ſemper concluſa fuit! mediante hoc reti ô quàm copioſam capturam obtinuerunt piſcatores hominum! quàm uberes reportârunt piſcationis ſuæ fructus! Teſtis eſt omni exceptione major Sanctiſſimus Pater Dominicus primus ſanctiſſimi Roſarij Fundator, & retis Mariani Inventor. Cùm enim quadam die Pariſiîs rete ſanctiſſimi Roſarij laxaret in unico Sermone de Mariano Pſalterio, numeroſam adeò ſuæ piſcationis mercedem adeptus eſt, ut vix Propheta Jonas in ampla civitate Ninivitarum copioſiorem retuliſſe cenſendus ſit. Mare ſalſum erat Ninive per cupiditatem, fœtens per luxuriam, tumens per ſuperbiam; impunè graſſabatur ſcelus omne: A tribunalibus longè erat juſtitia, prædominabantur potentes, & divites, viduæ verò, pupilli, & pauperes opprimebantur, in domibus civium multiplicabantur adulteria, & fornicationes, in tabernis fraudes, & deceptiones, in aula ambitio, & invidia, in cauponis commeſſationes, & ebrietates, in plateis ſcandoloſa tripudia, & choreæ, in templo impietates, & irreverentiæ nefandæ. *Unde factum eſt verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge, & vade in Ninivem civitatem grandem, & prædica in ea: Quia aſcendit malitia ejus coram me.* Obtemperavit præcepto divino Jonas, venit ad civitatem Ninive, & vix prima die pœnitentiam prædicare cœpit, ubi jam copioſum prædicationis ſuæ fructum adeptus eſt; ùt enim atteſtatur Sacra Pagina: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccîs à majore usque ad minorem.* Imò, ubi verba prædicationis devenerunt ad ipſum Regem, *ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſaccô, & ſedit in cinere.* Nec hoc ſatìs erat, ſed inſuper edictum regium promulgavit in univerſa civitate, hoc tenore:

N. 3.

Jon. 1.

Jon. 3.

Homines, & jumenta, & boves, & pecora non guſtent quidquam: Nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat DEUS: Et revertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Unde ait S. Chryſoſtomus: Si quis tunc temporis ingreſſus fuiſſet civitatem Ninivitarum, qui priùs eam probè noviſſet, nequaquam agnoviſſet eam; adeò enim repentè à turpiſſima vita ad pietatem reſiliêrat, adeò proſperè Jonas retæ divinæ prædicationis laxaverat, ut omnis populus & mores, & vitam ad virtutem reduxerit.

S. Chryſoſt. L. 1. de orando Deo.

N. 4. Simile quid expertus eſt in prædicatione ſanctiſſimi Roſarij Beatus Pater Dominicus. Mittebatur Vir Apoſtolicus à Deo ad civitatem Pariſienſem, quæ eo tempore, velut vetus Ninive, repleta erat malitia, & iniquitate. Venit ad civitatem, laxabat in nomine Domini rete Mariani Pſalterij centum quinquaginta cœleſtium Ave, & primo ſtatim Sermone & trigeſimum, & ſexageſimum, & centeſimum tulit piſcationis ſuæ fructum; ſecuta eſt enim integra morum mutatio, deſperatiſſimi peccatores ex profundo iniquitatis educti fuerunt ad emendationem vitæ, aſperrima pœnitentiæ opera paſſim aſſumebantur, adeò tota civitas mutata fuit in aliam, ut, qui eam priùs probè noverat, nequaquam ampliùs agnoſcere potuerit. Ita Sanctus Pater Dominicus ipſe teſtatus fuit Beato Alano, hîs verbîs: *Eo Sermone, veluti injecto reti retiarius, pænè totam urbem Pariſienſem comprehendebam tanto cum fructu, ut permagnæ ſint animarum conſecutæ mutationes apud incolas, & exteros, uſus, cultus, veneratióque Pſalterij paſſim omnî regnô crebreſcere cæperit, pérque ſingulas fermè familias, ac domos pervulgari.*

B. Alan. L. de Laud. Pſalt. c. 19.

N. 5. Veriſſimè proinde Sancto Dominico attribui poteſt id, quod aliqui malevoli, quibus aliena laus nauſea erat, & amaritudo mentis, tribuerunt Lyſimacho generoſo Alexandri Capitaneo. Cùm enim vidiſſent, Lyſimachum adeò in pugnando extitiſſe fortem, & dextrum, ut modica armorum vi eximias reportaret de hoſtibus victorias, urbium, regnorúmque faciliimè, & citiſſimè efficeretur poſſeſſor, judicârunt, has Lyſimachi laudes fortunæ potiùs, quàm virtuti, & robori eſſe adſcribendas. Hunc in finem pinxerunt Lyſimachum, quaſi dormitantem, & rete in aquas demiſſum ſuſten-

Plutarch.

ſtentantem, in quod urbes, & Provinciæ ſpontè ſuâ in magno numero intrârunt. Aſt hanc illuſionem, æmulorúmque ſuorum invidiam parùm perſenſit generoſus Bellidux, ſed potiùs ſubridendô ſubſcripſit: *Si hæc me dormiente, quid fiet me vigilante?* Strenui Belliduces non minùs, quàm indefeſſi piſcatores ſunt omnes illi, qui convertendis peccatoribus ſuam navant operam, animarúmque curam exercent, utpotè in ipſa Sacra Scriptura jam dudùm præfigurati per inſignes Belliduces Judæorum, nempe per Joſue, & Gedeon. Hinc dicitur illis: *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum.* Hos inter non minimus erat Sanctus Dominicus, qui ſalutis animarum, & martyrij cupidiſſimus nedum in evertendis hæreticis Albigenſibus ſeptem conſumpſit annos, plurimis eorum ad Catholicam fidem adductis, ſed inſuper ultra centum millia perditorum hominum, ùt paſſim in actis, & factis vitæ illius legimus, ad meliorem frugem reduxit, & quidem ad inſtar Lyſimachi, facillimè, & citiſſimè per prædicationem ſanctiſſimi Roſarij, in quod veluti in rete extenſum integræ regiones, urbes, & domus ſuâ ſpontè videbantur intrâſſe. *Eccleſ. in Brev. Ord. Præd. in Comm. Ap.*

Nec mirum erat hoc; ſecutus enim erat Sanctus Pater in explicando reti ſuo nutum Divini Magiſtri ſui, ſicut olim diſcipuli, ſeu Apoſtoli: *Erant ſimul* (verba Scripturæ ſunt) *Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis ejus duo. Et dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei. Venimus & nos tecum. Et exiêrunt, & aſcēnderunt in navim. Et illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto ſtetit JEſus in littore: Non tamen cognoverunt eum diſcipuli, quia JEſus eſt. Dixit ergo eis JEſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dextram navigij rete, & invenietis. Miſerunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Tanti effectûs erat nutus Divini Magiſtri apud Apoſtolos; & non minoris apud Sanctum Dominicum. Etſi enim & ille, & plures alij animarum zelatores diu laborâſſent in impugnandis illius temporis hæreticis, & convertendis peccatoribus, fermè tamen nihil prendiderunt, usquedum JEſus apparuit Sancto Dominico, illique innuit, ut laxaret rete ſanctiſſimi Roſarij hîs verbîs, ùt teſtatur Carthagena: *Vade, prædica Roſarium. Priùs enim homines* N. 6. *Joan. 21. Carthag. Hom. 1. de Roſar.*

mines debent induci ad orationis devotionem, & ſignanter ad Pſalterium meum Angelicum; quoniam, ſi homines cœperint hoc orare, non dubium eſt, quin perſeverantibus aderit pietas divinæ clementiæ. Nutum hunc amplexus eſt S. Dominicus, & per rete ſanctiſſimi Roſarij innumeram multitudinem peccatorum extraxit à profundo iniquitatis.

N. 7. Et ſimul permultos de ſalute ſua dubios,& titubantes deportavit ad littus firmæ ſpei. Verum quidem eſt, hominem, quamdiu corpus hoc terrenum aggravat animam, timorem inter, & tremorem vivere, nihilque eidem utilius eſſe, & ſalutarius, quàm
Prov. 28. moderatum, juſtúmque timorem. Hinc dicitur: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Si enim æquiſſimus rerum arbiter Deus etiam in Angelis ſuis invenit pravitatem, ſi etiam Apoſtoli, firmiſſimi fidei Coloſſi, ceciderunt, ſi David, Vir ſecundùm cor Dei,
Pſalm. 142. in dies deprecatus fuit Dominum: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine.* Quantò magìs neceſſe erit, ut timeamus nos debiles mortales, velut luna mutabiles, arundine mobiliores, vitiô fragiliores? Hoc tamen non obſtante ipſâ experientiâ edocemur, nimiam diffidentiam de miſericordia divina, inordinatam puſillanimitatem fluctantis animi, exceſſivámque mentis anxietatem pernocivam eſſe fidelibus. Multi, iniquè diffidentes de miſerationibus divinis, quarum tamen non eſt numerus, dicunt cum
Gen. 4. Cain: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Multi, dum plus æquô Divinæ Juſtitiæ rigorem, quàm infinitæ Miſericordiæ amplitudinem conſiderant, impiæ deſperationis voragine abſorbentur: Multi, ubi ſenſibilem de peccatis ſuis dolorem non percipiunt, jam ſe damnatos exiſtimant: Multi, quia certitudinem prædeſtinationis ſuæ ad vitam æternam inveſtigare non poſſunt, modò in hanc,modò in aliam fluctuant partem, ſeſe ipſos excruciant, inſtar piſcium maris fluctibûs anxietatûm hinc inde jactantur. Timor quippe inordinatus miſerè lacerat animam, enervat ſpiritum, & vires animæ, & quodammodò penitùs exſiccat humidum radicale in anima, quod eſt firma Spes Theologica.

N. 8. Aſt conſolamini, conſolamini, Sodales Mariani! qui eo ipſo, quòd in rete ſanctiſſimi Roſarij intrâſtis, jam quodammodò ad
Picinelli in Mundo Symbolico. portum firmæ ſpei feliciter delati fuiſtis. Rete Lemma ſibi adſcriptum tenet: *Eximit, non perimit.* Quia rete piſces concludit, non ut eos enecet, aut perire ſinat, ſed potiùs, ut ſinè ulla

eorum

eorum offenſa, aut vulnere eosdem ex amaro maris ſinu trans-
ferat ad dulces fontium aquas. Idipſum Archi-Fraternitati ſan-
ctiſſimi Roſarij jure optimo adſcribitur, quorum enim Fratrum,
& Sororum nomina continet, continet, non ut pereant, ſed ut
vitam habeant, & abundantiùs habeant, ut ex ſcrupulis, & an-
guſtijs ſuis, veluti ex turbulento amaritudinis fluento, ad jucun-
ditatem animi veniant, hauriántque limpidas aquas in gaudio
de fontibus Salvatoris. *Per Roſarium námque,* ait perdoctus Mar- *Marchant.*
chantius, *quaſi per ſagenam ampliſſimam in mare miſſam multos* *Opuſc. 2. de*
piſces ſelectos ad littus adduxit Sanctus Dominicus. De Roſario *var. Celebr*
exclamat magnum Seraphici Ordinis decus Carthagena: *Bone* *B. V.*
DEUS! quot Roſa Myſtica Maria cordis tremores depulit, æter- *Carthag.*
næ ſalutis fiduciam etiam deſperatis peccatoribus conferens! De *Hom. 3.*
Roſario atteſtatur Michovienſis, ſeipſum quosdam agnoviſſe vi- *Michov. in*
ros, in tantam deſperationis voraginem demerſos, quòd nemo *Comp. SS.*
poterat aliquid de eorum ſalute ſperare, qui tamen acceptô Ro- *Trin. c. 15.*
ſariô in tantum convaluerunt, ut ſpe, & virtute poſteà ſupera-
verint omnes. Debetur igitur ſanctiſſimo Roſario & illud Lem-
ma, quod citato loco reti inſcribitur: *Prædatur errantes.* Seu, *Picinelli*
Errantes detinet. Quemadmodùm enim ſagena miſſa in mare *ibid.*
errantes in vortice piſces congregat, comprehendit, & in tuto
collocat; ita Marianum Pſalterium Sodales ſuos, eſto, erraverint,
& in incerto peccatorum ſuorum diu ambulaverint, detinet, ne
intereant, ſuſtentat, ne in ulteriores errores abeant, cuſtodit,
ne ſeipſos perdant, imò quaſi prædatur illos, ut eò citiùs, & ſe-
curiùs ex incertis deſperationis fluctibus emergant. Unde mo-
nitum eſt noſtri Goswini: *Ecce, peccator! certum refugium,* *Goswin.*
cùm te deſperatio inceſſit: Roſarium recita, & confide, quia te- *Dom. infra*
ſtimonium firmum eſt, & certum, quo Deus ſuo juri cedit. *Nativ.*

Hoc jam olim in figura Vatis coronati nobis demonſtra- N. 9.
tum fuit. Plenus olim erat timore David, palpitabat, concutie-
batur, gemebat, anxietatibus, puſillanimitate, & deſperationis
motibus hinc inde jactabatur, multîs ſuſpiriis clamans ad Domi-
num, hoc modo: *Exaudi Deus deprecationem meam, intende ora-* *Pſalm. 60.*
tioni meæ. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor
meum. Tandem autem jucundè emergens ad portum firmæ fi-
dei, & ſuperans commotos anguſtiarum fluctus, lætè cantare cœ-
pit: *Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à*

facie

facie inimici. Unde autem, ſubintrat, & quæſtionem hîc po-
S. *Auguſt.* nit Magnus Auguſtinus, unde Chriſtus ſpes noſtra factus eſt? Sane non in alio, *quàm quia paſſus eſt pro nobis, quia glorioſè à mortuis ſurrexit: Non enim perdet nos Deus, propter quos miſit Filium ſuum tentari, crucifigi mori, reſurgere. Sic ergo factus eſt ſpes noſtra. In illo vides laborem tuum, & mercedem, laborem in Paſſione, mercedem in Reſurrectione. Sic enim factus eſt ſpes noſtra.* Sit ergo, quosdam ex Sodalibus Mariani Pſalterij plenos timore, & tremore anguſtiari, pavere, trepidare, & millenis timidæ conſcientiæ fluctibûs in omnem partem jactari, alta voce clamantes: *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum.* Aſt confidite! Chriſtus factus eſt ſpes noſtra, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, Chriſtus glorioſè reſurrexit à mortuis: Non perdet nos Deus, propter quos miſit Filium ſuum tentari, crucifigi, mori, reſurgere. Chriſtus in Roſario reliquit doloroſa Paſſionis ſuæ Myſteria in ſignum ſalutis eorum, qui hæc myſteria piè meditantur: Chriſtus communicavit merita glorioſæ ſuæ Reſurrectionis Roſario, ut iîs mediantibûs ſecurè ſperemus proſperum mortis articulum, & jucundam cum ipſo à mortuis reſurrectionem. Absque omni dubitationis motu quilibet Roſarianus, cultui Beatiſſimæ Virginis verè deditus, exclamare poteſt cum David: *Deduxiſti me, quia factus eſt ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici.*

N. 10. Spes iſta ex eo quoque non mediocriter roboratur, quòd in Archi-Fraternitate ſanctiſſimi Roſarij quaſi innumeri contineantur Sodales, & in ijs plurimi Deo valdè accepti, viri juſti, & ſancti, quibus multæ ſunt preces, aſpera jejunia, prolixæ vigiliæ, largæ eleemoſynæ, copioſa alia merita, & bona opera coram Deo, ex quorum multa communicatione, & participatione, quæ fit univerſim inter Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij, ſpes accreſcit infirmis, anguſtiatis, & puſillis corde, ſe, ſi non ſuîs, ſaltem aliorum precibûs, meritîs, & bonîs operibûs prudentem ſalutis fiduciam concipere poſſe. Quidnî enim Fratres, & Sorores Mariani eadem ab invicem mutua accipient obſequia, quæ in brutis animantibus
S. *Auguſt.* adnotavit ſplendidiſſimum Africanæ Eccleſiæ lumen, Sanctus Au-
ſuper c. 3. guſtinus; refert enim de cervis, quòd, dum paſcuorum gratiâ
ad Gal. per flumen ad Inſulas tranſeunt, eos ſic ſe ordinare, ut onera capitum

pitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus, ſuper invicem portent, ita, ut ſemper poſterior ſuper anteriorem projecta cervice caput collocet, ſicque levato onere faciliùs fretum tranſeant, & ad terram commodiùs perveniant. Si ergo bruta animantia unum per alterum devenit ad locum paſcuorum; quantò magìs Roſariani, qui quemadmodùm cervi deſiderant ad fontem vivum cœleſtis patriæ, dum tranſeunt per mare magnum, & ſpatioſum hujus ſæculi, ſperare poterunt, quòd per bona opera, per merita, & preces ſuorum Conſodalium tranſituri ſint ad terram ſtabilem viventium, etſi fortè, onere peccatorum propriorum ſuppreſſi, ſuis viribus diffidant.

Tertiò augetur ſpes ſalutis in Roſarianis, quia, dum concluduntur in ſagena Mariani Pſalterij, vivunt ſub altiſſima protectione B. Virginis, & non habent, quod timeant. Id olim Mantuæ in eleganti adumbrabatur Emblemate, Mariæ in cœlos aſſumptæ dedicato. Pictum erat cœlum, multîs nubibûs turbatum, & crebra fulgura evibrans; infra erat mare, & piſces in eo ſecurè natantes, nequaquam multiplicato fulgure territi, cum Lemmate: *Tuti contemnimus ictus.* Sicut enim piſces ſub aquis fulgura non formidant; ita, quod pertimeſcat, non habet, qui intrà Mariæ ſinum, & ſanctiſſimæ Roſarij Reginæ tutelam conquieſcunt. Unde Coſmas Hieroſolymitanus: *Inſuperabilem, Deipara! ſpem tuam habens ſervabor, defenſionem tuam poſſidens non timebo.* Hoc ipſum quoque indigitat Sancta Mater Eccleſia, ubi quotidie Mariam ſalutat notîs illîs verbìs: *Vita, Dulcedo, & Spes noſtra ſalve.* Spes enim, ait noſter Angelicus, ex duobus conſurgit, ut ſcilicet ille, in quem ſperatur, & ſit potens, & ſit volens auxiliari. Si enim quis poſſit, & non velit, in ordine ad ſperantem fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur ad actum; nihil quippe commodi reſultat pauperi, ſi vicinus ſit perquàm opulentus, nihil autem erogent alteri. Si autem quis velit, & nequeat opitulari, quid utilitatis indigenti accreſcit? ſuâ enim inopiâ æquè conſumitur, & ex illa bona voluntate, quæ poſſe non habet, nullatenùs adjuvatur. Dum ergo Maria ſalutatur à nobis tanquam *Spes noſtra*, in ea & potentiam, & voluntatem nos adjuvandi cognoſcimus, juxta illud S. Bernardi: *Nec voluntas ei deeſſe poteſt, nec facultas. Illi data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra, in manu ejus vita, & ſpiritus noſter eſt.* Si enim Paulus confidenter dixit: *Omnia poſſum in eo,*

N. 11.

Coſmas Hieroſol.

S. Thom. ſuper Pſalm. 9.

S. Bernard. Serm. 1. de Aſſumpt.

Philipp. 4.

Marc. 9. *qui me confortat.* Si ipſa Veritas enuntiavit: *Omnia poſſibilia ſunt credenti;* quis omnimodam ſuccurrendi facultatem Mariæ denegabit? Habet autem & voluntatem nos juvandi; quia eſt Mater miſericordiæ, quia ipſos nos ſpiritualiter quaſi genuit per multos dolores, ubi ſub Cruce ſtans immota nos ſuſcepit in filios ſuos, quia ipſa promiſit, Roſarium eſſe prognoſticon futuræ felicitatis æternæ.

N. 12. Confidite ergo in Mariam, qui puſilli eſtis corde. Maria Spes noſtra eſt, cui nec facultas deeſſe poteſt auxiliorum, nec voluntas. Roſarium eſt rete, quod errantes detinet, & tuto in littore firmæ ſpei collocat. S. Dominicus, & quicunque Roſarium prædicant, ſunt piſcatores, qui, ſicut per rete Roſarij deſperatos peccatores ex profundo iniquitatis trahunt, ita titubantes de ſalute ſua in littore firmæ ſpei ponunt; proinde eò in ſua piſcatione feliciores illìs, qui olìm in Inſula Chio retibûs ſuîs in mare projectîs tripodem aureum extraxerunt, quò anima hominis omni aurô & argentô eſt pretioſior, utpotè pro cujus redemptione Unigenitus Dei Filius non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, ſed ſeipſum, & omnia ſua, tanquam pretium infinitum.

Hiſtoria.

TEmpore Sancti Patris Dominici in Arragonia adeò infame erat proſtibulum (Alexandra vocabatur) ut communiter haberetur pro lapide offenſionis, & petra ſcandali totius viciniæ. Ægrè tandem, ſed non ad inſipientiam ſibi, perſuadebatur à Sancto Dominico, ut nomen ſuum daret Archi-Fraternitati Sanctiſſimi Roſarij, & ſaltem per hebdomadam tantum temporis daret ſaluti animæ, ut ter diceret Roſarium. Duo autem præcipui notabantur proci, qui Alexandræ inſanum amorem dicaverant, & proindè adeò zelotypi, & inimici ad invicem, ut alter alteri prædam erepturus ſeſe mutuò ad duellum provocârint, in quo ambo, enormiter vulnerati, in ipſo duelli loco miſeram animam efflârunt. Riſit ad hæc Alexandra, & ſibi benè complacuit, videns, ſe & formam ſuam adeò æſtimabilem eſſe juventuti, ut & vitam pro ea obtinenda ponere non dubitarent Amaſij. Aſt non riſerunt conſanguinei occi-

occiſorum, ſed potiùs, in iram acti, violenter Alexandram, utpotè omnis mali cauſam, adorti ſunt, eam gladiîs confodiunt, confoſſæ caput præſcindunt, quo in puteum projecto, corpore autem in ſanguine ſuo relicto, occultâ ſeſe fugâ ſubducunt. Funeſtam hanc tragœdiam S. Dominicus intellexit ex revelatione ipſius glorioſæ cœlorum Reginæ. Unde amarè deplorans ſortem Alexandræ ad puteum properat, Alexandram ſuo nomine inclamat, additô præceptô, ut ociùs reſurgat. Et ſinè mora ex puteo egreditur demerſum caput, conjungit ſe corpori ſuo, vivens adſtat Alexandra, petit confiteri, exponit peccata ſua Sancto Dominico, & infinitas eidem reponit gratias, quòd Roſarium ab eo receperit. Hôc factô Sanctus Pater coram omni populo Alexandram ea edicere jubet, quæ illi in, & poſt mortem contigerunt. Ad quæ Alexandra ſic reſpondit: Primò: Per Roſarium in mortis articulo veram contritionem ſuper peccata mea impetravi, aliàs æternaliter damnata fuiſſem. Secundò: Animâ à corpore ſeparatâ, vidi ingentem catervam dæmonum, qui facto impetu animam meam aggreſſi ſunt; aſt ad invocationem nominis Mariæ illicò omnes territi diſparuerunt. Tertiò: In pœnam delictorum meorum ad purgatorium ſeptingentîs annîs damnata fui, nempe ducentîs annîs pro homicidio duorum procorum meorum, cujus ego cauſa exſtiti, & quingentîs annîs propter luxurias meas in vita perpetratas, & veſtimentorum meorum ſuperbiam, cui me totam dederam. Hîs dictîs ſupervixit Alexandra duobûs diebûs, quibûs elapſîs piè in Domino obiìt, citiùs tamen, quàm ſperare poterat, à flammis purgantibus liberata, nempe poſt quindecim dies, per ſuffragia, & preces Sodalium Sanctiſſimi Roſarij, ùt ipſa apparens Sancto Dominico teſtata fuit, ab eodem inſtar ſtellæ fulgentis in cœlum aſſumi viſa. Albertus Caſtellanus, & Alexius Segala cap. 18. de Roſario.

SERMO TRIGESIMUS TERTIUS.

Dominica quinta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Matth. 5.

Inter Sodales Roſarij debet tolli omnis inimicitia, & florere continua pax.

N. 1. GRavitatem præcepti circa dilectionem proximi ipſe amantiſſimus Salvator ſæpiùs declarare dignatus eſt. Venit ad
Matth. 22. eum legis Doctor, & interrogavit: *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* Et reſpondit illi JESUS: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem eſt ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Adeò cœleſtis Magiſter extulit dilectionem proximi, ut illam ſtatuerit pro unico ſigno manifeſtativo ſui diſcipulatûs, di-
Joan. 13. cens: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* In hodierno Evangelio duo præſtitit Doctor veritatis. Inprimìs magnitudinem præcepti oſtendit ex gravitate pœnæ, quæ taxata eſt illis, qui dilectionem proximi non ſervant, hoc modo: *Audîſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides: Qui autem occiderit, reus erit judiciô. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judiciô. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: Reus erit conciliô. Qui autem dixerit, fatue: Reus erit gehennæ ignis.* Ubi Chriſtus Dominus, ùt acutè hìc adver-

advertit S. Bonaventura, ad tria peccata videtur alludere, quæ homo contra dilectionem proximi committere poteſt, videlicet in corde, in ore, in opere. In corde homo peccat contra charitatem proximi, quando iraſcendô ſuper fratrem ſuum format perverſum in mente judicium, & malas de eo in corde cogitationes. In ore peccat, quando durîs verbîs, & injurioſîs convitiîs, & ſcomatibûs proximum aggreditur. In opere peccat, quando injuſtîs verberibûs, aut pravîs maleficiîs lædit concivem ſuum. Et gravitatem omnium horum peccatorum Chriſtus oſtendit ex gravitate pœnæ, taxandô illis judicium, concilium, & gehennam ignis. Eſt autem hoc intelligendum, ùt notant SS. Patres, Hieronymus, Auguſtinus, & alij de eo, qui fratri ſuo iraſcitur ſinè cauſa, id eſt, timerè, ex mera paſſione, & culpabili impatientia. Si enim cauſa iraſcendi juſta ſubſit, v. g. honor Dei, correctio ſubditorum, propulſio vitiorum, ira non duntaxat peccatum non eſt, ſed, qui non iraſceretur, peccaret. Hinc dicitur: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Sic iratus fuit mitiſſimus Redemptor ſuper ementes, & vendentes in templo: Sic iratus fuit Petrus Saphiræ, & Ananiæ: Sicut iratus fuit Paulus Elymæ. Alio modo cœleſtis Præceptor in hodierno Evangelio declarat gravitatem præcepti dilectionis proximi ex diſplicentia, quam cauſat in oculis Dei, dicendô: *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùs te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quaſi ſcilicet ipſe Deus, ùt notat Sylveira, plùs charitatem proximi, quàm proprium ſuum honorem æſtimaret, & diceret: *Interrumpatur miniſterium meum, ut charitas perfectè adintegretur: Sacrificiô gratior mihi eſt fratrum reconciliatio: Magìs ſublatîs diſcordiîs, quàm per oblata ſacrificia honorificor.* In conſideratione igitur hujus magni mandati dicam hodie, quàm neceſſarium ſit, ut inter Fratres, & Sorores Sanctiſſimi Roſarij tollatur omnis inimicitia, & ſecundò inter eos roboretur perpetua pax.

S. Bonav. hîc Serm. 1. — *Pſalm. 4.* — *Luc. 19.* — *Act. 5.* — *Act. 13.*

N. 2. Multorum quidem opinio eſt apud Magnum Auguſtinum, ùt refert S. Thomas de Villanova, præceptum de diligendis inimicis nimìs eſſe arduum, proinde omninò ſufficere, non odiſſe inimicum: Eum autem diligere, & conſuetîs dilectionis ſignîs amplecti, plùs præcipi, quàm humana natura ferre queat. Dicunt enim: Quomodò poſſum diligere illum, qui me extremô odiô perſequitur?

S. Thomas de Villanov. Fer. 6. ante Dom. 1. Quadrag.

tur? qui famam meam turpiſſimìs nævìs denigrat? qui meum ſanguinem vindicativè ſitit? qui meis bonis, & agris iniquus poſſeſſor inſiſtit, aut inhiat? meorum operum, vitæ, & morum criminatorem, reprehenſorem, & convitiatorem? mearum virtutum detractorem? Cui conformiter apud Stoicos, & Epicuræos Concluſio erat communiter recepta: *Amare amicos & exhorreſcere inimicos naturæ eſſe conveniens.* Aſt longè alia eſt doctrina legis Evangelij, quam Divinus Legislator tradidit diſcipulis

Matth. 5. ſuis hîs verbîs: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: Ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt?* Hac tamen, utcunque primo intuitu ſat arduâ doctrinâ non obſtante, cœleſtis Magiſter legem ſuam vocat ſua-

Matth. 11. viſſimam, & leviſſimam, ſic alloquens diſcipulos ſuos: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: Et invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Cujus ſuavitatis, & levitatis potiſſima cauſa eſt exemplum Chriſti, ut, quemadmodùm ipſe fecit, ita & nos ſimiliter faciamus; certum enim eſt, nihil ad allevianda onera, & ad minuendas arduitates ſervorum magis eſſe idoneum, quàm exempla, & impreſſa veſtigia dominorum ſuorum. Si námque ſervus videat dominum ſuum præcedentem, famem, & ſitim patientem, inter frigora, & ventos imperterritum, in laboribus infractum, onus æſtus, & diei fortiter portantem; nónne & ipſe ad ſimilia ſuſtinenda excitatur, & onera hæc ſibi gravia non reputat?

N. 3. Dum ergo de dilectione inimicorum agitur, inſpiciamus Do-

S. Bernard. Serm. de Paſſ. Dom. minum noſtrum JEſum Chriſtum, clamat mellifluus Bernardus, flagellìs cæſus eſt, ſpinîs coronatus eſt, clavîs confoſſus, patibulo affixus, opprobriîs ſaturatus; attamen omnium dolorum, omnium calumniarum, omnium odiorum immemor, rogat Pa-

S. Thomas de Villano-va l. ſupra c. trem pro inimicis: *Pater, ignoſce illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Reſpice, ait Thomas Villanovanus, Magiſtrum tuum, Ducem tuum, & vide, quanta bona fecerit adverſarijs ſuis. Pen-

debat

debat in Cruce cruentus, plagatus, & laceratus ab ijs, quibus innumera præſtiterat beneficia; audit convitiantes, & calumniantas ſe: *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, ſalva temetipſum &c.* Et ſilet, non movetur, non reponit verbum, imò Patrem orat: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Manus, & pedes habet perforatos, caput pungentibûs ſpinîs terebratum, os felle, & aceto amaricatum, lanceâ Latus apertum, totum corpus dilaceratum, à planta pedis usque ad verticem nullam partem integram; & tamen non conqueritur, non obmurmurat, non cogitat vindictam, ſed Patrem orat: *Ignoſce illis; quia neſciunt, quid faciunt.*

Quid ad hæc, vos Sodales Mariani! qui omnium frequentiſ- N. 4.
ſimi reſpicitis in faciem Chriſti veſtri, in omni Roſario contemplamini Myſteria Vitæ, & Paſſionis, & Gloriæ Ducis veſtri, cur non tollitis inimicitias veſtras, & veſtigijs ejus inſiſtitis? vos à tempore Baptiſmi in ſchola Chriſti enutriti eſtis; quare ergo doctrinæ Magiſtri veſtri non conformamini? qua fronte, quo vultu coram ipſo vindictam clamatis, qui nihil tale ab inimicis ſuſtinetis? vos meditamini in Roſario veſtro, quomodò Unigenitus Dei Filius à cœlo deſcenderit, ut inimicum redimeret hominem, quomodò in horto Gethſemani odientem ſe Judam appellârit amicum, quomodò in monte Calvariæ culpam ſuorum adverſariorum deprecatus fuerit apud Patrem Divinum; & vos unicô verbô ad iracundiam provocamini, in verba contumelioſa prorumpitis, ad vindictam convertimini, tranſitis fratres, & proximos veſtros, & eis loqui contemnitis, injuriæ oblviſci renuitis, minima injuria manet alta mente repôſta? An non ipſi gentiles milites vos confundunt, qui, ubi Abimelech præcidit ramos, & dixit: *Quod* *Judic. 9.*
me videtis facere, citò facite; mox omnes certatim Ducem ſuum ſecuti ſunt? Et vos exemplô Ducis veſtri, Magiſtri veſtri, Domini, & Dei veſtri non commovemini?

Hunc in finem ipſe pijſſimus Salvator ſuum exemplum, tan- N. 5.
quam efficaciſſimum inimicitiæ tollendæ motivum, nobis ob oculos poſuit. Cùm enim quadam nocte diu cum Nicodemo locutus fuiſſet, variáque recondita myſteria ei explicâſſet, poſt alia in memoriam Nicodemo revocabat ſerpentem illum, quem Moyſes in eremo exaltaverat, quem cùm percuſſi à ſerpentibus murmura-

muratores conſpicerent, ſanabantur, demùm, quid eo ſerpente
Joan. 3. præfiguratum fuerit, exponens ajebat: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Quibûs verbîs ſequentem doctrinam omnibus Chriſticolis innuere volebat. Faciant mihi hoc homines, quod erga illum ſerpentem egerunt Veteres, & certam ſibi ex me ſalutem ſpondeant. Hoc ſolum, & non plus aliquid volo, quàm ut eo, quo Veteres ſerpentem, quoque modo me piîs oculîs arbitrentur è ligno pendulum, pedes, manúsque ferrô confixum, pro inimicis exorantem, toto corpore ſaucium, & exanguem, ſummâ tamen patientiâ omnes injurias ſuſtinentem, inimicis quæque condonantem, indignationis neſcium; & quidem non alium ob finem, niſi in remedium eorum, qui me ſpectant, & intuentur. Nam ſi homo eſt, qui me talem cernit, niſi duritiam ſilicis juravit, tam fortiter ea permovebitur conſideratione, ut animum ejus totum colliquefaciat, & omnem iram eum deponere faciat.

N. 6. Idipſum dudùm antea oſtenſum fuit Iſaiæ Prophetæ. Ubi enim in ſpiritu multîs ſæculîs ante prævidit Salvatorem mundi, in carne naſcendum, virtutem Paſſionis ejus, & efficaciam memoriæ
Iſa. 53. dictæ Paſſionis ſimul præcognovit: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum, deſpectum, & noviſſimum virorum*, ajebat Iſaias. Quaſi dixiſſet: Vidimus ſpecioſum formâ præ filijs hominum, tam turpiter dehoneſtatum ludibriîs, tam fœdè laniatum flagrîs, tam ſævîs punctum ſpinîs, tam atrociter diſtractum funibûs, ut vix humani corporis in illo reliqua eſſent lineamenta. Ita in ipſum ſæviſſimi carnifices efferati fuerant. Sed notandum, quòd in Hebræo dicitur *Ceſſatio virorum*, qui in Vulgata noſtra vocatur *Noviſſimus virorum.* Cur autem Chriſtus *Ceſſatio virorum* dictus fuerit, obſcurum videtur, vulgari tamen ſimilitudine
Simile. eleganter explicatur. Duos Nobiles cogitate, qui irâ incitati, & excæcati gladios arripiunt, & mutuò ſeſe invadunt in ipſo cubilis regij atrio, non videntes, & attendentes, vel quid agant, vel quo in loco agant. Excitatus tumultuatione Rex prodit, ut videat, quid rerum fiat, & ut vindicet ſuâ præſentiâ injuriam aulæ ſuæ. Simul illum vident duellantes, & remittunt iras, & refrænant motus, & deponunt arma, & in terram proſtrati crimen læſæ Majeſtatis deprecantur. Itaque ſolius Regis præſentia permovendis illis

ſat

ſat fuit,ut exemplô miteſcerent, & iram coërcerent, quam tamen Domûs Regiæ reverentia cohibere paulò ante non potuit. Tale quid Iſaias, nî fallor, dicere voluit, cùm Chriſtum *Ceſſationem virorum* appellavit. Diſſidium frequenter inter homines exoritur nedum ſubinde propter magnas, ſed perſæpè etiam ob minimas rationes, amicus adverſùs amicum tumultuatur, exurgit frater in fratrem, uxor in maritum, maritus in uxorem invenitur, vicinus perſequitur vicinum, familia extremô odiô contrariatur familiæ. Quid remedij? Prodeat Chriſtus Crucifixus,offerat ſe piæ cogitationi,& meditationi, mentibus hominum, ùt in ligno pendulum, ſpinîs, virgîs, & cruciatibûs toto corpore lividum, ſqualidum, & fœdè cruentatum, inſuper pro inimicis, & perſecutoribus Patrem deprecantem; Quænam tali ſpectaculo non cedat ira? quæ non ſubſidat indignatio? Chriſtus ergo ab Iſaia dicitur *Ceſſatio virorum*, quòd nemo ita ſit cholericus,quem non deponere iram faciat tam luctuoſi ſpectaculi, tam miſerandæ tragœdiæ paulò attentior, & devotior meditatio. Quam veritatem millenæ paſſim atteſtantur Hiſtoriæ, & præcipuè vita Sancti Joannis Gualberti Abbatis, aliunde omnibus notiſſima. *Applicatio.*

Pergite ergo, Sodales Mariani! pergite in exercitijs veſtris Sanctiſſimi Roſarij, rememento te Myſteriorum Domini JEſu Chriſti, recogitate Paſſionem ejus, & non erit inter vos ira, inimicitia, aut amaritudo quædam; inter fructus enim Roſarij ipſa Auguſtiſſima cœlorum Regina enumeravit dilectionem inimicorum, oblivionem injuriarum, animorúmque concordiam, apud B. Alanum. Et benè: *Roſarium quippe*, ait Michovienſis, *habet magnam vim ad tollendas diſcordias, & concordiam nomini Chriſtiano conciliandam: Ob hanc cauſam Deus idem inſtitutum eſſe voluit, cùm fermè totus orbis Chriſtianus bellîs, & diſcordiîs arderet.* In cujus rei confirmationem hæc ſuperaddit Jodocus Beyſellius: *Mirum erat videre, tot populos, tot urbes, tot hominum conditiones tunc, quando primitùs inſtituebatur Marianum Pſalterium, extremè diſcrepantes, etiam exteriorî ſignô, nempe Roſariô, quod manibus (ùt nunc quoque uſitatum eſt) geſtabant, invicem fœderari.* Concludit ergo totum P. Coppenſtein hîs verbîs: O! ſi omnes in hanc Fraternitatem concurrerent, fieri poſſet, ut omnes amore Chriſti, & Mariæ à mutuis injurijs deſiſterent, & in obſervantia mandatorum Dei alacriores redderentur. Vera etenim Fraternitas fra- N. 7.

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 17. Michovien. Diſcurſ. 309. Jodoc. Beyſel. L. Roſ. coron. P. Coppenſtein L. 3. c. 15.

ternum colit, & nutrit amorem; nec eadem devotio patitur eſſe diſſimiles.

N. 8. Ex his proinde dictis per ſe manifeſta fit ſecunda pars hujus Sermonis, quomodò videlicet inter Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij debeat florere mutua charitas, & pax perpetua; ſublato etenim diſſidiorum fomite mutuus amor diffunditur in cordibus noſtris. Sanè nemo eſt, qui ſufficienter ingentia pacis munera *S. Bonav. Serm. 33.* æſtimare poteſt. Hunc in finem incarnatus Unigenitus Dei Filius, teſte S. Bonaventura, omnium ſæpiſſimè pacem recommendavit diſcipulis ſuis naſcendô, prædicandô, moriendô, & reſurgendô. Vix natus erat, & exultantes in aëre Angeli cantare auditi ſunt: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* *Sylveira.* hîs verbîs, ùt notat Sylveira, apprecantes mundo omne bonum exoptabile, omnémque felicitatem. In prædicando, poſtquàm amantiſſimus Redemptor deſignavit ſeptuaginta duos diſcipulos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipſe venturus, primum, quod dedit eis, erat mandatum: *Luc. 10.* *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin minùs, revertetur ad vos.* Nec ſinè cauſa diſcipulos ſuos miſit binos, & binos ad prædicandum Evangelium, ait S. Gregorius, ſed vel maximè ad innuendum mundo ſummum bonum pacis, & *S. Gregor. Hom. 17. in Evang.* charitatis fraternæ. Ideò enim, verba ſunt Sancti Patris, *binos in prædicationem diſcipulos mittit, quia duo ſunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minùs, quàm inter duos, charitas haberi non poteſt.* Non minùs pacem recommendavit pientiſſimus Salvator moriendô. Cùm enim jamjam appropinquaret tempus mortis, & mœſti eſſent diſcipuli ob diſceſſum Magiſtri ſui, *Joan. 14.* conſolatus eſt eos, pacem hîs verbîs incordians illis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodò mundus dat, do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Denique poſt glorioſam à mortuis Reſurrectionem nihil communius erat Unigenito Dei Filio, niſi ut pacem, & charitatem precaretur Apoſtolis, alio ſalutationis ritu in omni apparitione ſua non uſus, niſi hôc: *Matth. 5.* *Pax vobis.* Hunc in finem dicitur: *Beati pacifici, quoniam filij* *2. Cor. 13.* *Dei vocabuntur.* Et Apoſtolus docuit: *Habete pacem, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.*

Potiſ-

Potiſſimùm autem pax jugis,& intima charitas decet Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij. Si enim hi ſint muſici cœleſtes; nihil abſurdius eſt, quàm ſi muſicorum voces, & inſtrumenta invicem ſint diſſonantia. Si ſunt unus exercitus ſub vexillo Mariani Pſalterij; ubi in exercitu non eſt plenus, & perfectus conſenſus, victoriæ ſpes nulla apparet. Si ſunt membra ejusdem corporis myſtici, id eſt, ejusdem Archi-Fraternitatis; quàm miſerum eſt, & languidum corpus illud, ubi membra invicem mutua ſibi denegant obſequia. Si ſunt Fratres, & Sorores ejusdem Matris, & quidem Matris pulchræ dilectionis; quid turpius,quàm ſi Fratrum & Sororum ſit nulla concordia? Fratres erant, non quidem ejusdem matris, Abraham & Loth, & nihil illis magìs cordi erat, quàm pax & concordia. Ambo erant opulenti valdè, & copioſè benedicti à Deo de rore cœli, & pinguedine terræ, eâdem ſcilicet menſurâ divino numine ijs remetiente, qua illi per fidelia piæ ſervitutis obſequia in dies magìs & magìs progrediebantur in via virtutis. Utrique erant numeroſi greges boum,& ovium, armenta, & tabernacula plurima, adeò, ut ipſa Scriptura atteſtetur: *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent ſimul. Erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.* Contigit ergo, ut, dum in paſcuis frequenter concurrerent greges, lites, & diſſidia orirentur inter paſtores gregum Abraham & Loth, verbis duris ſe invicem aggrederentur ſtabularij,& propemodùm ſubinde de verbis ad verbera devenirent. Malè hæc diſſidia habuerunt Abraham & Loth, utique quibus nihil magìs cordi erat, quàm pax & concordia; & hoc à fortiori ea de cauſa, quia non vanè timuerunt, ne cum tempore rixæ, & jurgia ſervorum implicarent quoque animos dominorum, & paulatim per occultas diſſenſiones diſſecarent eos, quos ſtrictiſſimum ſemper pacis, & unitatis conjunxerat vinculum. Hinc omni ulteriori abſurdo occurſurus Abram amicè loquebatur ad Loth: *Ne, quæſo, ſit jurgium inter me, & te, inter paſtores meos, & paſtores tuos: Fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: Recede à me, obſecro: Si ad ſiniſtram iëris, ego dexteram tenebo: Si tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Hac ratione Abram, & Loth ſoliciti erant de jugi pace, & animorum amica conjunctione ſervanda, quia fratres erant.

N. 9.

Gen. 13.

N. 10. Sodales Mariani! Fratres ſumus ejusdem Archi-Fraternitatis ſanctiſſimi Roſarij: Quantò ergo nos decet, ut inter nos omnis inimicitia tollatur, mutuum odium præcaveatur, averſio, & amaritudo animorum locum non inveniat in cordibus noſtris? Fratres, & Sorores ſumus Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ, quæ nos in ſuos dilectiſſimos filios adoptavit prima die, qua nomina noſtra catalogo Mariani Pſalterij adſcripta fuerunt: Quanta ergo perpetuæ pacis ſolicitudo, quanta affectuum concordia, quanta inviolabilis charitatis unio inter nos vigere debet? Fratres, & Sorores ejusdem Matris ſumus, & quidem illius, quæ de ſeipſa teſtimonium perhibet: *Ego Mater pulchræ dilectionis;* id eſt, mutuò ſeſe diligentium, & pacificorum. Quemadmodùm enim Deus (verba ſunt Apoſtoli) *non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis;* ita glorioſa Dei Genitrix non diſſenſionis, ſed pacis, & dilectionis Mater eſt, in hoc haud diſſimilis Juliæ Imperatrici, quæ, dum inter filios ejus, Getam, & Antonium, implacabilis agitaretur diſcordia de diviſione regnorum, ambos ad ſe vocavit, & nudum utrique enſem porrigens ſic allocuta eſt: Dilecti filij, dum facilè inveniri poteſt modus, quo terram & mare inter vos dividatis, quid per mutuas fruſtrà rixas matrem veſtram dividere pergitis? In me potiùs convertite enſes hos, ut animam meam porrò dividi per jurgia veſtra neceſſe non ſit. In hoc amantiſſima Mater noſtra, glorioſa ſacratiſſimi Roſarij Regina, Juliæ ad inſtar, Mater eſt non diſſenſionis, ſed pulchræ dilectionis, toties quodammodò diviſionem animæ ſuæ pati cogitur, quoties inter dilectos ejus filios odia foventur, jurgia protrahuntur, inimicitiæ exardeſcunt.

Eccli. 24.

1. Cor. 14.

N. 11. Sed & aliud, primô non inefficacius, urget motivum, cur potiſſimùm inter Fratres & Sorores ſacratiſſimi Roſarij pax continuata vigeat. Hôc motivô uſus eſt Sanctus Auguſtinus, ubi Fratribus ſuis hanc præſcripſit Regulam: *Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca. Melior eſt autem, qui, quamvìs irâ ſæpè tentetur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam, quàm qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Si autem invicem ſe læſerint, invicem ſibi debita relaxare debent propter orationes veſtras, quas utique, quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis.* Noverat quippe Magnus Patriarcha, crebras orationes Fratrum ſuorum meritorias eſſe non poſſe, niſi habeant

beant

beant ſibi in mente adjunctam puram intentionem, in ore devotionem, in opere ſanctitatem, quæ conditiones ſinè charitate fraterna non inveniuntur; quamdiu enim in corde latet amaritudo, & averſio, in ore exuberat rancor verborum, & clamor contumeliæ, in opere manifeſtatur odium, & cupiditas vindictæ, ibi puræ mentis intentioni, oris devotioni, & operis ſanctitati nullus locus relinquitur. Unde, ne Fratres fruſtrà ſeſe defatigarent in orationibus, ſed potiùs condignum exinde fructum reportarent, voluit Sanctus Pater, facta aliqua inter eos diſſenſione protinùs dimitti offenſas, & invicem relaxari dicta; & hoc juxta illud præceptum Sacri Evangelij: *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus* *Matth. 5.* *fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.*

Hoc idem motivum ſtringit nos, quotquot in vinculo pacis adunamur in Archi-Fraternitate Mariani Pſalterij. Crebras ſcimus nobis eſſe præſcriptas orationes; repetitîs vicibûs, ſi non omni die, ſaltem in ſingulis ſeptimanis dicimus Roſarium, multiplicantur preces noſtræ manè, & veſpere, de die, ac nocte. Ergo vel maximè convenit, ut procul ſit à cordibus noſtris omnis inimicitia, ut lubentî animô ad invicem dimittamus offenſas, ut jugis pax, & concordia foveatur in animis noſtris, ſi volumus orationes noſtras eſſe meritorias, & fructuoſas. Multi ſunt, quorum orationis exercitia omni hora renovantur, non abſunt, quoties in Eccleſia publicè recitatur Roſarium, frequentant conſuetos Cœtus, concurrunt ad Conciones, intereſſe ſatagunt ſingulis Proceſſionibus, & devotionibus. Et quid meriti exinde reportant? Nihil. In corde deeſt pura intentio, in ore devotio, in opere ſanctitas, ob defectum pacis, & charitatis fraternæ, quam nobis invicem debemus. Ideò nedum ejusmodi oratio eſt vana, & vacua, ſed in- *Matth. 18.* ſuper iram Dei aggravat ſuper nos, juxta illud, ubi Dominus iratus tradidit tortoribus ſervum illum, qui noluit remittere conſervo ſuo debitum. Hinc dicitur: *Melior eſt buccella ſicca cum gau-* *Proverb. 17.* *dio, quàm domus plena victimîs cum jurgio;* id eſt, unum Pater, & Ave ex corde pacifico, quàm totum Roſarium ex corde rancorem fovente. Hunc in finem, ſicut Joſeph dimiſit fratres ſuos hîs verbîs: *Ne iraſcimini in via;* ita eadem verba hodie repetita volo. *Gen. 45.* N. 12.

Hiſtoria.

EXperientia docet, quòd, ſicut inter Nobiles virtus, dum amatur, plerumque altiſſimas radices agit; ita à contrario, dum ira, & vindicta animo inſidet, difficillimè eradicari poſſunt. Contigit hoc in Gallijs inter duos Nobiles, qui diuturnâ ſeſe inimicitiâ adeò perſequebantur, ut non animus vindictæ, & homicidio defuerit, ſed animo accom̃oda occaſio, & congruæ circumſtantiæ, ut id, quod mente præconceptum erat, in executione poneretur, irrito intereà conatu conſanguineîs utrinque collaborantibûs, ut ſublata amaritudine reunirentur, & reconciliarentur diſcordes. Innotuit hoc uni ex Patribus noſtris, qui, ſicuti juſto afficiebatur dolore de tam enormibus Divinæ Majeſtatis offenſis, ita omnem movere lapidem cœpit, ut contradictorios Nobilium affectus adunaret in unum: Fruſtrâ tamen omnibûs machinamentîs adhibitîs, refugit ad Reginam ſanctiſſimi Roſarij, & ab ea, tanquam à Matre pulchræ dilectionis, donum reconciliationis impetrare ſtudet. Hunc in finem perſuadet utrique Nobili, ut ſanctiſſimo Roſario nomen darent, & piè in exercitio Mariani Pſalterij ſeſe occuparent, non dubij, quin exinde uberem Dei benedictionem eſſent adepturi, & vitam chriſtianîs moribûs undequaque perfectam. Salubre hoc conſilium ambo amplexi ſunt, & quidem non ſinè ingenti animarum ſuarum emolumento. Vix enim duo menſes abiêrunt, per quos ſua Marianæ Sodalitatis exercitia continuârunt, illi, quorum unus alteri jugiter mortem meditabatur, in publica platea ſibi obviàm facti dulciſſimîs verbîs ſeſe ſalutârunt, cupidîs manibûs ſe mutuò amplexati fuerunt, eámque in perpetuum ſtabiliêrunt amicitiam, quæ frangi ampliùs haud potuit. Obſtupuit ad hunc inopinatum eventum omnis populus, qui, ſicuti paulò ante ſummoperè ſcandalizabatur in extremo odio horum Nobilium, ita nunc haud ſatìs admirari poterat virtutem ſanctiſſimi Roſarij, quæ inter devotos ſuos Sodales tollit inimicitiam, & inducit pacem optatiſſimam. Carolus Foreſti de Mirac. Roſar. Mirac. 51.

SER-

SERMO TRIGESIMUS QUARTUS.

Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Si dimiſero eos jejunos, deficient in via. Marci. 8.

Maria ſolicita pro Sodalibus Roſarij, ſicut, ne deficiant in via, providit de pane ſalutis; ita in alijs petitis efficaciter movet cor Filij ad miſericordiam.

N. 1. QUæſtio à non nemine, & quidem haud infundatè, moveri poſſet; quare pientiſſimus Salvator, cujus miſericordia plenus eſt totus terrarum orbis, populum ſe ſequentem usque in triduum eſurire permiſerit, & fame marceſcere? Inſequebatur Magiſtrum Divinum turba copioſa usque in ſolitudinem, procul plerique aberant à domibus ſuis, cibi, potûs, omníſque neceſſitatis corporalis obliviſcebantur, diu, noctúque laſſi, & defatigati cupiebant eſſe immobiliter cum ipſo, ut audirent verba ejus, & cœleſtis doctrinæ pabulô paſcerentur in anima: Interim tamen vires corporeæ deficere cœperant, triduum jamjam elapſum erat, ubi nec panem habebant, quem manducarent, nec quidpiam aliud, quo reficerentur, aderat. Miſericordiſſimus Salvator diſſimulabat ſe ſuper hoc non reflectere, Apoſtoli eum non admonebant, nemo alius inveniebatur, qui pro famelico intercederet. Tandem tertia die clementiſsimus Redemptor, miſericordiâ motus, ultrò dixit: *Miſereor ſuper turbam; quiă ecce jam triduô ſuſtinent me, & non habent, quod man-*

manducent : Si dimiſero eos jejunos, deficient in via. Res mira! Quando nuptiæ celebrabantur in Cana Galilææ, convivæ lautiſſimè jam erant paſti, & benè potati, prandium jam per aliquot horas prolongabatur, nemo aderat laſſus, aut defatigatus, eſuriens, aut ſitiens; & tamen, deficiente ad finem vino, mox miſericordia Chriſti ſupplevit defectum, miraculosè aquam mutavit in vinum. Hodie jam in tertium diem eſurit populus, jam in tertium diem panem non habuit, quem guſtaret, jam in tertium diem defeſſus, & viribûs deficiens ſectatur Chriſtum in ſolitudinem; & tamen usque ad hoc inſtans non ſentiunt ullum auxilium, divina miſericordia non ſuccurrit, panem non habent, quo refocillentur. Quæ horum ratio? Planè non alia, quàm præſentia, & abſentia benigniſſimæ Dei Genitricis Mariæ. In Cana Galilææ inter alios convivas aderat quoque amantiſſima Mater JEſu, & ſicuti deficiente vino, mox acceſſit ad Filium, & ſupplicem ei libellum porrexit, dicens: *Vinum non habent.* Ita efficaciſſimè mox obtinuit, quod petiît, ſed hydriîs lapideîs impletîs vinô optimô. Inter hodiernam turbam, quæ Dominum ſequebatur in ſolitudinem, adfuiſſe amabiliſſimam Deiparam, non meminit S. Evangeliſta Marcus. Et hinc, quemadmodùm illa pro eſuriente populo non interceſſit, ita divina miſeratio longiùs fuit protracta, & usque in tertium diem ſuſpenſa; & hoc ad ſolamen omnium Roſarianorum, pro quibus adeò ſolicita eſt Regina noſtra dulciſſima, ut, ſicut illis providit de pane ſalutis, ne deficiant in via; ita in alijs petitis ſuis efficaciter movet cor Filij ad miſericordiam.

Joan. 2.

N. 2. Solicita erat mater filiorum Zebedæi de ſalute, promotione, & augmento filiorum ſuorum; unde malè ſibi perſuadens, regnum Chriſti fore de hoc mundo, ne filij in ullo deficerent inter calamitates hujus vitæ, acceſſit ad Chriſtum, adorans, & petens ab eo: *Dic, ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexterum tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nec mirum; non enim maternus amor, ùt quotidiana docet experientia, ſuſtinet terminos præſentis temporis, ſed etiam futurorum prævenit momenta temporum, ut bono filiorum providè conſulat, preſſuras avertat, incrementa proſperitatis feliciter procuret. Quod maximè verificatur de Auguſtiſſima cœlorum Regina reſpectu illorum, quos ſibi in Clientes & filios adoptare dignatur; nedum enim, teſte S. Anſelmo, illis maternè proſpicit de futuro, ne deficiant in via hujus mundi, *ſed etiam præ-*

Matth. 20.

S. Anſelm. L. de excell. Virg. c. 6.

præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Cùm igitur Clientes, & filij ejus dilectiſſimi ſint Sodales ſanctiſſimi Roſarij, ſolicitè omnibus, ne deficiant in via curſûs hujus, antecedenter providit de pane ſalutis, qui inter omnes mundi hujus adverſitates ſit ipſis in fortitudinem, & cuſtodiam perpetuam; & quidem non abſimilî modô, quo Angelum ſuccuriſſe legimus Eliæ pergenti in deſertum. *3. Reg. 19.* Multos tunc temporis Propheta Domini, quia juſtô divini cultûs zelô accenſus veritatem prædicavit, ſuſtinuit perſecutores, & inter illos præprimìs extremam Reginæ Jezabelis indignationem, adeò, ut jurejurandô ſe obſtringens nuntium mitteret ad Eliam, dicens: *Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis,* puta, *Prophetis paulò ante occiſis.* Hac de cauſa Elias, ut declinaret iram Reginæ, timuit capiti ſuo, totus moroſus, & tædiô confectus ſurrexit, abiitque, quocunque eum ferebat voluntas Domini, nempe in deſertum per viam unius diei. Intereà multùm defatigatus, eſuriens, & ſitiens projecit ſe, & obdormivit in umbra juniperi. Vix autem quieſcere cœperat, *ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.* Excitatus hac inopinata voce Elias, excuſſóque paululùm ſomnô circumſpexit, & vidit ad caput ſuum panem ſubcinericium, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit, & rurſùm obdormivit Vir Dei, mox tamen denuò excitatus per Angelum, dicentem illi: *Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via.* Unde Angelico obtemperans mandato protinùs ſurrexit Elias, *comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebûs, & quadraginta noctibûs usque ad montem Dei.* Tanta erat virtus panis illius, quem Angelus ei miniſtraverat.

Elias figura eſt omnium noſtrûm, qui hîc non habentes permanentem civitatem inter multiplicia tædia, varias adverſitates, & quotidianas hujus vitæ ærumnas peregrinamur à Domino, & erramus in deſerto mundi hujus, quocunque nos fert voluntas Domini. N. 3. Grandis omnibus reſtat via usque ad montem Dei Horeb, id eſt, usquedum veniamus ad patriam claritatis Dei, & viſionem beatificam. *Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphîs cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus manibus noſtris - - perſecutionem patimur, & ſuſtinemus.* *1. Cor. 4.* Ideò multi deficiunt in via, quia, teſte S. Joanne de Cruce, laborem, & mortificationem, quæ in *Joan. de Cruc.*

in via virtutis ſuſtineri debet, ſubterfugiunt, nec ſolida cum patientia operari volunt. Quamdiu in hoc mundo vivimus, ſinè tribulatione, & tentatione eſſe non poſſumus. Non eſt ordo aliquis tam ſanctus, nec locus tam ſecretus, nec angulus tam remotus, ubi non creberrimæ occurrunt adverſitates, ita, ut unâ recedente continuò ſuperveniat alia, & finis tribulationum non niſi cum fine vitæ ſit exſpectandus. Contingit ergo, plurimos ſuccumbere in via, quoniam non ſciunt cum tentatione facere proventum. Aſt confidite, Sodales Mariani! Regina ſacratiſſimi Roſarij idem nobis beneficium præſtitit, quod Angelus Eliæ, conſimili nobis; providit in anteceſſum de pane ſalutis, ne deficiamus in via, ſed potiùs confortemur, & infractîs viribûs pergamus ad montem Dei Horeb, id eſt, ad patriam cœleſtem. Hunc in finem ad panem hunc ſalutis pinſendum ipſa, teſte Carthagena, horreum divinæ miſericordiæ facta eſt, ex quo nutriuntur fideles animæ. Unde dicitur: *Venter tuus, ſicut acervus tritici.* Hunc in finem ad panem hunc coquendum ipſa clibanus facta eſt, quemadmodùm eam vocat S. Epiphanius: Hunc in finem, ut panis iſte ad inſtar illius, quem Angelus tulit Eliæ, eſſet ſubcinericius, ipſa in Roſario abundantiſſimè diſperſit cineres, & ad colligendum omnes invitat.

Carthag. Hom. 7. Cant. 7. S. Epiphan.

N. 4. Figuram veritatis hujus legimus in S. Scriptura. Mandavit Deus dilecto amico ſuo Moyſi, victimam quandam ſingularibûs, & peregrinîs conditionibûs notatam ſibi offerri, hîs verbîs: *Præcipe filijs Iſraël, ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum, tradetíſque eam Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra caſtra immolabit in conſpectu omnium;* & hoc non niſi in bonum, ſalutem, & perpetuam cuſtodiam populi Iſraël. Paulò poſt enim addidit Altiſſimus: *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ*, puta, in victima oblatæ, & conſumptæ, *& effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, ut ſint multitudini filiorum Iſraël in cuſtodiam.* Myſterium victimæ hujus ſtupendæ acutô mentis oculô inveſtigat S. Gregorius, & dum omnes conditiones matura indagine perſcrutatur, per victimam hanc rufam intelligit vivam repræſentationem carnis rubeæ, ſeu Corporis Chriſti, multo Sanguine per integram Paſſionis ſeriem perfuſi. Per integram ætatem, quæ prærequirebatur in victima, indigitatur plenitudo, perfectio, & menſura ætatis, in qua Unigenitus

Num. 19. S. Gregor. L. 6. Moral. c. 25.

nitus Dei Filius paſſus, & immolatus fuit, nempe annus trigeſimus tertius, in qua ætate nos omnes reſurgere oportebit, juxta illud: *Donec occurramus omnes in unitate fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* *Epheſ. 4.* In ſanguineo Chriſti Corpore nulla erat macula, quia de illibata puritate ejus dicitur: *Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſinè macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius.* *Sap. 7.* Jugum alicujus peccati non portavit. Unde dicitur: *Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* *Iſa. 53.* Hæc victima tradita fuit Sacerdotibus, qui eductam eam extra caſtra immolârunt in conſpectu omnium, tunc ſcilicet, quando manſuetiſſimus Salvator fuit à Juda Iſcariote traditus ſummis Sacerdotibus, & populo Judæorum, paulò poſt ipſe, ſuam Crucem bajulans, eductus extra civitatem Jeruſalem, & in conſpectu omnium populorum, qui ad celebritatem Paſchalem tunc convenerant, in monte Calvariæ mortuus. Per cineres porrò hujus victimæ cum Sancto Auguſtino nihil aliud *S. Auguſt.* intelligendum venit, quàm pia recordatio, & devota memoria Myſteriorum noſtræ Redemptionis, acta & facta Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, quæ collecta fuerunt ab Apoſtolis, & diſcipulis Domini, effuſáque extra caſtra in loco puriſſimo, id eſt, in tota Eccleſia Dei, quæ ſanctiſſima, & puriſſima eſt in lege, doctrina, & moribus ſuis, & quidem non in alium finem, quàm ut ſint multitudini filiorum Iſraël, id eſt, omnibus fidelibus in cuſtodiam, in protectionem, in ſalutem. Hos cineres omnes viri mundi, & devoti Dei famuli ſibi colligunt, præcipuè autem Fratres, & Sorores ſanctiſſimi Roſarij. Si enim illud inter animalia munda nu- *Levit. 11.* meratur, quod ruminat; quidnî primô locô viris mundis, qui cineres divinæ victimæ in arca Crucis immolatæ colligunt, accenſeam Sodales Marianos? Si enim ruminare in ſenſu myſtico juxta Interpretes nihil aliud denotat, quàm rem maturè conſiderare, ſæpiùs recogitare, funditùs rimari, & contemplari; utique Roſariani illi ſunt, qui Myſteria Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis JEſu Chriſti quotidie in Pſalterio ſuo conſiderant, recogitant, rimari, & contemplari nunquam deſinunt, ſicque cineres ſibi congregant, ut in clibano Sanctiſſimæ Deiparæ ſibi pinſant, & excoquant panem ſalutis, & protectionis, ne deficiant in via vitæ hujus, ſed potiùs impavidi, & fortes pergant ad montem Dei Horeb, id eſt, ad patriam vitæ æternæ?

N. 5. Surge igitur, & comede, Sodalis Mariane! grandis enim tibi reſtat via. En! panem ſubcinericium ad caput tuum, quem tibi in Roſario, & Myſterijs ejus providit, & præparavit, & quidem non in alium finem, niſi ut ſit multitudini filiorum Iſraël, id eſt, univerſis Fratribus, & Sororibus in cuſtodiam, & protectionem ſempiternam, ut confortet ſingulos, ne deficiant in via. Unde Beatus Alanus ſic omnes conſolatur: *Pſalterium Sanctiſſimæ Trinitatis mirificè conſcientiam trepidantem confortat, errantem dirigit, & proficientem confirmat meritô Domini noſtri JEſu Chriſti, & B. Virginis Mariæ, qui conſcientias fidelium floribûs virtutum ornant, & fructibûs donorum Spiritûs Sancti fœcundant.*

B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 12.

N. 6. Sicut autem Maria ſolicita pro Sodalibus providit de pane ſalutis, ne deficiant in via; ita in alijs quoque emergentibus neceſſitatibus non ceſſat intercedere ad Filium, & quidem in omnibus petitis ſuis interceſſione efficaciſſima. Hac de cauſa, ubi legimus in noſtra Vulgata: *Cor Regis in manu Domini eſt; quocunque voluerit, inclinabit illud;* alij legunt: *Cor Regis in manu Dominæ eſt; quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et fortè haud diſſonè. Tanta enim etiam in terris eſt Reginarum, & mulierum apud Reges, & viros veneratio, æſtimatio, & quodammodò dominium, ut, quidquid petierint, haud facilè ipſis quidpiam denegetur. Potiſſimùm verò ſimilem reſpectum, & reverentiam Reges, & Principes exhibere conſueverunt matribus ſuis regijs, indubiè ipſo divino præcepto ad hoc inducti, quod jubet patrem, & matrem honorari ſuper terram. Sic novimus ex Hiſtoricis, quòd Helena Conſtantini Imperatoris mater tanto in honore apud filium conſtanter fuerit, ut totum ejus cor poſſediſſe nemo dubitet. Data ei fuit plela poteſtas utendi regijs theſauris pro arbitrio, & libitu ſuo: Duæ civitates magnificè extructæ nomine glorioſo matris inſignitæ fuerunt; ad jugem hanc memoriam in populo conſervandam honorificentiſſima ejusdem ſtatua erecta eſt, quæ, Suida teſte, *Auguſtæum* nuncupabatur. Plurima alia ſunt, quæ filialem Conſtantini affectum in matrem ſuam Helenam glorioſo decurſu apud omnes nationes extollunt. Non minor erat veneratio Salomonis in matrem ſuam Bethſabee. Venerat olim ad Bethſabee Adonias filius David, & Hagith, & libellô ſupplicî porrectô petiit à Bethſabee, ut, quoniam ſpontè ſua relinqueret regnum in manu Salomonis filij Bethſabee, ſaltem hanc ei à Rege impetraret gratiam, ut

Proverb. 21.

3. Reg. 2.

Abiſag

Abiſag Sunamitis illi concederetur in uxorem. Bethſabee non dubitans, quin hoc favoris eſſet obtentura, annuit Adoniæ petitionem ſuam, móxque ad Regem filium ſuum accedens ſuas preces interpoſuit, dicens: *Petitionem unam parvulam deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Aſt, ùt acutè advertit Joſephus Hebræus, non paſſus Rex Salomon tantas ambages matris ſuæ Bethſabee, mox intercepit ſermonem cœptum, ſurrexit in occurſum, & ait: *Pete mater mea; neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* Tanta eſt matrum, tanta mulierum in conſpectu Regum potentia. *Joſeph. Hebræ. L. 8. antiq. c. 8.*

Aſt non minor inprimìs videtur eſſe potentia omnium animarum juſtarum in conſpectu Dei noſtri; de hac enim, quidquid volunt, & petunt, fatetur Regius Pſaltes: *Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate: Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Teſtis veritatis hujus eſt Joſue. Hic ſtrenuus Bellidux ſoli jamjam ad occaſum properanti mandatum dedit, ut ſtaret, & ulteriùs non moveretur contra Gabaon, usquedum inimicum exercitum ad internecionem delêſſet. Et ecce! (verba ſunt Sacri Textûs) *Steterúntque ſol, & luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Non fuit anteà, & poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Adeò ipſa Sacra Pagina extollit hoc miraculum. Teſtis eſt Iſaias Propheta, qui, ut oſtenderet Regi Ezechiæ bonitatem Dei in ſervos ſuos, *reduxit umbram per lineas, quibûs jam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibûs.* Teſtis eſt Elias, qui poſt triſtem mortem filij viduæ Sareptanæ, benefactrici ſuæ gratificaturus, deprecatus fuit ad Dominum: *Domine Deus meus, revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intrà eum, & revixit.* Teſtis eſt Moyſes, qui irruente à tergo Pharaone, à facie, ut ſe ſuósque ſalvaret, impeditus à mari rubro, extendit manum ſuper mare: *Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris: Erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læva.* Teſtis eſt devota illa Dei famula, quæ, ùt refert noſter Joannes Taulerus, quidquid à Deo peteret, facilè omnia ad votum impetravit. Permulti fama, & laude virtutis hujus puellæ permoti, ſuas illi neceſſitates, & mentis anguſtias recommendabant, rogantes, ut pro ijs ad Deum ſuas preces interpo- N. 7. *Pſalm. 144. Joſue 10. Iſa. 38. 3. Reg. 17. Exod. 14. Joan. Tauler. Serm. de Circumciſ.*

 neret.

neret. Promiſit puella, ſæpiùs tamen, ubi ejusmodi preces nonnunquam multiplicabantur, quarumdem inculpabiliter oblita; nihilominùs plerique, voti ſui compotes effecti, paulò poſt ad puellam redibant, gratias habentes, quòd per ejus interceſſionem exauditi fuerint apud Deum. Humilis Dei famula rem hanc frequenter ſecum tacitè mirabatur, & tandem, bonitatem divini numinis ægrè capiens, ſic loqui cœpit ad Dilectum ſuum: Domine mi! tu nôſti, quia pro his, promiſſionis meæ turpiter immemor, nihil à te popoſci: Quomodò ergo optato eventu ſuo potiti fuerunt? Cui Dominus reſpondit: Num te præterit, ſcriptum eſſe: *Voluntatem timentium ſe faciet?* Quûm ergo in animum tuum induxiſti pro his orare, illud tuum velle efficax apud me petitio extitit, & idcircò petita illis conceſſi. Hoc modo pientiſſimus Deus voluntatem timentium ſe adimplet, & exaudit deprecationem animarum juſtarum.

N. 8. Quid ergo dicendum eſt de altiſſima cœlorum, & ſanctiſſimi Roſarij Regina, quæ, quemadmodùm inter animas juſtas primam ſedem tenet, ita honoratiſſima Mater eſt Unigeniti Dei Filij. An non propè erit Dominus ei, dum invocatur? an non voluntatem ejus faciet, & exaudiet deprecationem illius, quando intercedit pro dilectis ſuis Roſarianis? an non cor Regis æterni in manu hujus Dominæ poſitum eſſe firmiter credemus, ut, quocunque voluerit, inclinet illud? Non dubius ſim, ait S. Bernardus, quin exaudienda ſit pro ſua reverentia; data eſt enim ipſi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, ut, quæcunque voluerit, valeat. Non dubius ſim, ait Goffridus Abbas; ſi enim oratio aliorum juſtorum apud Deum tam potens eſt, oratio Dei Genitricis non tam oratio eſt, quàm quoddam imperium apud Filium. Non dubius ſim, ait Cardinalis Hailgrinus; dum enim Sponſus ad eam loquitur: *Guttur tuum, ſicut vinum optimum;* quid aliud denotatur, niſi ſumma delectatio, & ſuavitas, quam Deus ſentit in exaudiendo preces B. Virginis?

S. Bernard. *Goffrid. Abb.* *Hailgrin. Card.* *Cant.* 7.

N. 9. Quod ulteriùs tum ab ipſa experientia, tum ex Textu quodam Evangelico ſat luculenter evincitur. Experientia inprimis docet, illorum preces, & interceſſionem plerumque apud Reges, & Principes eſſe efficaciores, quos aut propinquitas ſanguinis facit eſſe honoratos, aut favor gratiæ reddit eſſe acceptos, aut præſtitum aliquod beneficium conſtituit eſſe dilectos. Omnia autem hæc

hæc tria in Maria Matre concurrunt ad flectendum cor Filij in preces ſuas. Inprimìs: Propinquitas ſanquinis, quia eum genuit ex caſtiſſimis viſceribus ſuis. Secundò: Favor gratiæ, juxta illud: *Inveniſti gratiam apud Deum.* Et alibi: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum.* Tertiò: Varia ſervitia exhibita, quia ipſa æternum Patris Filium veſtivit carne humana, lacte materno pavit, Infantem omnî humanitatis officiô proſecuta eſt. Indubitanter proinde aſſeverandum eſt, idipſum Unigenitum Dei Filium reſponſurum fore dilectiſſimæ Matri ſuæ in omnibus petitionibus ſuis, quod Salomon reſpondit matri ſuæ Bethſabee: *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* *Luc. 1.* *Pſalm. 44.*

N. 10. Ipſiſſimum hoc innuit Textus S. Evangelij, ubi ipſius æternæ Veritatis effatum eſt: *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Theſaurus deſideratiſſimus, mille votîs expetitus, ex millibus electus incarnati Salvatoris noſtri erat Beatiſſima Virgo Maria. Ubi enim legimus: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: Quem qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Per hunc theſaurum aptè intelligitur Maria, veluti gemma pretioſiſſima in humana carne, tanquam in concha abſcondita, veluti æſtimatiſſima minera in antro cubiculi ſui ſemper latitans, ſuper aurum, & topazion ab oculis hominum remotiſsima. Hunc theſaurum invenit Unigenitus Dei Filius, ubi ex celſo cœlorum habitaculo conſpexit dilectam Virginem Mariam, & tanto in eam amore conflagravit, ut, teſte S. Anſelmo, nullus hominum, vel Angelorum im̃enſitatem hujus amoris penetrare valeat. Hunc in finem præ gaudio theſauri hujus non dubitavit, ea, quæ in cœlis amaverat, libenter æquè, ac celeriter derelinquere, ſedem æterni Patris, novem Choros Angelorum, cunctáſque ſuperni Regni delicias deſerere, & in terram, veluti gigas exultans ad currendam viam ſuam, avido curſu deſcendere, ut quodammodò univerſîs, quæ habebat, venditîs ſibi compararet theſaurum hunc, ſibi emeret margaritam hanc pretioſam, ſibi vendicaret mineram hanc æſtimatiſsimam. Theſaurus Unigeniti Dei Filij Maria eſt, ùt ipſe innuit in Canticis: *Quàm pulchra es, & quàm decora, chariſſima in deliciis: Vulneráſti cor meum Soror mea, Sponſa, vulneráſti cor meum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,* *Matth. 6.* *Matth. 13.* *S. Anſelm. de Excell. D. Virg.* *Cant. 4. & 8.*

tatem, nec flumina obruent illam. In theſauro hoc cor Divini Sponſi abſconditum latet, ut, quocunque voluerit, inclinet illud Sponſa dilecta, quidquid pro ſuis Sodalibus petiêrit Regina ſacratiſsimi Roſarij, efficaciter obtineat; *Altiſſimus enim*, ait Carthagena, *non ſuſtinet quidquam denegare iis, pro quibus intercedit Mater in Salutatione Angelica à nobis invocata.*

Carthag. Hom. 3.

Hiſtoria.

JAmjam in via ſalutis deficere cœperat mater illa cum filialibus ſuis, quæ extremâ rerum penuriâ preſſa, cùm nec labore manuum, nec aliâ viâ ſe & ſuas ſuſtentare poſſet, in proximo periculo erat, ut infamî meretriciô filiarum ſibi alimentum quæreret. Aſt non defuit Auguſtiſſima cœlorum Regina, quin vix invocata providerit illis de pane ſalutis, & corporis, ne deficerent in via. Pauperrima mater, dum nullibi ſubſidium ſperare poſſet, unicam ſuam ſpem collocat in clementiſſima Dei Genitrice Maria, templum adit, proſternit ſe coram imagine B. Virginis, & per omnia Myſteria Vitæ & Mortis Chriſti inſtat, ut in hac neceſſitate ſibi ſuccurrere dignaretur Mater Divinæ miſericordiæ. Nec irrito conatu! Vix enim parens cum filiabus ſuis domum rediêrat, aderat pulcherrimus juvenis, penitùs incognitus, qui, ſicuti has Mariophilas ad ulteriorem in Matrem Dei confidentiam fortiter animabat, ita conſignavit ipſis marſupium aurô plenum, ex quo & mater, & filiæ in poſterum abundantiſſimè ſuſtentabantur, & mox ex oculis evanuit juvenis. Tempus intereà exiguum abiît, & nova ſuperinducta fuit tribulatio. Ubi enim viduam hanc cum filiabus honeſtè ſuſtentari, & congruè pro conditione ſtatûs veſtiri conſpexerat populus, mox varia ubique oriebantur dicteria, ſuſpiciones, detractiones, & calumniæ: Fama, & rumor paſſim ibat, ex illicito lucro victum hunc, & veſtitum haberi: Digitô propemodùm mater, & filiæ monſtrabantur, tanquam publicæ in civitate peccatrices, & totius populi peripſema. Ægrè, ùt par erat, habebat caſtas animas hæc linguarum procacitas, & vix non magis premebat, quàm prior extrema pauperies. Quare ſecunda vice ad Mariam confugiunt, illiúſque efficacem pro defenſione honoris interceſſionem implorant, cujus auxiliô paulò ante

ante in bonis corporis tam benevolè fuerant proviſæ. Et benè: Mox enim miſericordiſſima cœlorum Advocata ad hoc quoque petitum devotarum animarum movit cor Filij ſui. Mittitur Angelus de cœlis, qui in magno concurſu populi, cui in Eccleſia aderant præfatæ virgines, omnibûs videntibûs attulit duas coronas, & præfatis puellis impoſuit, dicens: *Has coronas mittit vobis Mater veſtra, Virgo Deipara in ſignum veſtræ virginitatis.* Hôc factô mater, & filiæ gratias à Beata Virgine Maria acceptas inter populum divulgare cœperunt, ut omnibus innoteſceret, quomodò divinæ miſericordiæ Mater, pro ſuis ſolicita, ſit in petitis ſuis efficax apud Filium. Silvanus Razzi Ord. Camald. L. 2. de Mirac. B. Virg.

SERMO TRIGESIMUS QUINTUS.

Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium. Matth. 7.

Roſarium diabolo, & hæreticis, tanquam falſis Prophetis, pellem ovinam abripit.

Poſtquàm Paſtor bonus, & cœleſtis gregem ſuum & verbô paverat, & exemplô, ſimúlque in loco paſcuæ pinguiſſimæ collocârat, id eſt, in Eccleſia ſua, quæ non minùs pabulô ſalutaris doctrinæ, quàm fertilitate Sacramentorum exuberat, haud vanè timuit, ne malignus, callidúſque inimicus clam acce- N. 1.

deret, & fraudulenter gregem ſuum diſpergeret. Unde contra omnem incurſum hoſtilem hodie nos cautos vult, & vigilantes, dicens: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Quod Paſtor æternus, idipſum Divus Apoſtolus Paulus Paſtoribus ſubordinatis, *Act. 20.* id eſt, Epiſcopis inculcavit hîs verbîs: *Attendite vobis, & univerſo gregi; ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Et quidem timor iſte eò debet eſſe attentior, quò aſtutiùs lupi rapaces ſub pelle ovina ſe contegunt, ut hoc modo plùs nocere valeant. Si lupus in propria forma appareat, oves faciliùs declinant, currunt ad paſtorem, poſt canes abeunt, & tutè in ovili ſuo reconduntur: Aſt ubi lupus alienam faciem induit, ovem ſe ſimulat, vellere, & voce agnum præſefert, citiſſimè incautum gregem decipit, in ovile intrat, & oves dilaniat. *Attendite* ergo, ait Salvator, *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* *S. Bernard. Ep. 107.* *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Sicut enim (mellea verba ſunt S. Bernardi) arbor bona, vel mala non ex folijs, neque ex floribus, ſed ex fructibus dignoſcitur; ita falſos Prophetas, aut lupos rapaces ab ovibus non ex quolibet ſigno extrinſeco, nec ex quolibet verbo, aut inſtinctu apparenter pio diſcernere oportet, ſed unicè ex operibus, quæ enumerat D. Paulus hoc *Gal. 5.* ordine: *Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Sicut enim oves, ùt per experientiam docemur, ex omni parte ſunt domino ſuo utiles, ſimplices, patientes, & ſociabiles; ita à contrario falſi Prophetæ, qui circumeunt in veſtimentis ovium, ex integro ſunt lupi rapaces, & opera eorum non ſunt, niſi opera carnis, quæ itidem à S. Paulo recenſentur, *Ibid.* nempe *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia.* Ex quibus haud difficulter conijcimus, per lupos rapaces, qui ad nos veniunt in veſtimentis ovium, non intelligi, niſi diabolum, & hæreticos, qui perſæpè agnos ſe ſimulant, ut fallant incautas oviculas Eccleſiæ. Aſt quàm bellè his lupis ſuam pellem detrahat Roſarium, hodie dicam. Attendite.

Dia-

Diabolum induere veſtimenta ovium, & circumeundô quærere, quem devoret, jam dudùm præmonuit Apoſtolus, dicens: *Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, varias ſcilicet aſſumendô formas, centenas uſurpans technas, innumeros adinveniens dolos, ut incautum decipiat hominem. Verſipellis impoſtor nunc ſe vaferrimè celat ſub perſona Theologi, Concionatoris, & Confeſſarij, nunc indutus apparet Habitu Religioſo, nunc Eremitam agit, nunc ſe ditiſſimum jactat Monarcham, nunc formas ſeſe vertit in omnes, ait Gerſon. Theologum jam olim ſe finxit in paradiſo, ubi ſubdolè acceſſit protoparentes noſtros, diſputandô, & inquirendô: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi? --- Nequaquam morte moriemini*, ſed potiùs *aperientur oculi veſtri: Et eritis ſicuti Dij, ſcientes bonum & malum.* Et hoc tam occulto ſophismate, ut ſerò nimìs ad illud adverterint Adam & Eva. Concionatorem olim egit Patavij, ùt notum habetur ex Hiſtorijs, ubi cathedram larvatus conſcendit, & tantâ energiâ de pœnis inferni dixit, ut pænè omnes ſuos Auditores ad lachrymas commoverit; aſt minimè eum ob finem, ut peccatores ad meliorem frugem converterentur, ſed potiùs, ut audita, & ſpreta veritate excuſationem non haberent in delictis ſuis. Confeſſarium ſe ſimulavit, ubi, ùt legimus in vita Sancti noſtri Vincentij Ferrerij, ſoror hujus Viri Sanctiſſimi ad hunc palliatum Pœnitentiæ Miniſtrum acceſſit, ſua peccata confeſſa eſt, & putatam abſolutionem à peccatis obtinuit; aſt non alia de cauſa, quàm ut pœnitens vel in peccatis ſuis moreretur, vel ante mortem in deſperationem induceretur. In Habitu Religioſo diabolum frequenter in culina inſerviiſſe Monialibus, novimus ex vita S. Magdalenæ de Pazzis, ubi in Habitu, & perſona prædictæ Virginis, dum aliæ in Choro orabant, clam culinam ingreſſus eſt, carnes, aliáque eſculenta ſubripuit, & Sanctam Virginem, cujus tota vita continuatum jejunium erat, apud Sorores tanquam furem, & hypocritam longo tempore proclamavit. Eremitam induit, ubi Beato noſtro Ambroſio Sanſedonio jamjam mundo valedicenti, & ad Monaſterium properanti in via occurrit in forma venerabili gravis, & ſeniculi Eremicolæ, prolixum inſtituendô diſcurſum de vita ſpirituali, & clauſtrali; aſt non, ut hanc ſuaderet juveni debili, & tenero, ſed potiùs, ut hæc exemplô ſuô differretur ad ſenium, & ad finem dierum. Ditiſſimum ſeſe oſtentavit Monarcham,

N. 2.
2. *Cor.* 11.
Gerſon. Centiloq. Decad. 7.
Gen. 3.
In Vit. S. Vincent. Ferrer.
In Vit. S. Magdal. de Pazzis.
In Vit. B. Ambroſ. Sanſedon.

ubi auſus eſt ipſum Unigenitum Dei Filium ſuìs technîs aggredi, eíque promittere omnia regna mundi, ſi cadens in terram adoraret eum. Denique vix ulla in mundo reperitur alia forma, in qua pro diverſitate temporum, & circumſtantiarum variatione non ſeſe transmutat ſerpens tartareus, ut longè majori jure id tribuatur huic impoſtori, quod olim deliramenta Poëtarum divulgârunt de ſuo Protheo.

N. 3. *Fabula.* Protheus patriâ Memphytes, qui Pharaoni in regio ſolio, & ſceptro Ægypti ſucceſſerat, vir erat acutiſſimi ingenij, verſipellis, Politicus, & in omnes partes adeò verſatilis, ut cuilibet hominum ſtatui, omnium moribus, & humori, cujusvis indoli, & inclinationi ſe aſtutiſſimè accomodare noverit. Triſtibus amare collachrymabatur, jucundis feſtivè complaudebat: Inter doctos ſcientias extollebat, apud indoctos omnem doctrinam nihili æſtimabat: Laudantibus proximum ſua quoque encomia junxit, vituperantibus nova ſcomata miniſtravit: Et ſic de cæteris. Unde Poëtæ finxerunt, Protheum ſeſe in alias, & alias formas vertiſſe, nunc ex ſene abiiſſe in juvenem, nunc ex homine in tigridem, leonem, aprum, & taurum fuiſſe mutatum, nunc alias formas directè ſibi oppoſitas ſuſcepiſſe, vel ignis, vel aquæ, vel arboris, vel lapidis, ùt fuſè refert Ovidius. (*Ovidius 8. Metamorph.*) *Applicatio* Meliori jure id diabolo attribuitur, qui proptereà *Panurgus* dicitur, id eſt, mille fraudum artifex: Varias formas pro diverſitate temporis aſſumit, ut inſidietur improvido homini, ſe ſingulorum genijs, & affectibus accommodat, ut lucretur animas mortalium; & hoc tam multipliciter, ut univerſi deceptionis modi vix enumerari queant. Ita teſtatur S. Laurentius Juſtinianus: (*S. Laurent. Juſtin. de monaſt. converſ. c. 12.*) *Quemadmodùm, ſi quis ſtellas cœli, aut pluviæ guttas, aut arenam maris dinumerare voluerit, caſſo conſumitur labore; ita &, quicunque varias dæmonum fraudes ad plenum reſerare conatus fuerit, ſupervacaneè deſudabit. Nempe ipſorum venenata malitia inſcrutabilis eſt, & prorsùs ignota mortalibus.*

N. 4. Præcipuè autem quatuor utitur decipiendi artibus. Inprimis: Suadet homini bonum, ut ſub ſpecie pietatis eum deludat, v. g. juveni, quem inſtabilem novit, ingreſſum Religionis, ut poſteà ad vomitum redeat, & fiat Apoſtata, jejunanti prolixiora jejunia, oranti continuatas preces, vigilanti multiplices vigilias, laboranti altiora conamina proponit, ut poſt paucos dies in jejunio, in oratione, in vigilijs, & in laboribus eos inutiles reddat. Secundò:

Sua-

Suadere homini nititur malum, ita tamen ſub ſpecie boni occultatum, ut, dum peccatum committit, putet, ſe bonum opus præſtitiſſe, ùt dum v. g. virum ſimplicem, proximo ſuo commiſerantem, inducit ad perjurium, ne proximus privetur bonîs ſuîs; aut dum cogitationes furti ingerit, ut pauperibus ſubveniatur. Tertio: Perſæpè diſſuadet homini bonum ex motivo majoris mali evitandi, v. g. diſſuadet ingenuo adoleſcenti vitam Religioſam, ne poſteà pœniteat, & reverſus ad ſæculum confundatur; aut diſſuadet peccatori Confeſſionem, ne non ſervatô propoſitô majorem Dei indignationem incurrat. Quartò denique: Non raro conſuevit homini malum diſſuadere, ut eum præcipitet ad pejus, v. g. diſſuadendô frequentia colloquia, & converſationes humanas, ubi vix deeſſe ſcimus peccata quotidiana; aſt non aliam ob cauſam, quàm ut ſic hominem ſolitarium irretiat ſcrupulîs, conſumat melancholiâ, ducat ad deſperationem. Unde cautè ambulandum eſt, & ſæpiùs ad memoriam revocandum S. Joannis monitum: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* *1. Joan. 2.* *Multi enim*, addit Thomas Kempenſis, *in fine ſunt decepti, qui primò bono ſpiritu videbantur inducti.* *Thom. de Kemp. L. 3. de imit. Chri. c. 15.* Eſto enim, diabolus ſub veſtimentis ovium appareat, intrinſecè tamen ſemper occultat lupum rapacem, cujus Lemma eſt apud eruditum Picinelli: *Robore, & intuitu.* *Picinelli.* Sicut enim lupus viribûs corporeîs eſt robuſtiſſimus, ita & pollet tanto acumine oculorum, & perſpicaciâ viſûs, ut intra denſam noctis caliginem circumiens nunquam à via ſua aberret: Eodem modo lupus infernalis robore viget, quo etiam fortiſſimos Heroës & proſtravit, & hodiedum proſternit, & ſimul acutiſſimo gaudet oculorum acumine, vi cujus omnium corda penetrat, arcana rimatur, & ſuîs tentationibûs ſeſe accomodat ad inclinationes ſingulorum.

Sed *quis revelabit ſpeciem indumenti ejus, & gyrum dentium ejus quis agnoſcet?* N. 5. *Job. 41.* jam dudùm interrogavit patientiæ Magiſter Job. Sanè nemo alius, niſi Regina ſacratiſſimi Roſarij. Maria pro ſuis Sodalibus vigilat contra machinamenta falſi hujus Prophetæ, eique, dum ingreditur in veſtimentis ovium, mox abripit pellem ovinam. *Maria*, ait Thomas de Kempis, *dæmonibus imperat, ne aliquem moleſtare audeant, qui ejus devotioni ſe ſubjicit, & curæ: Non audent dæmones apparere, nec poſſunt ſua ludibria exercere, ubi noverint nomen Mariæ.* *Thom. de Kemp. p. 3. Serm. 3.* *Roſarium*, verba ſunt per-

Marchant. docti Marchantij, *ſuggeſtiones dæmonis malignas, & prava conſilia*
Op.2.de ce- *diſſipat. Per Roſarium dæmonum aſtus, inſidiæ etiam cautiores,*
leb.B.Virg *& varia conamina facili negotiô diſpeſcuntur.* Nec hoc mirum
Lect. 9. videtur, quia, quidquid virtutis in roſa naturali reperitur, eandem
in Roſario, tanquam in Roſa Myſtica, reperiri neceſſe eſt.

N. 6. Narrat Pierius, Lucium apud Apuleium in jumentum fuiſſe
Pierius transmutatum, prolixo tempore inter belluas errâſſe in campis,
Vol. 55. mugiîſſe ùt bovem, gramine nutritum fuiſſe ad inſtar cæteri pe-
coris, adeò, ut nullum remedium excogitari potuerit, Lucium
denuò forma, & vultu humano redonandi. Variîs medicamen-
tîs, irrito tamen cònatu, adhibitîs, ultimatim etiam virtus roſa-
rum applicatur, & quidem tam proſpero, & ſubitaneo effectu, ut,
ubi Lucius, pelle bruti tectus, faſciculos roſeos contrectavit, o-
dorémque virtutis percepit, protinùs, qui fuerat, eſſe deſiêrit,
& rursùs ad formam hominis integram reſtitutus fuerit. Tantæ
efficaciæ, & virtutis olim erat flos roſarum. Non minor vis, &
Applicatio efficientia modò ineſt Sanctiſſimo Roſario. Transfigurat ſe dæ-
mon in Angelum lucis, incedit in veſtimentis ovium, agnum ſe ſi-
mulat, apparet ſub varijs formis, nunc in forma ſimiæ, ùt olim
Sancto Patri Dominico; nunc in forma paſſeris diſturbantis Vir-
In Vita S. gines Deo dicatas, ùt itidem legimus in vita Sancti Patris noſtri
P.Domini- Dominici; nunc in forma corvi, Religioſum inobedientem miſe-
ci. rè torquentis, ùt refert Nebridius; nunc in forma variarum bel-
Nebrid. in luarum, ùt legimus in vita Antonij Abbatis. Aſt, applica Roſam
ſuo anti- ſanctiſſimi Roſarij, confuge ad Mariam, adhibe virtutem Mariani
quar. mo- Pſalterij; & mox ipſi detrahes pellem ovinam, mox apparebit
naſt.Ep.31 lupus rapax, mox deprehendes fraudes, & technas ejus, tam fa-
In Vita S. cilè non decipieris. Ita ipſa Auguſtiſſima cœlorum Regina, ùt
Anton. teſtatur eruditus Coſſus, ad quendam Religioſum variîs tentati-
Abb. Coſſ. onibûs, & illuſionibûs à dæmone agitatum: *Si in officio mei Ro-*
Mir. 70. *ſarij, tuæque Religionis, perſeveraveris, ſecurè à mea benignitate*
auxilium, & opportunum habebis ſubſidium ad ſuperandas dæmoni-
acas ſuggeſtiones. Ita expertus fuit zeloſiſſimus poſteà devotionis
Sanctiſſimi Roſarij Promotor, Beatus noſter Alanus, qui per ſep-
tem continuos annos variîs impetitus eſt fraudibûs, tentationibûs,
& machinamentîs, tandem vix non in deſperationem præcipita-
tus, adeò, ut in Eccleſia ſui Ordinis actu ſibi ipſi mortem infer-
re voluerit; quod & factum fuiſſet, niſi miſericordiæ Mater de-

ſpera-

ſperabundo præſtò adfuiſſet, dans alapam, & manum ferrô armatam, elevatam, & in proprium guttur tendentem retinens, hîs verbîs. Quid, ô miſer! agis? tu meam ſi orâſſes opem, ut aliàs feciſti, in tantum iſtud periculum nequaquam incurriſſes, nec technîs tartareîs in tantas anxietates animi, in tot ſcrupulorum vortices, in hunc deſperationis barathrum abreptus fuiſſes. Unde concludit Carthagena: *Qui devotè Coronam Roſaceam recitare conſuevit, à flatu antiqui ſerpentis Mariæ precibûs præſervatur*, nec falſum hunc Prophetam, in veſtimentis ovium venientem, timet; *Carthag. Hom. 4.*

Minùs autem timet ab ijs, qui frequenter in perniciem generis humani ſubordinantur à diabolo, ut lupum rapacem in corde contegant, veſtimenta ovium aſſumant, & ſub larva, & ſpecie boni oves Chriſti diſpergant, rapiant, trucident. Subordinati hi impoſtores ſunt hæretici, *qui*, teſte S. Auguſtino, *ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt pellem, & ſeſe divinæ legis ſententiîs, veluti quibusdam velleribûs, obvolvunt, ut, cùm quisque lanarum mollitiem perſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat*; quos Divus Apoſtolus Paulus vocat pſeudo-Apoſtolos, operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et iterùm: Homines ſeipſos amantes, cupidos, elatos, ſuperbos, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, qui, ùt loquitur S. Cyrillus Hieroſolymitanus, à pelle quidem, manſueta ſpecie probitatis, decipiunt, pernicioſum verò impietatis venenum ex dentibus emittunt, inſtar luporum frementium vigilantes circa caulas, id eſt, circa Eccleſias, paſtorum abſentiam, vel ſomnolentiam explorantes, ululantes, & clamore ſacrilego veritati obſtrepentes, qui frequenter veniunt in jejunijs, in fletibus, in veſtibus vilibus, in paupertate, & auſteritate vitæ, in alijs externis virtutum ſignis, & exemplis, tanquam veritatis, & vitæ ſanctæ Doctores ſeſe jactantes, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. N. 7.

S. Auguſt. L. 3. cont. Fauſt. c. 12. *2. Cor. 11.* *2. Timoth. 3.*

Experta hoc eſt Eccleſia vix non omnibûs ſæculîs retrò abeuntibûs, ubi hæretici in veſtimentis ovium, & ſub ſpecie veritatis doctrinæ, & probitatis vitæ ovile Chriſti peſſumdare conati ſunt. Sic legimus in noſtris Chronicis de hæreſi Diſciplinantium, cujus totum momentum conſiſtebat in crebris percuſſionibus, flagellis, & diſciplinis, quibûs hi hæretici magnam partem rudis popu- N. 8.

Chronic. S. Ord. Prædicat. P. 1. L. 5. c. 54.

populi, & ruſticæ gentis per Germaniam, & Galliam ad commiſerationem, & ſuam ſectam traxerunt, adeò, ut, totam ſuam ſpem in hujusmodi diſciplinis reponentes, nullâ ſe indigere pœnitentiâ, nulla Confeſſione opùs eſſe erroneè crediderint. Sic S.
S. Antonin noſter Antoninus meminit hæreſis pauperum Lugdunenſium, qui
3 p. tit. 21. illud Evangelij: *Beati pauperes ſpiritu;* malè interpretantes, ni-
c. 5. §. 1. hil proprij ſive in communi, ſive in particulari poſſidendum eſſe aſſeruerunt, inde pauperrimam vitam agentes, veram Eccleſiam non niſi penès ſe eſſe contenderunt, propriúmque Antipapam ſibi
Vincent. præfecerunt. De hæreticis Albigenſibus narrat Vincentius Bel-
Belluac. lovacenſis, quòd plurimas animas jejunijs, & vitæ auſteritate ſub-
S. Auguſt. verterint. De hæreticis Tanzianis teſtatur S. Auguſtinus, quòd auſterrimè vixerint, nec unquam adduci potuerint, ut carnes comederent. Sic duo ante ſæcula in noſtris partibus dolenter novimus, duos Hæreſiarchas ſurrexiſſe, nempe Lutherum & Calvinum, qui ſub ſchemate Reformationis Eccleſiæ, ſub ſpecie prædicationis puri Evangelij, ſub titulo annuntiationis veræ Chriſti doctrinæ, veluti ſub veſtimentis ovium latitantes, intrinſecùs autem, ùt lupi, rapaces, millenas, & millenas de caulis Domini abduxerunt oviculas.

N. 9. Hos, & ſimilis farinæ erroris Magiſtros, impoſtores, & falſos Prophetas, pelle tamen ovina contectos, jam dudùm prævidit dilectus Chriſti diſcipulus Joannes in ſua Apocalypſi, ubi vidit aperiri puteum abyſſi, & aſcendere fumum putei inſtar fumi fornacis magnæ, exinde obſcurari ſolem, & aërem de fumo putei, & de
Apoc. 9. fumo exire locuſtas in terram. *Facies earum ſicut facies hominum. Et habebant capillos, ſicut capillos mulierum, & dentes earum, ſicut dentes leonum erant - - & habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Per has locuſtas ex puteo abyſſi aſcendentes aptè intelliguntur hæretici omnium temporum. Hi ortum ſuum traxerunt ex inferno, tanquam primogeniti filij patris ſui diaboli; ſicut olim reſpondit Sanctus Polycarpus hæretico Marcioni, ſibi in via occurrenti, & interroganti; num Sanctus Vir ſciret, quis eſſet? Omninò, reſpondit Polycarpus, *cognoſco*
Hugo à S. *te, primogenite diaboli!* Comparantur autem hæretici locuſtis
Charo in c. propter tria, exponit noſter Hugo citatum Textum, quia inſtar
9. Apoc. locuſtarum ſaliunt per ſuperbiam, cadunt in terram per avaritiam, nec habent fixum gradum in terra per luxuriam (plerumque enim

tria

tria hæc vitia, etſi afforis occultentur, latent in corde hæreticorum) Et de his locuſtis vaticinatus eſt Propheta Joël, dicens: *Reſiduum erucæ comedit locuſta.* Sicut enim per erucam, ait præcitatus Hugo, denotatur corruptio humana, & mores ſignificantur peſſimi, qui detrimentum erant quodammodò extremum Eccleſiæ, ita, ut, quod perditìs moribûs hominum penitùs deſtructum non erat, ultimatim per hæreticos ſubverſum fuerit. Facies harum locuſtarum erat *quaſi facies hominum.* Quæ verba ponderans exclamat prælaudatus Expoſitor: Ecce hypocriſis! hæretici faciem hominis induunt, quia exteriùs bonos ſeſe oſtendunt, & tamen non erunt; apparent in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces; habent capillos, *ſicut capillos mulierum;* quia ſicuti capilli mulierum in amorem rapiunt viros, & mollitie ſua deludunt effæminatos, ita hæretici dogmate ſuo molli, & laxitatem redolente captivant rudes, & irretiant ſimplices. Porrò dentes locuſtarum erant ſicut *dentes leonum,* propter crudelitatem, ait Hugo, quia crudeliter devorant Sanctos, juxta illud Eccleſiaſtici: *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.* Sequitur denique: *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Quia in fine hæretici inſtar ſcorpionum mordent, venenum infundunt, & aculeos falſorum ſuorum dogmatum horrendè infigunt.

Joël. 1. *Eccli. 21.*

N, 10. Ad repellendas has locuſtas, ſeu ad confundendos hos falſos Prophetas, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces, medium magìs idoneum non reperitur, niſi Roſarium, ita ipſo æternæ Veritatis Oraculo, & ipſa Auguſtiſſima cœlorum Regina atteſtante. Cùm enim tempore S. Patris Dominici, ùt ex Annalibus liquet, vix eſſet angulus tam abſconditus, aut locus tam remotus, in quem non penetrârunt turpiſſimæ hæreſes, ipſe Unigenitus Dei Filius apparuit Sancto Dominico, dicens: *Prædica, Dominice, Pſalterium meum, & ſignanter volo quoad me prædicare te Orationem Dominicam, ut allicias iſtos hæreticos obſtinatos, & alios peccatores ad me laudandum.* Simile quid legimus de B. Virgine, quæ & ipſa, teſte B. Alano, apparere dignata eſt Sancto Dominico, eíque Roſarium tradidit, *tanquam ſingulare præſidium ad evertendas hæreſes, & extinguenda vitia.* Hunc in finem hodiedum nihil magìs hæreticis eſt odioſum, quàm devotio Sanctiſſimi Roſarij, contra quam (etſi cum continua ſua confuſione)

B. Alan. p. 3. c. 18. *Idem.*

non erubeſcunt temerè calumniari, inſolenter ſcribere, protervè, & impiè debacchari.

N. 11. Inprimìs Calvinus veritatem ſibi vendicans, Catholicos autem erroris inſimulans, ex duplici capite redarguit devotionem ſanctiſſimi Roſarij. Inprimìs quaſi Roſariani, & Papiſtæ alienum ſibi uſurparent officium in ſalutanda B. Virgine, cùm hoc officium Deus non niſi Angelo injunxerit. Deinde Calvinus bis ſtultum reputat, quòd Sodales Roſarij abſentem ſalutent. Aſt huic infelici Prophetæ ſinè negotio larva detrahitur quoad primum. Quæ enim, amabo, conſequentia hæc? Archangelus Gabriel ſalutavit Mariam; ergo nobis hæc ſalutatio illicita eſt. Anne ideò, quia Angeli, & Sancti in cœlis una voce dicunt: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; propterea hic modus Deum laudandi interdictus eſt? ánne, quia Chriſtus jejunavit, oravit, & paſſus eſt, nobis non licet illum in ſimilibus imitari; ánne, quia Angelus ſalutavit Gedeon: *Dominus tecum*, *virorum fortiſſime*; & Tobiam: *Gaudium tibi ſit ſemper*; nos non poſſumus ullum ſalutare? Non minùs erroneum eſt, quod nobis quoad ſecundum exprobrat Calvinus, quòd videlicet abſentem ſalutemus, quia Maria ſuô modô, æquè ac Angeli, nobis præſens eſt, in Deo quaſi in ſpeculo videt, & percipit omnia hæc inferiora, præſertim ea, quæ ad illam diriguntur; ſicut hoc docent Theologi de omnibus Sanctis, actuali viſione Dei gaudentibus. Sanè mira res eſſet, ſi Maria ſuprema cœlorum Regina deterioris eſſet conditionis Prophetâ Eliſæô, qui adhuc in corpore mortali, & in ſua cella exiſtens clarè vidit famulum ſuum Giezi accipientem munera Principis Naaman, longè ab illo diſtantis; ùt legimus in Sacro Codice.

Calvin. in Harm. Evang.

Judic. 6.

Tob. 5.

4. Reg. 4.

N. 12. Deinde hæretici in Roſario culpant, rident, & explodunt ordinem, quem Sodales obſervant in ſuis orationibus, ubi non vagè, & indeterminatè, ſed ordinatè ſuas preces diſtribuunt in Decades, & quodammodò artificioſè Salutationibus Angelicis intermiſcent Orationem Dominicam. Aſt & in hoc facilè confunditur hypocriſis hæreticorum, dicente Apoſtolo: *Quæ à Deo ſunt*, *ordinata ſunt.* Ipſe Deus pulcherrimum ordinem ſtatuit inter ſtellas, elementa, & univerſas creaturas ſuas. Determinatum ordinem introduxit Eccleſia in Officio Divino, non promiſcuè, ſed ſuo tempore, & loco proſequendum. Natura quoque ordinem ſuum exigit in dormiendo, comedendo, & alijs neceſſarijs. Si ergo Roſaria-

Rom. 13.

ſariani ſuum quoque ordinem attendunt in orando, & ſervitio Dei, ejúsque Matris, ánne ridendi erunt? Minimè. Nam imitantur Deum, Eccleſiam, & naturam, quod facientes non deviant, quia bonam Regulam ſequuntur.

Tertiò: Omiſſîs aliîs ludibriîs, quibûs hæretici invehuntur N. 13. in Roſarium, Sodales ejusdem appellant *Battologos*, quia ſæpiùs repetunt *Pater*, & *Ave.* Sed etiam hæc Objectio ſtatim evaneſcit, & manifeſtat fraudem, & dolum. Novimus enim ipſum Divinum Veritatis Magiſtrum, poſtquàm diſcipulos docuerat modum orandi, id eſt, Orationem Dominicam, ſtatim ſubjunxiſſe *Luc. 9.* parabolam patrisfamilias, qui non niſi per repetitas inſtantias à ſuo vicino obtinuit panes. Iterùm expreſſè Salvator docuit, ſemper orandum eſſe, aſtruendô parabolam viduæ, quæ multîs *Luc. 18.* precibûs tandem favorabilem ſententiam conſecuta eſt. Si igitur oratio eſt malleus, quo ad cœli portas pulſamus; quare non ſæpiùs illô utamur, ut exaudiamur? nónne ipſa experientia docet, ubi ad primum vel ſecundum *Pater & Ave* cor noſtrum adhuc eſt frigidum, illud ſucceſſu temporis, & per longiorem tractum orationis ſummoperè in devorione accendi, & exardeſcere, & conſequenter aptiùs præparari, ut obtineat, quod deſiderat? nónne ipſe Chriſtus ante ſuam Paſſionem in horto exiſtens, & exſpectans ſuum proditorem *oravit tertiò eundem ſermonem?* *Matth. 26.* nónne de Angelis atteſtatur Sacra Pagina, quòd ſinè ceſſatione, nocte, diéque Deo ſuo decantent notum illud Canticum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Abſit ergo, ut his falſis Prophetis, qui in veſtimentis ovium, & in ſpecie veritatis ingrediuntur, ullam fidem habeamus.

Pergamus potiùs fortiter in devotione ſanctiſſimi Roſarij, o- N. 14. rantes, ne decipiamur à diabolo, & aſſeclis ejus, orantes pro tota Eccleſia, ut continuò contra hæreticos triumphet. Quemadmo- *Roman. in* dùm enim, eleganter loquitur Romanius, ubi Agamemnon, Tro- *Roſ. Com-* jam ad bellum abiens, & timens, ne in abſentia uxor Clitemnetra *ment. L. 1.* ei fidem frangeret, illam tradidit probo citharœdo, ut citharæ ſo- *c. 1.* no illam ad continentiam provocaret; ita Chriſtus abiens in cœlum Sponſam ſuam Eccleſiam, ne ſeducatur, & corrumpatur ab hæreticis, citharœdo D. Dominico cuſtodiendam conſignavit per melodiam Virginei Pſalterij.

Hiſtoria.

CAſtrum eſt in noſtra Alemannia, cujus nomen ſtudiô ſupprimitur ab Auctoribus, natura, & arte munitiſſimum. Vivebat hîc miles aliquis, manu promptus, famoſus ſceleribûs, raptu, & latrocinijs vivere aſſuetus, qui vicinis, & itinerantibus infeſtus, prædas quotidianas agere, cædere reſiſtentes, cæſos flumine (Rhenus fuerit, an Danubius, neſcitur) demergere: Et inter hæc tamen ad Deiparam per aliquas Salutationes Angelicas (magnô ſuô bonô) confugere conſueverat. Contigit quodam tempore, ut, ubi Sanctus Dominicus per has partes Româ Pariſios peteret, inciderit manus furiata in Sanctum Patrem, ſed de omnibus à Beata Virgine jam præmonitum: Capiunt, abducunt, certi mactare, & perdere. Sanctus, nil motus, Dynaſtam identidem ad colloquium poſcit ob certa ſecreta, quæ ad ipſum præferat. Accerſunt, venit, hoc, quidquid eſſet, cogniturus. Ibi S. Dominicus præſens aliquod magnum periculum ipſi edicere, *& humana ſpecie dæmonem in aula ei, & ſuis inſidiari.* Expaveſcit Princeps; non tamen fidem adhibet, niſi factum probetur. Promptum ad hoc ſe præbet Vir Dei: *Tantùm ille omnem domûs familiam ſiſti coram juberet.* Jubet, omnes conveniunt præter quindecim Domicellas, quæ recuſant, excuſant, & fingunt occupationes. Erant eæ dæmones, habitu, & forma muliebri elegantiſſimæ, quæ Nobiles in amorem ſui pellexerant, inter concubitus, & amplexus ſuggerere, & inſpirare ſcelera ſolitæ. Hæ ergò, cùm ſæpiùs vocatæ venire renuiſſent, tandem Beatus Dominicus cæteros, ut fortes eſſent, hortatur, & frontem, & pectus cruce munirent. Itaque monſtra illa, divina virtute adducta, exorciſmîs aggrediens, cogit ſumptas perſonas ponere, proprios vultus ſumere, palàm edicere: *Unde, quæ, quid hîc agerent larvatæ?* Horrendam metamorphoſin! Species humanæ ſubitò evaneſcunt, beſtiæ, & portenta aſtant, fœtent, ſtrident, & truci vultu in Beatum Dominicum, *Maledicta illa*, inquiunt, *cum Filio, quæ huc te egit. Sic unâ horâ tot annorum deſtrues cuniculos? Dæmones ſumus, ùt hi vultus fatentur; inſidias ſtruximus, & per hos multa perpetravimus mala, hodie omnes occidere putabamus: Sed eheu! in die, qua noſtri futuri erant, illos amittimus. Nam hodie noſtri erant, à nobis*

præci-

præcipitandi, nobiſcum in orco cœnaturi. Pergit Sanctus, & denuò interrogat: *Cur non priùs hoc feciſſent?* Reſpondent, *facultatem eis defuiſſe.* Inſtat: Quid ita? Et novìs exorciſmìs hanc vocem extorquet: *Falſa illa Cantilena Mariana* (Roſarium ita vocabant) *impedivit. Hi enim omnes juſſu Principis eam in dies ſalutabant.* Et Dominicus, quoties illam ſalutârunt? interrogavit: *Ut tu prædicas*, inquiebant. Hìs auditìs omnes præſentes exterriti, & pallore confecti intelligunt ſeſe Deipara mediante à maximis periculis fuiſſe ereptos, pœnitent, vitámque priſtinam in melius commutant. Goswinus ex Beato Alano Dom. 11. poſt Trinitatem.

SERMO TRIGESIMUS SEXTUS.

Dominica octava poſt Pentecoſten.

THEMA.

Facite vobis amicos. Luc. 16.

Maria eſt optima Amica Sodalium SS. Roſarij tum in particulari judicio, tum in purgatorio.

TRiplex genus amoris, ſeu amicitiæ aſſignat noſter Scholarum Angelus D. Thomas, ſic diſcurrens: *Triplex eſt amor: Quorum duo non ſunt veri, tertius autem eſt verus. Primus eſt, qui eſt propter utile. Eſt amicus, ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis. Sed certè iſte non eſt verus amor: Deficit enim deficiente utilitate. Et tunc nolumus bonum* N. 1. S. Thom. Opuſc. 4. de dilect. prox. ſ. 2. Eccli. 6.

 pro-

proximo, ſed potiùs bonum utilitatis volumus nobis. Eſt etiam alius amor, qui eſt propter delectabile; & hic etiam non eſt verus amor, quia deficiente delectabili deficit: Et ideò nolumus bonum propter hoc principaliter proximo, ſed potiùs bonum ſuum nobis volumus. Tertius eſt amor, qui eſt propter virtutem; & iſte ſolus eſt verus, tunc enim non diligimus proximum propter bonum noſtrum, ſed propter ſuum. In quo ſolo vera conſiſtit amicitia. Primi, & ſecundi generis plurimi ubique locorum inveniuntur amici; tertij verò generis amicum qui repererit, *invenit theſaurum. Amico enim fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Planè ejusmodi veri amici ſunt rari nantes in gurgite vaſto; à potiori omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ad utilitatem, & commodum proximi ſui faciunt. Hoc experimentô propriô ſuô didicit juvenis ille apud Joſephum Langium. Gloriabatur, & gratulabatur ſibi juvenis hic, quòd opera, & gratificatione magnam amicorum copiam adeptus fuerit: Aſt ubi paulò poſt ex juſſu patris periculum fecerat de probitate, & fidelitate amicorum, nullum invenit. Jubebatur adoleſcens vitulum occiſum in ſacco recondere, eúmque cruentum eo ordine, quo amicos ſecundùm majorem, & minorem amoris gradum collocaverat, ad illos deferre, rogandô, ut illi auxilio eſſe vellent in celando facto, id eſt, in perpetrato, ùt finxerat, homicidio. Paruit adoleſcens monitis paternis, venítque primo paſſu ad eum, quem præ cæteris ſinceriſſimum ſuum amicum reputabat. Aſt mox aſperìs verbìs fuit exceptus, violenter repulſus, audiréque debuit, leges amicitiæ in odioſis circumſtantijs non obligare. Eodem modo obviârunt omnes reliqui, quos, tanquam amicos, adiît juvenis, & in ſuas ſuppetias millenìs precibûs flectere conatus fuit. Ubi igitur ſic deſtitutus, & relictus domum rediît, pater vir ſenex, & gravis ponderosè exprobravit filio levem credulitatem ſuam, útque diſceret in poſterum debitam præcautionem in eligendo amico, ſic eum allocutus eſt: Ego in tota vita mea vix dimidium amici invenire potui; ſed & de hoc dubito: Accede ad eum, meum te filium eſſe indica, & pete, ut in tegendo facinore te adjuvet. Abiît juvenis, preces ſuas exponit; & mox jubetur in domum intrare, ne homines quidpiam reſcirent. Ad ſecreta domûs venitur, ter-

Ibidem.

Joſeph. Lang. in Polyanthæa V. Amicitia.

tra

ra effoditur, ut nemine advertente cadaver ſepeliri poſſet. Bene proinde nos admonet Jeremias: *Unusquisque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam.* Ut etenim in Axiomate dicitur: *Amicus in neceſſitate probatur.* Sodales Mariani! ego ducam vos hodie ad fideliſſimam Amicam, quæ in duplici neceſſitate extrema nunquam vobis protectione ſua deerit. *Jerem. 9.* *Axioma.*

Duplex præcipuè annotatur extrema neceſſitas, in qua, ſicut homo ſibi derelictus ut deficiat, neceſſe eſt; ita, ut de vero amico ipſi patrocinante ſolicitus ſit, conſulturum eſſe, nemo ambigit. Duplex hujus neceſſitatis caſus emergit, inprimìs in judicio particulari, & deinde in flammis purgatorij, ubi utrinque homo jam extra viam merendi eſt poſitus, & non niſi per alienum auxilium ſublevari poteſt. De primo neceſſitatis eventu loquendô certum eſt apud Catholicos, judicium hominis duplex futurum eſſe, nempe particulare, & univerſale, quæ differunt in hoc (ùt notat noſter Doctor Angelicus) quòd judicium particulare ſit ſecuturum immediatè poſt mortem cujuscunque, & fiet de homine, quatenùs eſt particularis perſona, & quoad animam tantùm: Judicium verò univerſale fiet de unoquoque homine, proùt eſt pars totius generis humani, & judicatur ſimul cum tota communitate, cujus ipſe eſt pars. Ulteriùs judicabitur ſecundùm omne id, quod habet, ſcilicet ſecundùm corpus, & animam; ubi in judicio particulari ſolummodò ſecundùm animam, quæ eſt pars principalis, judicabitur. Duplex hoc judicium innuitur hìs verbîs: *Et libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* Ubi, ſicut per hos libros S. Auguſtinus intelligit vitas hominum, quæ ſingulorum actiones inſtar librorum exhibent; ita, dum in citato Textu ponuntur inprimìs libri in plurali, deinde liber in ſingulari, per libros in plurali denotantur conſcientiæ omnium hominum, quæ pateſcent in judicio univerſali; per librum verò in ſingulari ſignificatur judicium particulare cujuslibet hominis in morte, in quo hic liber aperietur animæ: Unde confeſtim cognoſcet ſuum ſtatum, & an ad Superos, an verò ad inferos ſpectet, animadvertet. Locus judicij erit ipſiſſimus lectus, in quo æger moritur, propria domus, quam inhabitavit, idem cubile, in quo clauſit oculos; & quidem in primo inſtanti, ubi anima ſeparatur à corpore, in ictu oculi, in quo extremus ſpiratur hali- N. 2. *S. Thom. in addit. 3. p. q. 88. a. 1. ad 1.* *Apoc. 20.* *S. Auguſt. L. 20. de Civit. c. 14.*

halitus, in momento, ubi vivere deſinit homo. Tunc enim anima elevabitur intellectualiter ad videndum Chriſtum Judicem, ùt eſt in cœlo cum Majeſtate, & per internam locutionem, ſeu illuminationem audiet ſuam vel ſalvationis, vel damnationis immobilem ſententiam. Et tunc

N. 3. O! qualis anguſtia? quæ trepidatio mentis? quantus timor, & tremor percellent animum? Divus Apoſtolus Joannes videns Chriſtum, ſeu Angelum, perſonam Chriſti gerentem, in habitu, & forma Judicis, oculos præ ira ignitos habentem, tanquam flammam ignis, & ex ore ejus exeuntem gladium ex utraque parte acutum, adeò exhorruit, ut ſe mori putaret: *Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* (*Apoc. 1.*) Quod expendens Sylveira ſic bellè ad noſtrum inſtitutum diſſerit: Nónne Joannes in magno ſánctitatis apice verſabatur? ipſe enim erat virgo, purus, ſanctiſſimus, & Apoſtolus Domini dilectus, ac ſingulariter dictus filius Virginis Beatiſſimæ, & tamen, videns quandam formam, ac ſimilitudinem Dei judicantis, tanta trepidatione, & pavore perturbatur; quid faciet miſer peccator ante faciem tanti judicis, quando magnus Joannes tanto timore concutitur? Non minùs ad conſpectum Angeli ſibi apparentis extimuit Daniel Propheta, ùt ipſe teſtatur: *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* (*Dan. 10.*) Si ergo, infert Vincentius Bellovacenſis (*Vincent. Bellovac.*), Vir tam ſanctus, charus amicus Dei, innocens, & virgo viſô unicô Angelô tanquam mortuus cecidit, cùm tamen Angelus illi mitteretur ad conſolationem; quid facturi ſunt in judicio peccatores, videntes in primo inſtanti mortis ſedentem Judicem in Majeſtate, circumdatum Sanctis, & Angelis ad confuſionem, & damnationem animarum ſuarum? De juvene quodam narrat S. noſter Vincentius Ferrerius (*S. Vincent. Ferrer. Serm. de Coron.*), qui nocte quadam in ſomnio, coram tribunali divino ad reddendas rationes præſentatus, adeò exhorruit, ut, qui priùs erat pulcher aſpectu, ſequentî diluculô omnes capillos capitis ſuis ex integro incanuiſſe deprehendit. Si igitur tantum valuit apprehenſio dormitantis; quid futurum erit, quando apertîs, & vigilantibûs oculîs ſupremum, juſtiſſimum, & implacabilem Judicem in loco mortis intuebimur? De viris gravibus, qui aliàs neminem timebant, & promiſcuè cum Principibus tam liberè,

quàm

quàm familiariter agere ſolebant, narrat Cornelius à Lapide, quòd, cùm ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem aliquid petituri acceſſerint, ac Rex in eos oculos ſuos cum gravitate regia defixiſſet, ſæpiùs conſternati obmutuerint, ut, licèt Rex comiter eos invitaret, ut ſua proponerent, tamen nec verbulum effari potuerint. Quis ergo pavor, timor, & horror erit, cùm non Philippus Hiſpaniarum Rex, ſed Rex cœli, & terræ, Judex vivorum & mortuorum ſuos oculos in judicio mortis ad nos torquebit, & ultimam ſententiam pronuntiabit? Planè idipſum nobis continget, quod de fratribus Ægypti Proregis S. Scriptura refert: *Non poterant reſpondere fratres, nimio terrore perterriti.* *Cornel. à Lap. in c. 15. Eſther.* *Gen. 45.*

N. 4. Aſt confidite, Roſariani! Maria erit amica veſtra, Maria recipiet vos in ſua tabernacula, Maria in Roſario proteget vos à furore venturi Judicis. *Beata Virgo enim* (verba ſunt eruditi Carthagenæ) *intrà ſinum miſericordiæ ſuæ, quos agnoſcit Fraternitatis Roſarij alumnos, eosdem protegit, & abſcondit, ut à divina ira eos eripiat.* Quod jam olim in figura nobis indicatum legimus. Devenerant ad extremum vitæ diſcrimen Jonathas, & Achimaas, ſtrenui duo Belliduces in caſtris Regis David, quando rebellis filius Abſalon in patrem ſuum inſurgere non erubuit. Jonathas, & Achimaas exploraturi, quid ageretur in exercitu adverſariorum, ſenſim ſinè ſenſu longiùs à caſtris ſuis diſceſſerant, & puero quodam denuntiante jamjam innotuerant Abſaloni, facilî negotiô ab inimico milite aut capiendi, aut trucidandi. Aſt Jonathas, & Achimaas, ubi ſeſe proditos fuiſſe agnoverant, aliud in arena capiunt conſilium, & ubi viribus proprijs confidere non poterant, per alienum auxilium ſeſe ſalvare conſtituerunt. Antequàm enim miſſi ab Abſalone milites aderant, ambo *concito gradu ingreſſi ſunt domum cujusdam viri in Baburim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum,* ut laterent; & hoc eò feliciùs, quo fideliores in domo, ad quam confugerant, invenerunt amicos. Nedum enim domeſtici, ubi paulò poſt advenerant ſervi Abſalon, conquirentes Jonatham, & Achimaam, ullum indicium dederunt de latitantibus, ſed inſuper, ut tutiùs abſconderentur, *tulit mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas.* Quo facto ſervi Abſalonis irrito conatu reverſi ſunt in caſtra; Jonathas verò, & Achimaas ſalvi, & incolumes regreſſi ſunt ad David. *Carthagen. Hom. 6.* *2. Reg. 17.*

N. 5. Conſilium hoc, quod in ſalutem ceſſit prædictis Ducibus, ſaluberrimum hodiedum eſt omnibus hominibus. In articulo mortis omnes inprimìs manifeſti erimus Deo irato Judici; deinde quaquaverſùm noſtri nos cingent adverſarij, quærentes animas noſtras: Pedem retrò ponere erit impoſſibile, ſtare erit cadere in manus inimicorum. Quid ergo conſilij? Ad tabernaculum Beatæ Virginis, id eſt, ad Sodalitatem ſanctiſſimi Roſarij concito gradu recurrere erit conſultiſſimum, in puteo Myſteriorum Mariani Pſalterij latitare erit ſecuriſſimum. Maria Amica eſt Clientum ſuorum, Maria pandit pallium ſuper Roſarianos ſuos, Maria trementes, & fugientes protegit velamine quodam roſeo, ne deprehendantur ab inimicis. *Sicut enim*, ait Richardus à S. Laurentio, *pia mater abſcondit filium ſub pallio ſuo, quem pater ejus vult verberare: Sic Beata Virgo refugientes ad ſe abſcondit, & Chriſti juſtitiam reformidantes.*

Richard. à S. Laurent. L. 12.

N. 6. Ad hoc fuſiùs explicandum præcitatus Author Richardus glorioſam Dei Matrem comparat Abigail, cujus prudentia retinuit furorem David, ne vindicaret ſe de Nabal ſtulto, ad quem, ùt ex Sacra Hiſtoria novimus, Rex David deputavit aliquos ſervorum ſuorum, dicens eis: *Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum nomine meo pacificè, dicetíſque ei: Sit tibi, & domui tuæ, & omnibus, quæcunque habes, pax. Audivi, quòd tonderent greges tuos paſtores, qui erant nobiſcum in deſerto: Nunquam eis moleſti fuimus, nec aliquid abſtulimus de gregibus veſtris. Nunc die congruo venimus ad te, quodcunque invenerit manus tua, da ſervis tuis, & David amico tuo.* Quod ipſi audientes ſtatim perrexerunt ad Nabal, & nuntiârunt, quæ David eis præceperat. Aſt noluit verba hæc imprudentiſſimus Nabal intelligere, ſed potiùs poſt dura, & contumelioſa verba Legatos regios dimiſit à ſe vacuìs manibûs. Qui regreſſi referebant David, quæ contigerant. Itáne? inquiebat David: Accingatur unusquisque gladiô ſuô, reddam Nabal ſecundùm meritum ſuum, craſtinum non habebit. Hæc ubi inaudiît Abigail fœminarum prudentiſſima, & uxor Nabal, ſicuti lege matrimonij tenebatur, ita in hac deploranda rerum neceſſitate viro ſuo amica fidelis eſſe non deſiît. Mox enim acceptìs muneribûs feſtinavit ad Regem David, & à furore iræ illius, ut defenderet Nabal, omnem movit lapidem; quod tandem etiam feliciter effecit.

Idem L. 2. de Laud. B. Virg. p. 1.
1. Reg. 25.

Huic

Huic fideliſſimæ mulierum comparat prælaudatus Scriptor glorioſiſſimam cœlorum Reginam, peccatorum ſinceriſſimam Amicam. Contingit nos fragiles homines, dum in hac vita degimus, perſæpè Deum noſtrum graviter offendere verbîs peſſimîs, jurandô, & blaſphemandô, iniquîs factîs, furtîs, & adulteriîs, negandô Chriſtô, & pauperibus id, ad quod tenebamur. Iraſcitur haud immeritò Deus, vindictam intentat, ad judicium citamur, & jamjam actum videtur de ſalute noſtra, niſi Maria in neceſſitate nobis ſuccurrat, niſi Maria cauſam noſtram agat, niſi Maria, rebûs deſperatîs, Amicam ſe probet, & muneribûs, id eſt, Roſariîs, & Pſalteriîs Deum placatum nobis reddat. Hoc autem jam dudùm ſe facturam eſſe ipſa gratioſè promittere dignata eſt, tum apud B. Brigittam, hîs verbîs: *Ego ſum Regina cæli, ego Mater miſericordiæ, juſtorum gaudium, & adjutrix peccatorum apud Deum - - - nullus eſt ita alienatus à Deo, qui, ſi me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habeat miſericordiam.* Tum apud Bzovium, ubi faſſa eſt, nullum genus orationis efficacius eſſe ad divinam benignitatem reconciliandum, quàm devotionem ſanctiſſimi Roſarij. *Revel. S. Brigitt. L. 6. c. 10.* *Bzov. Tom 3. Annal.*

Non minor eſt ſecunda neceſſitatis preſſura, ubi, ut ſibi homo de amico provideat, & ratio ſuadet, & experientia docet. Preſſura hæc immediatè ſequitur mortem hominis in purgatorio, cujus pœnam acerbiſſimam propter culpas in hac vita commiſſas, non tamen integrè expiatas, pauciſſimi evadunt, imò, teſte Cardinale Bellarmino, vix ulli etiam juſtiſſimi. Sicut hoc confirmat S. Thereſia de ſeipſa ſcribens: Quamvìs multarum animarum ſtatum mihi Dominus revelare dignatus ſit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus neſcio, an ulla purgatorium evaſerit, præterquàm anima S. Patris Petri de Alcantara, & illius Dominicani, cujus ſuprà memini. Eſt autem purgatorium locus quidam à Divina Juſtitia in viſceribus terræ deſtinatus, in quo animæ defunctorum pro peccatis quoad pœnam necdum plenè remiſſam ſatisfaciunt, qui locus ab Eccleſia Catholica diverſimodè intitulatur, nunc *Os leonis*, nunc *Profundum laci*, alibi *Manus inferni &c.* In hoc purgatorio, veluti in carcere teterrimo, concluſæ detinentur animæ fidelium, donec noviſſimum quadrantem exſolverint. Pœna ſenſûs eſt æqualis cum pœna damnatorum, ait S. Gregorius: Tenebræ continuæ circumſtant, quæ impediunt ope- N. 7. *Card. Bellarmin. L. 1. de amiſſ. grat. c. 15.* *In vita S. Thereſ. c. 33.* *S. Gregor. M. L. 4. Dial. c. 8.*

operationem: Vincula gravant, quæ retardant evaſionem: Penuria urget, ne præſtetur ſolutio: Ignis urit, & cauſat inexplicabilem dolorem. Durat autem hæc pœna juxta quantitatem, & qualitatem nonnunquam in plurimos annos, niſi per ſuffragia viventium liberentur. Sic de Ludovico II. Imperatore, qui adeò pietati erat addictus, ut Pij cognomentum obtinuerit, teſtatur Baronius, quòd poſt triginta annorum ſpatium, à morte elapſum, apparuerit filio, & petierit pia liberationis ſuffragia. Sic de Innocentio III. Sanctiſſimo Pontifice refert Surius, quòd flammîs circumdatus apparuerit Sanctæ Lutgardi, eíque dixerit, cruciandum ſe eſſe pœnîs acerbiſſimîs usque ad diem judicij. Sic legimus de quodam Religioſo, qui ædificatoriè vixit, quòd amico ſuo, poſtquàm jam quadraginta annîs arſerat in purgatorio, revelaverit, adhuc decem annos ſupereſſe pœnarum ſuarum. Nec hoc difficile captu eſt. Ponamus enim (quod plerique faciunt) decem tantùm ab aliquo peccata venialia committi per diem; quantus per unum annum peccatorum numerus excreſcet? Certè trium millium, ſexcentorum, & quinquaginta numerum æquabit. Si ergo unicum peccatum leve ſæpè plurium annorum purgatorium meruit, ut ex Hiſtorijs novimus; quàm diuturnam pœnam merebuntur peccata tam multa, & tam liberè perpetrata? Porrò, quod luctuoſiſſimum eſt, in his flammis animæ purgantes ſibi ipſis nec in minimo prodeſſe poſſunt, utpotè de terra viventium abſciſſæ, & extra ſtatum merendi poſitæ; proinde ſimillimæ illi miſello, qui triginta, & octo annîs alienum auxilium exſpectavit ad probaticam piſcinam in Jeroſolymis.

Baron. Tom. 10. Annal. ad Ann. 874. *Surius ad diem 16. Jun.* *In Libell. ſuppl. anim. purg.* *Joan. 5.*

N. 8. O igitur felicem illum, qui lamentabilem hanc preſſuram cautè prævidens amicum fidelem ſibi comparaverit, cujus patrociniô ſe ſublevandum fore tutò confidit! Et hic amicus alius non eſt, quàm Auguſtiſſima Roſarij Regina, quæ, teſte S. Bernardino, dominium plenum in purgatorium habet. Unde de ſeipſa fatetur: *Et in fluctibus maris ambulavi. Pœna ſiquidem purgatorij ideò dicitur fluctus, quia tranſitoria eſt. Sed additur: Maris; quia nimirum eſt amara. Ab his tormentis liberat Beata Virgo, maximè devotos ſuos. Et hoc eſt, quod ait: Et in fluctibus maris ambulavi; ſcilicet viſitans, & ſubveniens neceſſitatibus, & tormentis devotorum meorum, imò & omnium, qui ibi exiſtunt, quia filij ſunt, cùm ſint filij gratiæ.* Ita S. Bernardinus. Quæ, teſti-

Eccli. 24. *S. Bernardin.*

teſtibûs S. Petro Damiano, & Dionyſio Carthuſiano, in majoribus Solemnitatibus Domini, diebúsque Hyperduliæ ſuæ deputatis ad purgatorium deſcendit, & inde animas plurimas ſecum aſſumit ad cœleſtem gloriam. Quæ, teſte Abbate pijſſimo Bloſio, qualibet hora flammas purgatorij ſuìs precibûs mitigat, & leviores, ac leniores reddit. Verba Bloſij hæc ſunt: *Audivit Sancta Brigitta ipſam Beatam Dei Genitricem Virginem dicentem: Ego ſum Mater Dei, & Mater omnium, qui ſunt in purgatorio. Quapropter omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ipſorum, per preces meas qualibet hora aliquo modo purgantur.* Quæ per Marianum Pſalterium idipſum etiamnum operatur, quod olim per lyram ſuam Orpheum præſtitiſſe fingunt Poëtæ.

Pet. Damian. L. 3. Ep. 52. Dionyſ. Carthuſ. Serm. 2. de Aſſumpt. B. Virg. Ludovic. Bloſ. in Monil. ſpirit. c. 13.

N. 9. *Fabula.*

Ea in figmentis Poëtarum arte ſonandi, & modulandi pollebat Orpheus, ut nedum ad doctiſſimum lyræ ſonitum attoniti obſtuperint homines, ſed & ipſa ſaxa, plantæ, & flumina jubilâſſe, & exultâſſe dicantur. In ſylvis, dum in lyra ſua cœpit ludere, montes & colles, lapides & petræ ſeſe præ lætitia commovebant, & quaſi ſpiritu vitali agitabantur, facto agmine ad auſcultandum concurrebant. Si in campis amœnitas fidelium inſonuit, plantæ & virgulta ex radicibus avulſa Orpheum circumdabant, priùs ab eo non recedentia, quàm finem faciebat muſices. Si propè flumina conſederat, & digitô etiam leviſſimô cytharam tangebat, mox aquæ, quaſi attonitæ, curſum ſuum ſiſtebant, & fixa attentione ludentem audiebant. Quod plùs eſt: Orpheus, arti ſuæ innixus, præſumpſit etiam infra terram deſcendere, & ſuavi ſuo modulamine, dum totum infernum obſtupeſcere fecit, exinde animam demortuæ conjugis ſuæ Euridicis liberare, ſecúmque ad terram reducere. Fabula eſt hæc, & purum deliramentum Poëticum; nihilominùs peraccomodum, ut inde, ſicuti ſol ex tenebroſis nebulis, ita veritas ſplendidior appareat. Auguſtiſſima Sanctiſſimi Roſarij Regina modulamine Mariani ſui Pſalterij idipſum in re ipſa quotidie præſtat, quod Orpheo per fictionem attribuitur. Virtus, & ſuavitas Mariani Pſalterij petras & lapides commovet, id eſt, oſtinatiſſimos peccatores, de quibus dicitur: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis;* ad pœnitentiam convertit: Mariani Pſalterij modulatio plantas, & arbores ex radicibus ſuis evellit, & ad ſe rapit, id eſt, homines ſuis peſſimis paſſionibus, & pravis conſuetudinibus inhærentes, de quibus

Applicatio

Job. 41.

Marc. 8. dicitur: *Video homines velut arbores ambulantes;* à vijs ſuis iniquis abſtrahit, & dulcî vî ad ſe trahit. Mariani Pſalterij ſonitus curſum fluminum, & aquarum ſiſtit, id eſt, pedem cohibet *Job. 15.* hominis properantis ad interitum, *qui bibit quaſi aquam iniquitatem.* Potiſſima autem virtus, & operatio Mariani Pſalterij animadvertitur infra terram, id eſt, in flammis purgatorij. Mox enim, ubi clementiſſima cœlorum Domina cum Pſalterio ſuo deſcendit ad purgatorium, omnes animæ, præſertim animæ Roſarianorum exultant, & attentæ redduntur, flammis eripiun- *B. Alan.* tur, & ad cœleſtem gloriam transportantur. Unde teſtatur B. *de Laud.* Alanus: *Conſpexi viros, & mulieres, qui mihi dixerunt, defun- Pſalt. c. 51.* *ctos ſibi apparuiſſe ſub veriſſimis fidei indiciis, tanquam cruce ſignatos, qui dicebant, quòd citò eſſent liberati à pœnis, quia pro eis Pſalteria hæc dicebantur à quibusdam devotis mulieribus, viríſque religioſis.*

N. 10. Idipſum indicari nobis videtur per viſionem illam, quam olim habuit Jeremias Propheta, ubi interrogatus Propheta à Do- *Jerem. 1.* mino: *Quid tu vides Jeremia?* reſpondit primò: *Virgam vigilantem ego video.* Secundò autem denuò interrogatus: *Quid tu vides?* reſpondit: *Ollam ſuccenſam ego video.* Mira, & multùm inter ſe diſſita viſio; quæ enim inter virgam vigilantem, & inter ollam ſuccenſam connexio? Attamen viſio ſat noſtro pro- *S. Chryſoſt. Hom. 20. ad pop. Antioch.* poſito proportionata. Per ollam ſiquidem ſuccenſam, ùt notat S. Chryſoſtomus, indigitantur flammæ purgatorij, quæ veluti olla ſuccenſa animas purgantes concludunt, excruciant, & affligunt. Virga autem, & quidem vigilantiſſima, ait S. Bernardus, *S. Bernard. Hom. 2. ſuper Miſſus eſt.* & S. Bernardinus, eſt glorioſa Virgo Maria, quia illa diu, noctúque vigilat ſuper Sodales ſuos, illis optima quæque procurat, & mala cuncta avertit; maximè autem eſt virga vigilans animabus in purgatorio detentis, in Roſario ſuo inſtar virgæ Moyſai- *S. Bernardin Tom. 1.* cæ ex petra eliciens, & derivans aquas ſalutares, quibûs temperantur, extinguuntur, & annihilantur flammæ purgatorij. Con- *Exod. 17.* ſtat ex Libro Exodi, quomodò ex juſſu Dei Moyſes virgâ ſuâ percuſſerit petram, & exivit aqua limpidiſſima, ac copioſiſſima in ſolatium totius populi Iſraël, qui ſitî jam per plurimos dies *1. Cor. 10.* areſcebat. Petra hæc eſt Chriſtus, juxta illud Apoſtoli: *Petra autem erat Chriſtus,* Præcipuè autem Chriſtus in Cruce, & in Myſterijs amaræ Paſſionis petra dicitur, in cujus Vulneribus animæ

nimæ

nimæ contemplativæ conquieſcunt, juxta illud: *Columba mea* *Cant. 2.* *in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.* Hanc petram percutit glorioſa Sacratiſſima Roſarij Regina, dum Filium ſuum movet ad miſericordiam per preces, & Myſteria Mariani Pſalterij ſuper animas in igne purgatorij patientes; & ſine mora effluit aqua divinæ benevolentiæ, quæ animas areſcentes recreat, & flammas piaculares lenit, temperat, & ſæpiùs penitùs extinguit. Vidit hoc Sanctus Pater Dominicus, ùt memorat B. noſter Alanus; *B. Alan. c. 59. de Pſalt.* dum enim quædam Matrona, nomine Catharina, in devotione Roſarij occupata piè meditabatur Chriſtum in ſua Paſsione poſitum, & in Cruce pendentem, conſpexit Sanctus Pater quendam parvulum fluvium, & ex corpore ejus quinquaginta rivulos prodeuntes, qui rapido fluxu ad purgatorium præcipitabantur, & eodem modo animas ibi gementes confortabant, ac conſolabantur, quo Catharina preces ſui Roſarij in ſuffragium illarum applicare conabatur. Quem in finem concludit Mariani Pſalterij indefeſſus Zelator, Beatus Alanus: *Mortuis mittit mi-* *Idem in Apolog. c. 10.* *ſericordiam Trinitas miſericordiſſima per Pſalterium Mariæ Matris miſericordiæ.* Sicuti enim, ubi Pharao Rex Ægypti in ſom- *Gen. 41.* nis vidit fluvium, & viſionem hanc mox ſecuta fuit liberatio Joſeph ex carcere; ita, ubi animæ purgantes vident aquas ex Myſterijs Chriſti per devotionem Roſarij ad ſe derivatas, mox ſecurè confidunt de liberatione ſua ex ergaſtulo purgatorij, & libertati filiorum Dei mille gaudiis reſtituuntur.

Facite ergo vobis, Sodales Mariani! amicos, invocate pa- N. 11. trocinium Sanctorum, & præcipuè patrocinium Auguſtiſsimæ Roſarij Reginæ, ut, cùm defeceritis ſive in examine judicij particularis, ſive in igne purgatorij, recipiant vos in æterna tabernacula.

Hiſtoria.

BEatum eſſe illum, qui invenit amicum verum, ùt teſtatur *Eccli. 25.* Eccleſiaſticus, experta eſt Matrona quædam, quæ ſicuti per decurſum vitæ cultui Mariano devotè erat addicta, ita & in particulari judicio, & in flammis purgatorij Mariam Amicam fidelisſimam habere meruit. In particulari judicio commiſſa pec-

cata

cata longè præponderare videbantur ad merita, quæ ſibi in vita comparaverat, & niſi Maria, per quam nos omnes ſalvari oportet, interceſsiſſet, juſta irati Judicis indignatio placari haud potuiſſet. In flammis purgatorij collocata paulò poſt cuidam ſibi familiari fœminæ apparuit, enixè rogans, ut per eam quantociùs nomen ſuum, etſi eſſet mortua, deferetur ad Archi-Fraternitatem ſanctiſſimi Roſarij, & Catalogo aliorum Sodalium inſereretur. Peregrinum hoc erat viventi. Nequaquam enim intelligere poterat, ad quid hæc inſcriptio prodeſſet defunctæ? Dubium tamen, & admirationem ſuſtulit mortua, ſic ſuam amicam allocuta: Scias, me propter peccata plura tempore vitæ commiſſa, & ſufficienter non expiata adjudicatam fuiſſe pœnis purgatorij ad quindecim annos. Nec datur ullum has pœnas evadendi medium efficacius, quàm Archi-Fraternitas ſanctiſſimi Roſarij, in qua numerus copioſiſſimus reperitur orationum, & devotionum, quas in dies piè perſolvunt Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij. Quam ob rem deſiderium meum quantociùs exequere, & tamdiu pro me Pſalterium tu recita, donec tibi denuò appaream, & lætum de mea liberatione nuntium feram. Implet hæc mandatum. Et ecce! elapſis quindecim diebûs anima revertitur, gratias refert, & teſtatur, quindecim annos per virtutem Roſarij, & interceſſionem Beatæ Virginis in totidem dies fuiſſe transmutatos. Et hoc ipſum eſt optatiſſimum illud momentum, quo Deo miſerente flammas purgatorij evaſi, & plena gaudiis ad cœleſtia gaudia avolo. Hæc dicens diſparuit ex oculis, & ad regna cœleſtia jucundè aſſumpta fuit. P. Cornelius Snekis, hæreticæ pravitatis Inquiſitor Serm. 15. de Roſar.

SER-

SERMO TRIGESIMUS SEPTIMUS.

Dominica nona poſt Pentecoſten.

THEMA.

Circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique. Luc. 19.

Roſarium perquàm ſalubre eſt contra bellum, famem, & peſtem.

A*Ltiſſimus eſt patiens redditor.* Etſi enim diu plerumque pœnam differat, nihil tamen dimittit impunitum. Imò ſæpiùs pœna ſequitur eò gravior, quò eſt tardior. Experti ſunt hoc Jeroſolymitæ in contextu hodierni S. Evangelij. Jam quadraginta anni effluxerant, ubi per ſummum nefas Chriſtum morti tradiderant, & crucifixerant; quia tamen nihil mali obvenerat, eò inſolentiæ tandem devenerunt, ut Romanorum imperio ulteriùs ſubeſſe recuſaverint. Malè hæc protervia habuit Titum Romanorum tunc Imperatorem. Unde collecto validiſſimo exercitu in Judæam abit, Jeroſolymam, urbium omnium Principem, arcta obſidione cingit, & facta expugnatione funditùs illam evertit. Nemo explicare poteſt triſtem rerum faciem, quam & durante obſidione, & facta expugnatione Jeroſolymis cernere erat. Tres milliones Judæorum occiſi fuerunt igne, & gladio, crucibus verò tot affixi, ut fabricandis, ac erigendis ejusmodi crucibus in fine nec ligna ſufficerent, nec locus ſuppeteret. Qui ultra annum ætatis decimum ſeptimum ex incolis vitâ donabantur, ad metalli

N. 1. *Eccli. 4.*

ſodinas in Ægypto, poſitîs ad collum catenîs, damnati fuerunt; qui verò erant minoris ætatis, circiter novem millia, per varias mundi partes tanquam mancipia venditi ſunt; alij verò ſucceſſivè per crudelem mortem falſis Romanorum Dijs in ſacrificia ceſſerunt. Plurimis mortuorum venter diſſecabatur, & viſcera eruebantur. Quamdiu obſidio protrahebatur, in urbe tanta famis preſſura erat, ut ſtercora equina, calceorum, & cingulorum coria, detractáſque animalium pelles, & excrementa, veluti delicias, reputarent cives. Imò non paucæ ex mulieribus proprias proles coxerunt, & manducarunt; donec tandem hoſtilis exercitus, & quidem tanta celeritate, & tam felici progreſſu urbem cepit, ut ipſe Titus faſſus ſit, opus hoc non eſſe opus ſuum, ſed potiùs Deum contra Jeroſolymam pugnâſſe, & victoriam tuliſſe. Hoc modo eſt Deus patiens redditor.

N. 2. Idipſum hodiedum frequenter accidit. Cumulamus peccata peccatîs, graſſatur omnis impietas, quod libet, licet, mandata Dei, ipſis Judæis proterviores, pedibûs calcamus; & quod pejus eſt, gloriamur in malitia, quia impunes videmur, magìs inſoleſcimus,
Eccli. 5. dicentes cum illo impio: *Peccavi, & quid mihi accidit triſte?* donec juſta Dei ira provocetur ſuper capita noſtra, & flagella furoris Domini, quæ potiſſimùm ſunt bellum, fames, & peſtis, expediantur in perniciem noſtram, nimiſque ſerò inſtar Judæorum edoceamur, quòd Deus ſit patiens redditor, nihilque impunitum dimittat. Ut igitur his malis, jam dudùm ob peccata noſtra nobis debitis, ea, qua par eſt, ſolicitudine prævië occurramus, ecce, Sodales Mariani! repræſento vobis ſacratiſſimum Roſarium, ceu tutiſſimum contra bellum, famem, & peſtem præſidium.

N. 3. Bellum, innumeráque bellum concomitantia mala, effectum eſſe noſtrorum peccatorum, nobíſque in vindictam, & pœnam ſcelerum à Deo immitti, effatum eſt æternæ Veritatis, ubi pientiſſimus Deus promiſit pacem filijs Iſraël, ſi mandata obſervarent; minatus verò eſt gladium inimicorum, ſi à mandatis declinarent, hîs ver-
Levit. 26. bîs: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis - - dabo pacem in finibus veſtris: Dormietis, & non erit, qui exterreat, - - & gladius non tranſibit terminos veſtros. Quòd ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaveritis ex adverſo mihi: Ego quoque contra vos adverſus incedam, inducámque ſuper vos gladium ultorem fœderis mei.* Horum verborum nedum tota Scrip-

tura teſtis eſt, ubi, quamprimùm populus fidelis multiplicavit peccata, ſtrage bellorum punitum legimus; ſed & nos ipſi, quos mundi finis invenit, potiſſimùm teſtes ſumus. Quanta enim prælia, & quas opiniones accipimus præliorum, modò hìc, modò alibi exortorum, quibûs Deus juſtus Judex animadvertit in peccata hominum, & pacem aufert à finibus noſtris, juxta illud: *Non eſt pax impiis?* Inde audire eſt lamentationes, gemitus, & ſuſpiria omnium populorum: *Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes.* *Iſa. 48.*

N. 4. Sed qua via citiùs, & firmiùs exaudiemur? Sanè non aliâ, niſi per preces ſanctiſſimi Roſarij. Omnis enim devotio Roſarij, ait eruditus Rebellius, eſt fortiſſimum caſtrum, in quo animæ, Virgineâ tectæ protectione, quieſcunt, defenduntur, & offendunt ſuos inimicos. Quindecim Myſteria ſunt veluti tormenta ænea. *Pater noſter, & Ave Maria*, toties repetita, ſunt veluti ſpicula, vel globi: Ignis eſt fervor orationis: Pulvis tormentarius eſt puritas conſcientiarum: Milites ſunt omnes Fratres, & Sorores hujus ſanctæ Confraternitatis, qui unitîs viribûs, & vocibûs quaſi virum unum conſtituunt, & hoſtes profligant; ſicuti legimus in Chronicis Regum, dum Saul contra hoſtes pugnaturus, cùm miſiſſet in omnes terminos Iſraël, & congregáſſet trecenta millia, illi egreſſi ſunt *quaſi vir unus*, & triginta millia hoſtium ita cæciderunt, ut non relinquerentur in eis duo pariter: Qui Roſariani milites, dum elevatîs manibûs orant ad Dominum, fundunt hoſtes, dum verò manus in oratione remittunt, vincuntur; ſicut legimus in Exodo, ubi, dum Moyſes manus levabat ad cœlum, vincebat Iſraël, ſin autem paululùm remittebat, ſuperabat Amalec: Qui armant ſe roſîs, ſe muniunt, & fugant ſuos aggreſſores; ſicuti de illo Academico legimus, qui in inſigni ſtematis ſui circumcingentem appoſuit roſarum ſepem cum Lemmate: *Vallant, & violant*, id eſt, defendunt, & offendunt. *Rebell. L. 1. c. 10. a. 2.* *1. Reg. 11.* *Exod. 17.*

N. 5. Planè innumerus forem, ſi, quantum omni tempore contra bella prævaluerit devotio Roſarij, Hiſtorias quaſdam allegare vellem, quas fuſè narrant B. Alanus, Goſwinus, Lalaing, Carthagena, Marcellus, Michovienſis, & alij plurimi. Nobis ſufficiant exempla illa, quæ noſtra Germania, quodammodò recentia, ſuppeditat. In Helvetia in priori ſæculo duo millia Catholicorum, quia unicè in Roſario ſpem ſuam collocabant, haud procul à loco, *Füllmargen* dicto, quatuordecim millia Lutheranorum, & Calvi- *Exempla Hiſtorica.*

niſtarum occiderunt; alia vice, nempe ad annum 1656. eodem præſidio propè *Rapiswill* contra octodecim millia dictorum hæreticorum feliciter defenſi. In Archivio urbis Conſtantienſis reperitur, quomodò hæc civitas, dum à Suecis, eorúmque nominatiſſimo Belliduce Guſtavo Horn arctiſſima obſidione cingebatur, & armata manu per quatuordecim horas expugnabatur, per preces Roſarij fuerit illæſa conſervata, & ultimatim in ipſa die ſolemni ſanctiſſimi Roſarij inimicum exercitum turpiter cedere coëgerit. Hoc ipſum teſtantur urbs Villingenſis, Auguſtana, Iberlingen, Rottweil, & aliæ, ubi parvuli, & mulieres, quæ vel domi, vel in Eccleſiis ad recitandum Roſarium congregabantur, viris intereà muros defendentibûs, potiùs, quàm hi, triumphâſſe de hoſtibus credebantur; quia non raró Regina ſacratiſſimi Roſarij in veſte candida ſuper muros deambulare, & hoſtes repellere viſa eſt. In Flandria Comes Egmond cum ſeptem millibus ſuorum, quibus ad collum Roſaria appendit, devicit triginta millia adverſariorum. Nec mirum eſt hoc; hodiedum enim idipſum verificatur, quod in vita S. Pij V. ſcriptum ſcimus, ubi Sanctiſſimus Pontifex, cùm Selim Solyman toti orbi fideli interitum minitabatur, Paulum Odeſcalcum ad Joannem Auſtriacum, Caroli V. Cæſaris filium, & Catholici exercitûs Anteſignanum, deſtinavit nuntium, ut inter alia pia munera, in claſſiarios omnes cum fauſta apprecatione diſtribuenda, Auſtriaco Beatæ Virginis Roſarium deferret, hîs additîs promiſſîs: *In hoc ſigno vinces.* Nec fefellit. Mox enim auxiliante glorioſa Roſarij Regina victoria de Turcis glorioſiſſima reportata fuit, ipſis barbarîs poſteà fatentibûs, ſe in aëre vidiſſe Beatam Virginem tempore pugnæ ſuos animantem ad prælium. Quam ob cauſam juſſu præfati Pontificis quotannîs etiamnum celebratur Feſtum Sanctiſſimi Roſarij prima Dominica Octobris, ubi prænominata victoria contigit, ſub titulo, & commemoratione *Sanctæ Mariæ de Victoria.*

N. 6. Quidnî ergo & ego, dum hodie Sodalibus Marianis contra bellum repræſento Roſarium, utar verbîs Sancti Pij V. *In hoc ſigno vinces?* Quidnî ſub præſidio Beatæ Mariæ de Victoria omnibus victoriam præſagire audeam contra irruentes hoſtes? Quidnî omnes Confratres, quos Roſariîs ſuîs, veluti tot roſîs, ornatos intueor, victores declarem? Roſarum faſciculus jam olim apud Romanos, teſte Plinio, non niſi victori militi concedebatur. Cùm

enim

enim Cornelius Scipio, devicto Hannibale, Romam rediret, & triumphum ſuum in urbe adornaret, publica præconis voce militibus octavæ legionis privilegium datum eſt, ut in triumpho quilibet faſciculum roſarum geſtare poſſet, & ſuos deinceps clypeos ſemper roſis exornare valerent in perpetuam rei memoriam, quòd illa legio primò in hoſtium caſtra irrupiſſet, eique reportata victoria potiſſimùm adſcribenda foret. Quidnî igitur faſciculus roſarum, id eſt, Roſaria in manibus Marianorum Sodalium hodiedum infallibilem victoriam contra irruentes hoſtes denotabunt? Hoc ipſe clementiſſimus Salvator, ùt refert Joannes de Monte, ſocius S. Patris Dominici, oſtendere dignabatur cuidam Priori Carthuſiano, cui contra inſultus hoſtium, omnia devaſtantium, in viſione præbuit æterni Patris Filius quinque ſpicula, quinque gladios, & quinque haſtas ſanguine ſuo ſplendentes, dicens: *Hîs armîs hoſtes tuos ſuperabis, & eris in pace.* Et cùm quæreret Carthuſianus; quid hæc arma indigitarent? addidit amantiſſimus Redemptor: Hæc arma denotant quindecim *Pater noſter* cum totidem Decadibus Mariani Pſalterij, quæ valent hominem ab omni periculo hoſtium defendere. Hoc porrò & ipſa Auguſtiſſima cœlorum Domina manifeſtum fecit, quæ, ùt memorant Apoldius, & S. Antoninus, dum Alanus, quidam Eques Roſario devotiſſimus, pugnabat adverſùs ſuos, in aëre apparuit, & centum quinquaginta lapides, quot ſcilicet Salutationes Angelicæ continentur in Pſalterio ſuo, jecit in hoſtilem exercitum, ſicque illum penitùs diſſolvit, fugavit, perdidit, non ſecùs ac mulier illa in Sacra Pagina perquàm laudata, quæ jacto ex culmine domûs fragmine molæ occidit Abimelech cum valido exercitu aggredientem filios Iſraël, ſicque pacem optatiſſimam patriæ reſtituit.

Joan. de Mont.

Apold. & S. Antonin. in Vit. S. P. Dominici.

Judic. 6.

Secundum flagellum, in pœnam peccatorum deſtinatum, eſt fames, quam Deus itidem intentavit populo ſuo, ſi legem non obſervaverit, hoc modo: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis - - terra gignet germen ſuum, & pomîs arbores replebuntur. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: Et comedetis panem veſtrum in ſaturitate. - - Si autem nec ſic obedieritis mihi, - - dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt, immittámque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra,* N. 7.

Levit. 26.

& ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ. Quantam autem miſeriam fames inducat, vel ex hoc colligere licet, quòd ad tantam rabiem homines plerumque adducat, ut carnes humanas eos comedere compellat,& non quaslibet, ſed etiam filiorum ſuorum: Repertæ enim ſunt mulieres,quæ, rabida eſurie concitatæ, proprios filios incredibili crudelitate occiderunt. Cujus rei exempla tum ſacræ, tum profanæ Hiſtoriæ ſubminiſtrant.
Thren. 4. Unde & Jeremias hanc miſeriam deplorans ait: *Manus mulierum immiſericordium coxerunt filios ſuos.* Accedit, quòd rerum penuria multorum communiter peccatorum exiſtat occaſio: Hinc enim proditiones, hinc latrocinia, deceptiones, furta, lupanaria,
Eccli. 27. virginúmque proſtitutiones. Unde Eccleſiaſticus: *Propter inopiam multi deliquerunt.*

N. 8. Et quod contra mala hæc remedium? Sanè non aliud ma-
Carthagen. gìs probatum, quàm Roſarium. *Ad obtinendum enim temporalium abundantiam eſt optimum medium Deiparæ Roſarij devotio,* ait perdoctus Franciſcus Carthagena. Maria enim in Roſario eſt mulier illa fortis, cujus pretium eſt de ultimis finibus terræ, quæ
Prover. 31. *facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum, & de nocte ſurrexit, dedítque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis,* id eſt, Fratribus, & Sororibus in hac Confraternitate
Coppenſtei. coadunatis, ait P. Coppenſtein. Maria in Roſario eſurientes re-
L. 2. c. 1. plet bonis, dat eſcam famelicis, & potum ſitientibus, utpotè præ-
Gen. 24. figurata in Rebecca refocillante viatorem Eliezer. Ita loquitur
B. Alan. p. 2. c. 3. Beatus Alanus. Maria, verba ſunt S. Bonaventuræ, intelligit ſuper egenum, & pauperem, non ſolùm apertas pauperum ne-
S. Bonav. in Pſalt. Virg. ceſſitates videns, ſed etiam occultam eorum indigentiam explorans, intima pauperum oculô miſericordiæ pervadens, ut omnibus opportunè opem ferat, præcipuè ſuis Roſarianis. Ita materno ſuo lacte refocillâſſe eandem novimus S. Patrem Dominicum, Beatum Henricum Suſonem, S. Catharinam Senenſem, &
In Vitis Sanctor. Beatum Alanum de Rupe. Ita eandem veſtes cœleſti manu paratas dediſſe legimus S. Ildephonſo, S. Bonito, Sancto Amato, Sancto Norberto, & Beato noſtro Reginaldo. Ita panem & vinum eandem ſæpiùs ſubminiſtrâſſe Fratribus Ordinis Prædicato-
Annal. S. Ord. Prædic. rum, Annales referunt, tempore Sancti Patris Dominici bis in Conventu Bononienſi, bis Romæ, & ſemel in Gallijs, dum Sanctus Pater cum octo ſocijs iter ageret, & non haberet, quo de-

fati-

fatigatos recrearet. Poſt mortem Sancti Patris idem miraculum ſæpiùs renovatum fuit, ùt fuſiùs refert noſter Juſtinus Michovi- *Juſtin. Mi-* enſis, Gandavi, Trajecti, Harlemi in Batavia, in Conventu Pi- *chovienſ.* ſano, in Monaſterio Azeytonenſi in Luſitania, Cordubæ, & alibi. *Diſcurs.* Ita eandem de neceſſarijs in penuria pecunijs providiſſe, refert *231.* præcitatus Author, Fratribus Ordinis Prædicatorum, utpotè in- *Idem ſuper* primìs devotioni Roſarij addictis. Primò: Sancto Dominico de- *Lyt. Lau-* narium ſubmiſit, ut moleſto nautæ, qui eum per flumen transve- *ret. Diſ-* xit, potuerit ſolvere naulum. Secundò: Priori Lubecenſi in Teu- *curs. cit.* tonia, ut creditori, importunè quinque marcas argenti, quas mutuas Conventui dederat, repetenti totidem marcas ipſa Beata Virgo ſub ſpecie formoſæ mulieris ad portam conſignavit. Tertiò: Priori Lemovicenſi ad conſtruendum novum clauſtrum miniſtravit ſex millia ſolidorum Turonenſium, quos inſtinctu Beatæ Virginis Capellanus Dauracenſis Eccleſiæ Fratribus attulit. Quartò: Joanni Teutonico numiſma argenteum ſubmiſit per roſtrum corniculæ, ut neceſſaria ſibi, & Fratribus ſuis in itinere conſtitutis coëmere potuerit. Simile quid legimus de Beato Henrico Suſone, de B. Columba Reatina, Catharina Racconiſia, Beata Agatha à Cruce, innumeríſque alijs, devotione Roſarij in Mariam confidentibus. Unde non incongruè Beatus Alanus dixit: *Qui vultis di-* *B. Alan. p.* *tari, ſtudioſè offerte Virgini Mariæ Pſalterium.* *4. c. 24.*

N. 9. Longè igitur potiorî titulô Mariæ in Roſario attribuitur id, quod veteres attribuerunt Cereri, frumentorum, & agrorum Deæ. *Fabula.* Ceres, ùt opinio erat Gentilium, primitùs docuit culturam agrorum, adinvenit modum ſeminandi, & arandi, ſelegit frumentum à lolijs, molendinum erexit, & artem pinſendi panes induxit. Hunc in finem hodiedum, dum depingitur, in manu portat cophinum frumentô refertum, quaſi ad ſeminandum præparata: In alia manu falcem vibrat, ut fructus matureſcentes demetat: Caput coronâ cingitur, ſpicîs contextâ, quia ſpicarum eſt prima origo. In hanc Deam adeò confidebat ſtulta Gentilitas, ut communis apud omnes fuerit perſuaſio, ubi Ceres erat præſens, ibi meſſem fore copioſiſſimam; ubi verò aberat, ibi agros fore ſteriles, rerúmque deplorandam penuriam. Idipſum meliori jure Reginæ ſacratiſſi- *Applicatio* mi Roſarij adſcribitur. Hæc enim in manu ſua portat caniſtrum plenum ſeminibûs, quæ miniſtrat ſeminanti, ut, qui in nomine Virginis Roſarianæ agros ſuos araverit, & coluerit, magnam fructu-

um

Luc. 5. um copiam ſuo tempore congreget, æquè ac Sanctus Apoſtolus Petrus, ubi in nomine Chriſti rete ſuum laxabat, tantam capturam piſcium retulit, ut etiam rete rumpi videretur. In altera manu Maria in Roſario falcem vibrat, quia ſub ejus auſpicijs ſemper agri albeſcunt ad meſſem, &, ubi ipſa invocatur, fruges uberrimæ colliguntur. Maria in Roſario, quemadmodùm roſîs, ita & ſpicîs coronata apparet, quia poſt Deum nemini alij, niſi glorioſæ cœlorum Dominæ fertilitas terræ adſcribenda eſt. Denique, quando Regina Roſarij eſt præſens, id eſt, ubi piè, & devotè colitur in exercitio Mariani Pſalterij, ibi fructus trigeſimus, ſexageſimus, & centeſimus in agris noſtris (ſi ita ſaluti noſtræ congruerit) ſecurè ſperari poteſt; ubi verò Maria in Roſario exulat, id eſt, devotio ſanctiſſimi Roſarij aut omninò negligitur, aut tepidè, & frigidè pertractatur, agri manent ſteriles, fames, & penuria proximè timendæ ſunt.

N. 10. Hinc dicitur: *Et ſicut, qui theſaurizat, ita & qui honorificat* *Eccli. 3.* *matrem ſuam.* Honorare quippe amantiſſimam Dei, & omnium noſtrûm Matrem eſt idem, ac theſauros congregare, quia ipſa eſt, quæ, æquè ac Elias, claves habet ad cœlum claudendum, & aperiendum, ut det, vel deneget frugiferam agris pluviam. Ipſa eſt altera Agar, quæ pro filio ſuo Iſmaël, extremam penuriam patiente, non ceſſat orare ad Deum, ut mittat Angelum de cœlo, & ſublevet neceſſitates noſtras. Ipſa eſt Mater omnium indigentium, in cujus domo Fratres, & Sorores Roſarij abundant panibûs, æquè *Luc. 15.* ac filius prodigus in ſe reverſus dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibûs; ego autem hîc fame pereo. Surgam,* *3. Reg. 17.* *& ibo ad patrem meum.* Ipſa eſt beatiſſima illa vidua in Sarepta, apud quam ex benedictione Filij, veluti increati Eliæ, hydria farinæ nunquam deficit, & lecythus olei nunquam imminuitur. Unde appoſitè annotat noſter Pepinus hæc verba: *Bonum eſt Roſarium homini habere in manibus, & devotè illud recitare, cùm timet adverſa; & maximè, ſive immineant pericula latronum, ſive fluminum, ſive ignium, ſive beſtiarum, ſive quorumcunque aliorum adverſorum;* quia Roſarium, addit Michovienſis, *eſt ſummum remedium ad evitandam paupertatem nocivam.*

Pepin. in Proœm. Serm. Roſ. Michovi. in Comp. c. 15.

N. 11. Bellum, & famem non rarò ſequitur lues peſtifera, qua Deus tanquam tertiô flagellô utitur ad corripiendos peccatores. Et fortè hoc tertium flagellum rigidius eſt omnibûs aliîs. Hoc experi-

mentô

mentô ſuô didicit coronatus Pſaltes. Peccaverat in Dominum Deum ſuum David, quia, ut ſibi vanè complaceret in potentia regni, juſſit per Joab miniſtrum ſuum numerari populum ſuum, & quoscunque viros, qui erant ſubjecti imperio ejus. Nedum vana hæc complacentia diſplicuit altiſſimo cœlorum Domino, ſed & ipſi David, ubi paulò poſt ſeſe recolligens pœnituit, veniam à Deo rogavit, & ad diluendam culpam ſpontè divinæ ultioni ſe ſubjecit. Hinc juſſu Dei ad Aulam venit Propheta, Regique in nomine, & authoritate Supremi Numinis ex tribus optionem tulit: *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: Aut tribûs* 2. *Reg.* 24.
menſibûs fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: Aut certè tribûs diebûs erit peſtilentia in terra tua. David ſua opinione minimum elegerat, quia breviſſimum poſtulabat, ſcilicet trium dierum peſtilentiam; aſt ſerò nimìs ſapiebat, ubi tam brevî temporis ſpatiô indoluit, ſibi per peſtem ereptos fuiſſe ſeptuaginta fortiſſimorum virorum, & totum regnum in eo ſtatu poſitum, ubi paſſim in urbibus, in pagis, in plateis non erat videre niſi cadavera, non erat audire, niſi fletum, clamorem, & ejulatum ſubditorum, non erat odorare, niſi peſſimum fœtorem mortuorum. Angelus à Deo miſſus, ut peſtem petitam immitteret, ulteriùs, veluti Sacer Textus innuit, manum extendere paravit, & gladium, ut diſperderetur Jeruſalem. Aſt miſericordiſſimum Numen miſerebatur ſuper afflictione populi ſui, Angelóque populos percutienti dicebat: Sufficit. *Nunc contine manum tuam.*

Quod Regio Pſalti, hoc idem nobis propter peccata noſtra N. 12.
accidit. Vix annus præterlabitur, quo non ex diverſis terræ partibus de lue peſtifera triſtis apportatur nuntius. Crudelis mors nunc hîc, nunc alibi falcem ſtringit, & paſſim miſerè graſſatur in genus humanum. Imò fors inpræſentiarum iratus Deus manum extenderet, & flagellum hoc peccantibus immitteret, niſi impediretur ab Auguſtiſſima cœlorum Regina, Diva Virgine Maria. *Te enim* (verba ſunt S. Ambroſij) *ô Beata Virgo! brachium, & manum* *S. Ambroſ.*
extendente pro nobis, divinæ ultionis gladius elevatus contrahitur. Eſt enim Beatæ Virginis, divino throno adſtantis, idem privilegium, & officium, quod Veteres aquilæ, volatilium Regi, attribuerunt, ubi aquilam in ſuis picturis proximè ad thronum Jovis collocârunt, prædominantem fulmini, & cohibentem impetum jaculi, ſi quod iratus Jupiter mundo inferiori intentabat. Hoc in re *S. Bonav.*

ipſa quotidie de patrocinio B. Virginis experimur: Illa quique aſtat à dextris Dei, ut detineat manum, ne percutiat peccatorem, ait S. Bonaventura. Maria idipſum fidelibus integrè præſtat, quod olim Romani à falſa Dearum Ageria ſe accepiſſe crediderunt.

Fabula. Ageria celeberrima erat Dea apud Romanum populum, mille honorum titulîs ornata, variîs, & quotidianîs ritibûs adorata, in omnibus neceſſitatibus invocata, quia eâ potentiâ prædita exiſtimabatur, ut, quoties Jupiter, in iram actus, fulmen in terram projicere intendebat, Dea Ageria illicò accurreret, manum teneret, & indignationem tolleret, ipſo Jove hoc confirmante, & dicente: *Coactus cedo.* Hunc in finem exorta tempeſtate omnis populus ad templum Ageriæ confluebat, copioſas candelas in honorem hujus Deæ accendebat, eámque non aliter, niſi Deam tutelarem

Applicatio appellabat. Sed apage cum his craſſis erroribus! Maria ejusmodi Dea tutelaris omnium eſt fidelium, Maria, dum Deus iratus flagella parat in peccatores, protinùs accurrit, manum tenet, & indignationem tollit, Maria morbos, & peſtiferas lues benignè à nobis

Richard. à S. Laurent. avertit: *Nulla enim peſtis eſt tam efficax, quæ etiam ad ſolum Nomen Mariæ non cedat continuò*, ait Richardus à S. Laurentio.

N. 13. Præprimìs autem in & per Roſarium hoc præſtat clementiſſima Dei Genitrix. Ubi enim hoc flagellum peſtilentiæ jamjam

B. Alan. p. 2. c. 16. Michov. in Comp. c. 10. deſtinatum erat tribus mundi malis, nempe luxuriæ, avaritiæ, & ſuperbiæ, audivit S. Pater Dominicus, contra hæc valere Pſalterium, ùt teſtatur B. Alanus. Cui conformiter eſt opinio Michovienſis, *Pſalterium eſſe ſummum remedium ad peſtilentiam depellendam.* Teſtes hujus veritatis ſunt cives Oriquellæ in Hiſpania, qui ab ipſa Beata Virgine admoniti, ut in Roſario ſpem ſuam collocarent, Annô 1510. à ſæviſſima, longè, latéque graſſante lue liberati fuerunt. Teſtis eſt Ulyſſibona, ubi Annô 1564. beneficiô Roſarij plurimi, actu peſte infecti, proſperè reconvaluerunt; plures autem à malo hoc immunes præſervati ſunt. Annô 1578. Paviæ, poſtquàm cives per votum ſe obſtrinxerunt ad ædificandam quandam Capellam in honorem Sacratiſſimæ Roſarij Reginæ, & quot annîs in gloriam ejusdem ad ſolemnem inſtituendam Proceſſionem tertiâ Dominicâ Aprilis, mox peſtifera lues ceſſavit. Anno 1630. Bononiæ peſtis lethifera jam plures domos evacuârat domeſticîs, cœmeteria implevit funeribûs, & in dies magìs debacchari videbatur in inquilinos: Aſt, ubi hi in publicis plateis invocârunt patrocinium

San-

Sanctiſſimæ Deiparæ, & alta voce paſſim per compita recitârunt Roſarium, aër ab omni veneno purgatus eſt, & totius mali in brevi nullum ampliùs cernebatur veſtigium. Hoc idem Neapoli contigiſſe legimus Anno 1656. & fermè per totam Italiam.

Quis igitur abneget, Reginam ſacratiſſimi Roſarij ſuis Sodalibus eſſe Deam tutelarem, quæ, ubi flagella præparantur, accurrit, manum irati Numinis cohibet, & mala cuncta avertit? Quis ambigat, Mariam in Roſario eſſe aquilam grandem magnarum alarum, ut eam vocat S. Bernardus, quæ ideò aſtat à dextris Dei, ut prædominetur fulmini, quod perſæpè peccatis noſtris debetur, & impediat jacula, quæ vix non violenter per vitia noſtra à Deo extorquemus? Planè Maria in Roſario ſimilis eſt aquilæ illi, de quo meminit Pierius. Peſtis Spartæ exitialis graſſabatur, nec ullum contra vim mali excogitari poterat pharmacum, donec Oracula, ſeu dæmones ex Oraculis perſuaſerunt cæco populo, ſpem ſalutis aliam non ſupereſſe, niſi cives ſanctè jurarent, ſe quot annîs nobilem aliquam virginem fore immolaturos Dijs ſuis. Fortè evenit, ut Helenæ ſors obtingeret, quæ cùm mactanda duceretur, aquila devolans ſacrificuli gladium abripuit, & ad armenta delatum ſuper juvencam demiſit. Cujus prodigij argumentô hæc virginum immolatio in poſterum penitùs apud Spartanos ſublata fuit. O quoties & nobis mortis gladius jamjam imminet? quoties mortis ſententia per juſtum Dei judicium in hoc regnum, ſuper hanc urbem, ſuper hos peccatores jam decreta eſt! quoties Angelus Dei, ut peſtilentiâ percutiat nationes, jamjam enſem ultionis ſtrinxit! Aſt Maria in Roſario, tanquam aquila generoſiſſima, in auxilium advolat, ictum impedit, gladium retinet, & miſericordiam divinam nobis impetrat. *Quis enim eſt locus miſeriæ*, ait Divus Bernardus, *quem non excludat Mater miſericordiæ, felix Mediatrix Maria, quæ ſalutis antidotum viris, & mulieribus propinavit?*

N. 14. — *S. Bernard. Serm. 2. in Salve Reg.* — *Pierius L. 19.* — *S. Bernard. in Opuſc. de B. Virg.*

Confugite ergo, Sodales Mariani! confugite ad Reginam clementiſſimam Roſarij veſtri, & Deus flagella iracundiæ ſuæ miſericorditer à vobis avertet. Niſi enim Deipara ſe, ſuáſque preces interpoſuiſſet, jam pridem univerſum genus humanum vindex Juſtitia Dei apprehendiſſet; ùt id jam dudùm prævidit, & enuntiavit S. Fulgentius hîs verbîs: *Cælum & terra jam dudùm ruiſſent, ſi non Maria precibûs ſuſtentâſſet.*

N. 15. — *S. Fulgent. L. 4. Mytholog.*

Hiſtoria.

MUltùm refert, illos, quibus cura animarum incumbit, ſuis Parochianis & exemplò virtutis,& pabulô doctrinæ prælucere.

In Gallijs in Provincia Provinciæ quandam Parochiam adminiſtrabat pius Presbyter, qui, ſicut ſingulariter addictus erat cultui Beatæ Virginis Mariæ, ita inprimìs exercitio Mariani Pſalterij erat devotiſſimus. Ratus autem, non ſufficere paſtori animarum, ut ſibi ſoli ſanctè viveret, omnî modô conabatur pium, quo ipſe in Dei Matrem ferebatur, devotionis affectum ſuis quoque Parochianis implantare, propterea in omnibus ſuis Concionibus, & adhortationibus mentionem faciens de præſtantia, utilitate, & uberrimis fructibus ſanctiſſimi Roſarij. Unde in brevi per totam Parochiam ita efflorere, & redolere cœpit amœniſſima Roſa Mariani Pſalterij, ut vix inveniretur,qui non quotidie ſuum Roſarium tenerrimîs ſuſpiriîs recitaret. Nec pijs his exercitijs Marianis merces deerat. Ubi quippe paulò poſt in regione ſanguinolentum exoriebatur bellum, à tumultibus, & calamitatibus hoſtilibus dicta Parochia penitùs immunis ſervabatur. Tetra ubique erat rerum facies, hoſtilis gladius ibat per totam terram, inquilini paſſim trucidabantur, pagos, & oppida ignis conſumebat, fruges terræ equo, & milite peſſundabantur, ita, ut extremam penuriam, paupertatem, & eſuriem cernere erat, ubi, unde incolæ viverent, totum erat aut raptum, aut deſtructum, & everſum. Sed nondum ſatìs. Bellum, & famem ſenſim ſequebatur peſtifera hominum, pecorúmque lues, utpotè quaſi individua comes eorumdem. Lues hæc pauciſſimis parcebat, ſed potiùs ſerpebat de loco in locum, de platea in plateam, de domo in domum: Per totum regnum clamor populi, & ululatus multus audiebatur, ubi filij ſuper defunctos parentes, hi mortem ſuorum filiorum, amicus amicum lamentabiliter plorabant: Ubicunque oculi flectebantur, cadavera jacebant, ita, ut ſicut olim tempore Pharaonis in Ægypto domus non erat, ubi mortuus non inveniebatur, ita per Provinciam locum ſinè cadavere vix deprehendi licuit. Sola præfata Parochia, ô ingens ſacratiſſimi Roſarij prodigium! quia in devotione Mariani Pſalterij conſtanter perſeveravit, imò inter hæc mala reduplicavit pia Roſarij exercitia, illæſa perſtitit,

per

per hoſtilem invaſionem non tacta, famis preſſuram non ſentiens, à graſſante lue feliciſſimè præſervata. B. Alanus de Rupe 4. p. Operis redivivi S. 2. cap. 27.

SERMO TRIGESIMUS OCTAVUS.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Deus, propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

Per Roſarium peccator ſibi Deum propitium reddit, & obtinet gratiam ſervandi mandata in poſterum.

DUo hodie in templum aſcenderunt, ut orarent; modus tamen orandi apud utrumque longè erat diverſus. Phariſæus ſtans apud ſe oravit: *Deus, gratias tibi ago, quia non ſum, ſicuti cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus*, mundus ego ab his ſordibus, *jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Hunc autem modum orandi meritò ridet S. Bernardus, dicens: Advenerat hic Phariſæus ad templum, ſtipem, & opem poſtulaturus à Deo, & utramque ſuam manum nummîs refertam jactat. An non ſtolidus ille mendicus foret, qui ſtipem petens à divite ſimul præſeferret manus aurô plenas? Qui benè orat, non jactat pretium ſuorum operum, ſed penuriam ſuam ob oculos ponit, & ulcera detegit, ut omnes in ſui commiſerationem, dandámque eleemoſynam excitet. Unde N. 1.

Pſalm. 6. de David: *Miſerere mei Deus, quoniam infirmus ſum, ſana animam meam, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Quaſi diceret: Bone Deus! ſtipem à te contendo, miſerere mei, reſpice vulnera, intuere ulcera, & plagas, vide, quàm ſim debilis, & æger, ſana animam meam, quæ te graviter offendit. Et hunc orandi modum benè obſervavit alter illorum, qui hodie, ut orarent, ad templum venerunt, nempe Publicanus. Hic Publicanus, ùt advertunt noſter Hugo, & Lyranus, erat famoſus fœnerator, Præpoſitus vectigalium, &, teſte Euthymio, publicus peccator, homo vitæ flagitioſæ, per fas & nefas lucra conſectans. Unde vix limina templi attigit, & rubore peccatorum ſuorum ſuffuſus à longè ſtabat, non auſus propiùs Altari appropinquare, pectus percutiebat, ad angulum remotum ſeceſſit, oculos in terram defixit, & contrito corde, humili voce, mœſtis oculis dixit: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Sanè diverſa orationis methodus inter Phariſæum, & Publicanum, ſed & diverſus orationis effectus. Phariſæus vacuus domum revertitur, quia Deus ſuperbis reſiſtit: Mercedem precum ſuarum aliam non recepit, niſi propriam complacentiam: Non Deum, ſed ſeipſum in oratione laudare intendit, ideò & nullam à Deo gratiam obtinere meruit. Econtra Publicanus deſcendit juſtificatus in domum ſuam, quia ſe humiliavit: Proprium reatum doloroſè agnovit, & vulnera ſua detexit cœleſti Medico, Deum ſibi propitium habuit: Effectum orationis ſuæ abundantiſſimum retulit, & mutatus ab illo, qui quondam fuit, penitùs in alterum virum mutatus eſt.

Hugo. *Lyran.* *Euthym.*

N. 2. Liquet igitur, aliud eſſe, orare, aliud eſſe, benè orare. Multi orant, ſed exiguum ex precibus ſuis, aut omninò nullum fructum referunt; clamant ad Dominum, ſed non exaudiuntur; multiplicant petitiones ſuas, ſed nihil impetrant, quia precibus ſuis congruas diſpoſitiones, & condebitas circumſtantias non annectunt. Deeſt animus contritus, & humiliatus, & ſicut radice deſtructa arbores non fructificant; ita ſinè corde contrito, & humiliato oratio evadit ſterilis. Hoc præcipuè notandum venit Fratribus, & Sororibus Sanctiſſimi Roſarij, quibus non ſufficit, ut quotidie dicant ſua Roſaria, ſed inſuper, ſi velint ſuas preces eſſe gratas, efficaces, & fertiles, neceſſe eſt, ut orationi addatur vera contritio de peccatis, affectus humiliationis coram Deo, & demiſſa propriæ debilitatis agnitio. Hôc factô indubitanter aſſero, orationem

tionem Roſarij idipſum operari in Sodalibus, quod hodie operata eſt oratio in Publicano, ſcilicet & Deum Roſarianis reddere propitium propter peccata commiſſa, & obtinere gratiam divinam ad ſervanda in poſterum mandata.

Non abs re coronatus Propheta quotidie oravit ad Dominum: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* N. 3. *Pſalm. 6.* Perſpectum enim erat David, quomodò olim ira, & furor Dei deſævierit in cœlo, & in terra. De cœlo Angelorum peccantium numeroſam multitudinem dejecit, & pœnis ſempiternis addixit: In terra totum genus humanum peccati odiô per diluvium delevit, integras urbes, integras regiones, has igne cælitùs miſſo conſumi, illas gladiô necari, iſtas fame, ac peſte perire fecit. Teſtis eſt Sodoma, & Gomorrha, Jeruſalem, & aliæ Urbes, Regna, ac Provinciæ dirutæ, & ſolo æquatæ. Unde non pauci Expoſitores, Deum iratum, & pœnas in peccatores meditantem contemplantes, idipſum ei attribuunt, quod Jacob moriens de filio ſuo Joſeph vaticinatus eſt, hîs verbîs: *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* *Deut. 33.* Rhinoceros eſt ex natura ſua animal ferociſſimum, quod irritatum nulla vi, aut arte compeſci valet: Pollet fortitudine, & perrumpit omnem induſtriam humanam, ingenium, & vires, quæ ei opponuntur. Eſt quidem, teſtatur Pierius, animal tardum ad iraſcendum, & magna indiget irritatione; ſed ubi iraſci cœperit, ferocitate pænè omnia bruta antecedit. *Pierius L. 2.* Quod ipſa Sacra Pagina videtur confirmare hîs verbîs: *Nunquid volet Rhinoceros ſervire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum lorô tuô? aut confringet glebas vallium poſt te?* *Job. 39.* Simili modo Deus tardus eſt ad iraſcendum. Quoties enim ego, quoties vos, quoties nos omnes peccamus, antequàm Divinæ Juſtitiæ virgam ſentiamus? Si Deus toties puniret homines, quoties peccant, quid futurum putatis? nonné id, quod Ovidius cantat: *Si, quoties peccant homines, ſua fulmina mittat Jupiter, exiguo tempore mundus inermis erit.* *Ovidius 2 Faſtor.* Nos Deum blaſphemiîs, laſciviîs, perjuriîs, mendaciîs, fraudibûs &c. offendimus; ille autem diſſimulat, nos non abjicit, non ſtatim punit, ſed patienter tolerat. Unde S. Bernardus: *Ego peccabam, & tu, Domine, diſſimulabas. Non me continebam à ſceleribus, & tu à verberibus abſtinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu, Domine, pietatem tuam.* *S. Bernard.* Aſt, ſi Deus, ini-

quita-

Pſalm. 75. quitatibûs noſtrîs provocatus, tandem iratus fuerit, væ nobis! *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Ex tunc ira tua,* ait Regius Pſaltes. Cœlum, terra, mare, aër, aliáque elementa, & univerſæ creaturæ ei ad juſſum, & nutum ſunt, ut juſtam ultionem exequantur in impios, ut tanquam Rhinoceros in cornibus ſuis gentes ventilet usque ad terminos terræ.

N. 4. Sed quis iratum hunc Rhinocerotem compeſcet? quis demulcebit? quis mitigatum reddet? Beatiſſima Virgo Maria hoc præ-
Plinius. ſtitit, & hodiedum præſtat. De Rhinocerote teſtatur Plinius, quod, utut ferociens, attamen ad virginem in campis expoſitam mox accurrat, ejus manui, illum demulcentis, manſuefactus ſuccumbat, adeóque dulciter in ejus ſinu recumbat, ut ſe nexibûs indui, pedi-
Applicatio císque implicari patiatur. Hoc ipſum jam olim verificatum fuit in Beata Virgine. Erat Deus ob peccatum in ſe commiſſum olim ferociſſimus, indomitus, & horribilis toti generi humano, adeò, ut ejus ſeveritatem nulla vel precum inſtantia, vel ſacrificiorum oblatio domare potuerit. At, ubi Unigenitus Dei Filius in uterum Virginis deſcendit, protinùs iram poſuit, clementiam induit, & miram manſuetudinem amplexatus eſt, cœlos aperuit, & humano generi reconciliatus fuit. Idem hodiedum verificatur in Beata Virgine. Prolongat peccator iniquitates ſuas, ita, ut paulatim omnem timorem, & erubeſcentiam deponat; ſicut ille, qui ſæpiùs in carcerem conjicitur, ultimatim omnem verecundiam, & pudorem exuit, nec ejusmodi detentionem curat, & qui in luto ſe verſat, quò magìs volutatur, eò ampliùs inquinatur: Imò ſenſim ſinè ſenſu peccator ad profundum venit, & contemnit omnia, donec tandem ira Dei inſtar Rhinocerotis deſævientis erumpat, & vindictam meditetur de ingrata creatura. Aſt ſi Beata Virgo ſe interponat, ad conſpectum illius mox ira divina placatur, manſueſcit Omnipotens, & furor omnis ceſſat, mutatúrque in miſericordiam; haud ſecùs, ac aqua marina in ſe amariſſima, ùt ajunt, in vaſe cerâ virgineâ illito purificatur, acritatem ſuam amittit,
Simile. melléque dulcior efficitur. Hoc atteſtantur millia millium peccatorum, de quorum ad interceſſionem B. Virginis cum Deo reconciliatione vix non univerſi codices Hiſtorias adducunt, & inter alios teſtatur hoc latro, qui, teſte S. Petro Damiano, non alio tempore miſericordiam obtinuit, quàm dum Beata Virgo, inter Crucem Filij, & crucem latronis poſita, Filium pro latrone deprecabatur.

Latro

Latro (verba Damiani ſunt) *in cruce converſus eſt. Sed cur non ante? cur non reſipuit, cùm JEſum in via ſequebatur? cùm eum Crucem ſuam ferentem vidit, & comitabatur? Tunc convertitur, cùm Maria juxta Crucem ſtabat: Tunc ex latrone factus eſt Martyr, cùm pro eo Maria deprecabatur.* *S. Petr. Damian.*

Potiſſimùm autem hoc præſtat glorioſa Dei Genitrix in Roſario invocata. *Illa enim* (ait celeberrimus ex Ordine Seraphico Mariophilus Carthagena) *tanquam Mater avidiſſima felicitatis ſpiritualis filiorum ſuorum, ponit in ore eorum Salutationem Angelicam, cujus repetitione Roſarij corona contexitur, ut per illius verba reconciliationis benedictionem à Deo obtineant.* Ipſa ſiquidem teſte apud Bzovium, nullum hoc genere orationis efficacius eſt ad divinam benignitatem conciliandam. Nec dubitandi deſuper locus relinquitur. Quidnî enim de Deo, inſtar Rhinocerotis irato, idipſum affirmare audeam, quod de Elephante quodam teſtatur Acoſta. In urbe Goa furore correptus Elephas vinculîs diſruptîs diſcurrebat, & paſſim ſibi obviantibus mortem minitabatur, niſi maturâ fugâ ſaluti ſuæ conſuluiſſent, inter quos unus, qui puerum infantem bajulabat, viſo illo fugam arripuit infante relicto. Adeſt Elephas, omnes infantis mortem præſtolantur. Et ecce! Elephas nedum parcit puero, ſed inſuper leniter eum attollit, & in tecto humili collocatum circumſpectat conſiderans, num ſatìs puer foret ſinè detrimento, quo facto curſum ſuum furibundus proſequitur. Hac re, quotquot id viderant, in ſtuporem rapiebantur, aliam cauſam facti non adinvenientes, niſi Elephantem hoc ideò feciſſe, quòd recordaretur, ſe anteà à matre pueri transeundô panem, & aliquos fructus accepiſſe. Erumpit perſæpè furor juſtæ iræ Dei, devaſtat plurimos, ſed ubi offenderit aliquem de pupillis, ſeu de Sodalibus tuis Roſarianis, ô Virgo ſuperbenedicta! remittit ſubitò iram ſuam, non effundit furorem ſuum in famulos tuos, ſed potiùs benignè eos ſuſcipiens in loco collocat tutiſſimo. Recordatur enim Myſteriorum, quæ in Mariano Pſalterio continentur, quomodò videlicet tu Filio ejus lac præbueris, quomodò ei in præſepio adſtiteris, cunctáque neceſſaria per totum tempus vitæ miniſtraveris, ac proinde, licèt in alios furore deſæviat, pertranſit ſervos tuos, imò complectitur illos peramanter, recordatione obſequiorum tuorum mitigatus. Unde eruditus Carthagena: *Qui fuerint ſcripti in libro hoc Fraternitatis, & documen-* N. 5. *Carthag. Hom. 3. Bzov. Tom 3. Annal. c. 21. Acoſta. Carthag. Hom. 6.*

ta ejus implentes, divinam ultionem non ſuſtinebunt, ſed Deiparæ Mariæ interceſſione Dei miſericordiam experientur.

N. 6. Quod plùs eſt: Unigenitus Dei, & Mariæ filius, ubi conſpicit quendam Sodalem Roſarianum irâ ſuâ, & pœnâ dignum, videtur ſpontè ſuâ eum convenire, ſuámque ei miſericordiam, & propitiationem ultrò offerre. *Joan. 5.* Duplex hujus exemplum Scriptura nobis exhibet. Reperit pientiſſimus Salvator quendam infirmum apud piſcinam probaticam, & nullo interveniente, vel ullis precibus commotus eum accedit, alloquitur, & interrogat: *Vis ſanus fieri?* Sicut & annuenti protinùs ſanitatem contulit. Res mira! Amantiſſimus noſter Redemptor aliàs non niſi rogatus gratias ſanitatum elargiri ſolebat. *Luc. 17.* Ita decem leproſos, antequàm mundarentur, preces ſuas multiplicare neceſſe fuit: *Matth. 15.* Ita diu inſtare oportuit mulierem Chananæam, usquedum ſanitatem filiæ ſuæ impetravit. *Luc. 18.* Ita ſinè intermiſſione cæcus in via clamabat, ut viſum reciperet. *Joan. 4.* Ita Regulus in Capharnaum in propria perſona conveniebat Chriſtum, & priùs non diſceſſit, ſed potiùs preces ſuas continuavit, donec promiſſum pro filij reconvaleſcentia obtinuit: Hìc autem compatiens Salvator, nemine rogante, alloquitur ægrum, offert medicinam, reſtituit ſanitatem. Quid hoc rei? Per infirmum hunc triginta octo annìs ad piſcinam commorantem, & in infirmitate ſua contabeſcentem Rupertus ſubintelligit peccatorem inveteratum, & conſuetudinarium, *Rupert. L. 5. in c. 5. Joan.* qui de menſe in menſem, de anno in annum proponit emendationem, interim tamen continuat malitiam ſuam, computreſcit in infirmitate ſua, induratur in conſuetudine peccandi; & tamen non raro contingit, quòd benigniſſimus Salvator gratiâ ſuâ internâ veniat ad ſimilem peccatorem, eique finalem ſalutem offerat, & conferat, non ſecùs, ac illi miſello ad piſcinam probaticam. Cujus hæc ratio aſſignatur à *Damaſcen.* Damaſceno: Quia ſcilicet piſcina probatica proxima adjacebat ædibus Divi Joachimi, & S. Annæ, in quibus Mater ejus dilectiſſima, veluti amœna Roſa in Jericho, ſuum ortum, & nativitatis locum habuit. In conſideratione ergo hujus domûs, ex intuitu *Iſa. 11.* chariſſimæ Genitricis ſuæ, quæ, teſte Iſaia, in domo hac *egreſſa eſt virga de Jeſſe*, non exſpectavit Unigenitus Dei Filius ſupplicationem infirmi, non longiorem moram, ſed ſtatim miſericordiâ ſuper eum motus eſt, & ſanum, ac incolumem dimiſit illum. Quod idipſum in varijs peccatoribus inveteratis hodiedum verificatur, qui

ædi-

ædibus Virginis Mariæ aſſident, id eſt, Archi-Fraternitati Sanctiſſi-
mi Roſarij nomen ſuum incorporant, Mariæque patrocinium im-
plorant. His enim non rarò Divinus Medicus ſpontè ſuâ medi-
cinam contribuit, illíſque miſericorditer ſe offert ad propitiatio-
nem, & ſalutem. Teſte enim Goswino, *in Roſario, dum illud* *Goswin.*
oratur, Chriſtus venit per miſericordiam, & gratiam ſuam ad cor *Dom. 1.*
pœnitentis, eúmque ad pœnitentiam motionibûs ſuis flectit. *Advent.*

Alterum exemplum nobis Sacra Pagina exhibet in duobus N. 7.
paralyticis. Centurio quidam habebat puerum paralyticum, & *Matth. 8.*
venit ad JEſum, humiliter orans, & deprecans, ut dignaretur mi-
ſereri infirmi, eúmque à paralyſi curare. Quod petiît, facta ſup-
plicatione etiam obtinuit. Alius denuò paralyticus Chriſto of-
fertur; aſt nemo erat, qui pro ægro orabat. Tantummodò ap- *Matth. 9.*
portatur in lecto paralyticus, & ponitur ante pedes Magiſtri cœ-
leſtis, qui nihilominùs miſericordiâ motus dixit ei: *Confide fili,*
remittuntur tibi peccata tua. Surge, tolle lectum tuum, & vade
in domum tuam. Uterque paralyticus peccatorem ſignificat, ut
communis SS. Patrum eſt expoſitio, quia peccator, æquè ac para-
lyticus, languet, intorpeſcit, & ad omnem motum pium redditur
ineptus. Quæritur ergo, cur primo clementiſſimus noſter Repa-
rator non niſi præcedentibûs Centurionis precibûs donum ſani-
tatis elargitus ſit, alterum verò ſtatim absque ulla prævia depre-
catione à paralyſi curaverit, illi penitùs reconciliatus, & integrè
remittens peccata? Quam quæſtionem ipſe Sacer Textus videtur
ſolvere, ubi enarrat, primum paralyticum ſanatum fuiſſe in Ca-
pharnaum, alterum verò tunc, ubi JEſus aſcendens in naviculam
transfretavit, & venit in civitatem ſuam, id eſt, in civitatem Na-
zareth, à qua Nazaræus vocabatur: Nazareth ſubitaneæ hujus
reconciliationis, & commiſerationis cauſa extitit. Idipſum de
Roſario Beatæ Virginis conteſtari licet; ſi enim, ùt notum eſt,
Nazareth interpretatur *flos,* ſeu *civitas florum;* quid aliud eſt Ar-
chi-Fraternitas Mariani Pſalterij, niſi flos, niſi collectio roſarum,
niſi locus floridus, ad cujus conſpectum Deus citiſſimè reconcilia-
tur peccatori, eíque remittit peccata? *Roſarium enim oratum,* *Goswin.*
ait Goswinus, *Dei gratiam reddit.*

Et non ſolùm reddit, ſed etiam gratiam Dei jugiter in homine N. 8.
conſervat, ut mandata divina deinceps cuſtodiat. Veritas infal-
libilis eſt fidei noſtræ, hominem ſibi ſoli nequaquam ſufficere, ſed

neceſſariam habere gratiam divinam ad quodlibet præceptum Dei
S. Gregor. grave obſervandum. *Sicut enim* (doctrina S. Gregorij eſt) *terra,*
in Pſalm. *quæ imbre non perfunditur, non venuſtatur herbîs, non veſtitur flo-*
142. *ribûs, non abundat meſſe; ſic anima, carens gratiâ, non ornatur vir-*
tutibûs, non cogitat de cœleſtibus, non inſiſtit utilibus. Gratia Dei
S. Auguſt. (ait S. Auguſtinus) facit ex nolentibus volentes, & fortiſſima, ſua-
vi tamen vi, inclinat voluntatem noſtram ad Deum, & tribuit vi-
res efficaciſſimas ad ſervanda mandata. Ex parte Dei deſideratur
opitulatio, & gratiæ influxus: Ex parte hominis neceſſaria eſt
cooperatio, & conſenſus liberi arbitrij, ita, ut neque gratia Dei
ſinè noſtro arbitrio, neque arbitrium noſtrum ſinè gratiæ auxilio
Pſalm 118. ad ſervanda divina præcepta ſufficiens ſit. Unde David: *Juſti-*
ficationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas usquequaque. Id eſt:
Voluntas mea prompta eſt ad cuſtodiendas tuas juſtificationes;
aſt, ô Deus! tu non derelinquas me, non deſis gratiâ tuâ, auxi-
liô tuô comple, quod mihi deficit, da, quod jubes, & jube, quod
vis. Hoc ipſum videtur innuere Sponſa Divini Paranymphi,
ubi priùs rogat, ut trahatur à gratia divina; & deinde promittit
Cant. 1. decurrere viam mandatorum Dei. *Trahe me: Poſt te curremus.*
Joan. 6. Et hoc conformiter ad verba æternæ Veritatis: *Nemo poteſt ve-*
nire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Hinc non er-
rant illi, qui Deum auxiliantem, & hominem cooperantem con-
ſiderant quaſi duos trahentem idem jugum, & portantes idem o-
Matth. 11. nus; mandata quippe divina *jugum ſuave* dicuntur, *& onus leve:*
Eodem fermè modo, quo Sanctus Philippus Benitius, dum divini-
tùs vocabatur ad Statum Religioſum, nempe ad Ordinem Servo-
rum B. Virginis, vidit in extaſi currum quendam gloria, & ſplen-
dore conſpicuum, quem ovis, & leo ſimul trahebant. Leo ferox
eſt arbitrium humanum, quod arrogans, & indomitum, jugum
mandatorum Dei portare renuit, nequaquàm vult ſubjugari, ma-
nibûs, pedibúsque reſiſtit, ſi currui jungitur. Aſt gratia divina
præveniens, & concomitans, veluti ovis mitiſſima, ſe aſſociat,
arrogantiam manſuefacit, effrænam libertatem coërcet, contu-
maciam frangit, & voluntatem excitat, ut ſpontè, & cum delecta-
tione, faciliter, & absque violentia mandata Dei adimpleat; ſi-
Act. 9. cut id exemplô ſuô comprobat Divus Apoſtolus Paulus, qui ve-
luti leo indomitus minas primitùs ſpirabat in diſcipulos Domini,
& legi divinæ recalcitravit: Aſt, ubi divinâ gratiâ fuit præventus,
ejus-

ejusdem auxilio concomitante jugum mandatorum fortiſſimè portavit, ùt ipſe fatetur hìs verbìs: *Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illìs omnibûs laboravi: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* *1. Cor. 15.*

Hunc autem effectum præcipuè operatur gratia divina in Sodalibus Mariani Pſalterij. Roſarium quippe eſt veluti camus, & frænum, quo maxillæ eorum conſtringuntur, qui non approximant ad Deum: Eſt lorum, quo rebellis hominum voluntas revincitur ad portandum jugum mandatorum Dei: Eſt nexus divinæ gratiæ cum arbitrio humano, ùt hoc arrogantiam, & ferocitatem ſuam amittat, & intrepidè Deo excitanti cooperetur. Ita Petrus Matthæi: *Per Roſarij beneficium mutantur homines ex ferinis, & crudelibus, ac barbaris moribus ad civilem, & ſanctum quemdam cultum, atque vitam.* Quod jam dudùm Deus ter Optimus Maximus videtur enuntiâſſe, ubi peccatorem, ne pereat, ſed potiùs ad viam mandatorum reducatur, & ab ea non ampliùs recedat, ſic alloquitur: *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Sed quæ laus eſt iſta, qua veluti frænô ſe uſurum promittit Altiſſimus, ne peccator prolabatur ad interitum? Non erravero, ſi per laudem nihil aliud intellexero, quàm Sanctiſſimum Roſarium. Etenim, ùt teſtatur Henpergius, *in Roſario maximè laudatur, & glorificatur Divina Majeſtas.* In Roſario, ait B. Alanus, *cantamus Domino canticum novum, nimirum in Filij Incarnatione, Paſſione, & Reſurrectione, quæ omnia ſunt repræſentantia Myſteria, in Roſario abſcondita.* Roſarium eſt laus illa Divinæ Majeſtatis, quam Angeli, Beatique in cœlo quotidie decantant, ùt Beata Virgo Maria dilecto ſuo Clienti, Divo noſtro Alano, revelavit hìs verbìs: *Pſaltæ mei in mundo id agunt, quod Beati in cælis ſemper faciunt.* De Roſario igitur locutus eſt Dominus, ubi dixit peccatori: *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Roſarium quippe in virtute Myſteriorum Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, quæ meditanda exhibet, hominem ſtringit, coërcet, & jungit gratiæ divinæ, ut, poſtquàm ſe convertit à via ſua peſſima, in poſterum jugum mandatorum fortiter trahat, & de virtute in virtutem progrediatur. Et benè: Si enim Sententia Venerabili Bloſij eſt: *Quotiescunque aliquid piè meditaris, aut legis de Paſſione Domini, ſanctificaris inde, & ingentem fructum reportas, etiamſi parvo admodùm affectu, & ſinè ullo ſapore ſenſibili mediteris, ac legas. Fieri*

N. 9.

Petr. Matthæi in Summa Conſtit. Pontif.

Iſa. 48.

Henperg. in Epiſt. Dedic.

B. Alan. p. 2. c. 1. de dignit. Pſalt.

Idem de uſu Pſalt. c. 19.

Bloſ. in Sacell. c. 21.

nulla ratione poteſt, ut vel aſpicias tantùm piîs oculîs imaginem Crucifixi ſinè grandi utilitate, cùm ibi ſalutis tuæ ſummam invenias. Quidnî igitur à fortiori per gratiam divinam ſanctificandi erunt, & fructus uberrimos in via mandatorum Dei reportabunt Sodales Roſariani, qui per omnes partes Roſarij Myſteria Vitæ, Paſſionis,
S. Bernard. Serm. 22. in Cant. & Reſurrectionis Chriſti devotè contemplantur? Si Sanctus Bernardus ſecuriſſimè ſibi ſpondere auſus eſt de plenitudine gratiæ divinæ id, quod ſibi ex parte ſua deeſſe noverat, hîs verbîs: *Cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio, quid faciam. Calicem ſalutaris accipiam. Scio, quòd merita mea non ſufficiant. Ego verò uſurpo ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiâ affluunt, & de his licet mihi ſugere mel de petra, oleum de ſaxo, & videre, & guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus.* Quidnî eandem confidentiam ſibi incordient ij, qui toties calicem ſalutaris accipiunt, quoties in Mariano Pſalterio Myſteria Vitæ, & Paſſionis meditantur? toties mel de petra, & oleum de ſaxo colligunt, dona ſcilicet divinæ gratiæ confortantis, quoties in contemplatione My-
Idem Serm. 4. Hebdom. Sac. ſteriorum occupantur? Si iterùm S. Bernardus Myſteria Chriſti, veluti frænum validiſſimum extollit ad coërcendos peccatores, hoc modo: *Quis tam irreligioſus, qui non compungatur? quis tam inſolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam delicioſus, ut non abſtineat? quis tam flagitioſus, ut non contineat? quis tam malitioſus, ut non pœniteat,* nempe ad meditationem Myſteriorum Chriſti? quidnî Roſarium ſit ejusmodi quoque fortiſſimum frænum, in quo continetur jugis ruminatio, & meditatio totius vitæ Salvatoris? quidnì de Mariano Pſalterio intelligantur verba Scripturæ: *Laude mea infrænabo te, ne intereas?*

N. 10. Sicut autem Roſarium in virtute meditationis Myſteriorum Chriſti coërcet peccatorem, ne relabatur, & jungit gratiæ divinæ, ut in ejus cooperatione ſtrenuè portet jugum mandatorum Dei; ita ex alia quoque parte, & formalitate, ſub qua videlicet eſt vocalis oratio, Roſarium ex omnibus orationibus eſt accomodatiſſimum ad gratiam divinam coadjuvantem impetrandam. Aliunde conſtat, orationem eſſe ſummè neceſſariam, ut gratia divina impetretur,
S. Chryſoſt. Tom. 2. Hom. 68. nos continuò juvet, roboret, ac in omni opere bono confortet. *Sicut enim* (verba S. Chryſoſtomi ſunt) *radix eſt neceſſaria, ut vigor, viror, & ſapor, & quidquid eſt aliorum bonorum, ad arborem trans-*

mitta-

mittatur, & ſicut fundamentum eſt neceſſarium ad univerſam fabricam ſuſtentandam; ita etiam oratio eſt neceſſaria ad vigorem ſpiritûs, ad florem virtutum, nec non ad corroborandam perfectionem in anima. *Sicut* (loquitur Sanctus noſter Vincentius Ferrerius) *ſi vis rigare hortum tuum de alieno fonte, oportet ponere canalem, per quem aqua veniat ad hortum: Ita etiam, ſi vultis, quòd aqua gratiarum Dei veniat ad animam de fonte ab alto Spiritûs ſapientiæ, ponatis canalem, ſcilicet orationem devotam: Mediante iſta veniunt ad vos bona temporalia, corporalia, & ſpiritualia.* *Sicut* (pergit noſter Ludovicus Granatenſis) *luna pro vario acceſſu ſolis magìs, vel minùs creſcit, aut omninò deficit, in lumine: Ita anima tantò magìs in virtute proficit, & irradiatur, quantò propiùs Divinitatis Soli per orationem conjungitur.* Unde S. Auguſtinus: *Nondum traheris*, à gratia nempe divina, *ora, ut traharis.* *S. Vincent. Ferrer. Dom. 5. poſt Trin. Ludovicus Granatenſ L. 3. de Orat. c. 13. S. Auguſt. Tract. 26. in Joan.*

Inter alias autem preces ad impetrandam gratiam divinam Roſarium eſſe efficaciſſimum conſtat ex revelatione quadam ab ipſo Deo factam, quam ſic memorat Venerabilis Abbas Bloſius. Cuidam Priori Carthuſiæ Trevirenſis revelatum fuit, quotieſcunque quis Roſarium cum articulis Vitæ, & Paſſionis Chriſti devotè recitaret, toties eum novam gratiam, meritorúmque cumulos apud Deum ſibi conquirere. Unde benè deductionem hanc infert noſter Pepinus: *Ipſa Virgo Maria nequaquam immemor eſt ſuorum ſervulorum. Ideò ipſa impetrat taliter ſibi pſallentibus gratiam, aut illius augmentum, & perfectionem, ut, qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Colligitur hoc ex ipſa S. Scriptura, prænotandô tamen, quòd, ſicut Spiritus Sanctus dicitur diffundere gratiam confortantem in cordibus noſtris, ita & ipſe non raró appelletur Gratia Divina, qua homo mutatur in virum alterum, & roboratur in via mandatorum. Hoc prænotato legimus, quòd, poſtquàm Samuel ex juſſu Dei Saul unxit in Regem ſuper Iſraël, ei quoque promiſerit Spiritum Sanctum, quo mutaretur in alium virum, ſeu gratiam Dei confortantem, qua roboraretur ad regendum populum ſibi ſubjectum. Aſt hoc promiſſum erat reſtrictum ad illud tempus, quo Saul perventurus erat ad collem Dei, poſteáque ſibi obvios habiturus erat Prophetas deſcendentes de excelſo, & ante eos Pſalterium. Verba Scripturæ hæc ſunt: *Poſt hæc venies in collem Dei - - & cùm ingreſſus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos Pſalterium* N. 11. *Bloſ. in Scrin. ſpirit. Pepin. in Proœm. ad Serm. de Roſ. 1. Reg. 10.*

um - - & inſiliet in te ſpiritus Domini - - & mutaberis in virum alterum. Collis Dei, ùt interpretatur Textus Chaldæus, vocabatur in Iſraël quidam locus remotus, & elevatus, in quo filij Prophetarum convenire conſueverant ad decantandas Dei laudes, & in quo erat repoſita Arca teſtamenti ad jugem venerationem. Pſalterium autem, quod ante Prophetas geſtabatur, noſter Beatus Alanus de Rupe teſtatur fuiſſe quoddam inſtrumentum muſicum per modum organi, quod habebat centum quinquaginta fiſtulas apud Hebræos. Et in hoc colle ad præſentiam Prophetarum, & Pſalterij Spiritus Sanctus, & gratia divina venit ſuper Regem Saul, ut protinùs mutatus fuerit in alium virum, & roboratus in ſuo regimine. Per hunc collem Dei in novo teſtamento aptiſſimè intelligitur Archi-Fraternitas Sanctiſſimi Roſarij, quia in ea repoſita eſt non umbratilis Arca teſtamenti, ſed vera Arca Dei, Mater, & Virgo Maria. Ad hunc collem conſcendunt Fratres, & Sorores ad decantandas Dei laudes, quoties in devotione Mariani Pſalterij congregantur, & per altiſſimam Myſteriorum contemplationem enituntur ad ſuperna. Ante eos conſpicitur Pſalterium, non centum, & quinquaginta fiſtulas, ſed centum, & quinquaginta Salutationes Angelicas in ſe continens. Et in hoc colle, in Archi-Fraternitate ſanctiſſimi Roſarij, ad præſentiam Fratrum, & Sororum ſacra Myſteria Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti volventium, Deóque condebitas laudes decantantium, ad conſpectum Mariani Pſalterij inſilit in hominem Spiritus Sanctus, & gratia divina, quæ mutat eum in virum alterum, ex injuſto in juſtum, ex inimico in amicum Dei, ex fragili peccatore in curſorem fortem in via virtutis. Unde ſic finaliter concludit perdoctus Rebellius: *Roſarium inviſibilis eſt præparatio, eò quòd animæ hujus ſanctæ devotionis amantes in via ſpirituali maximè proficiunt, & novâ induuntur gratiâ, aſcendentes à via purgativa ad illuminativam, & ab illuminativa ad affectivam.*

B. Alan. in Apol. c. 1.

Rebell. L. 1. c. 10. a. 2.

Hiſtoria.

TEmpore Beati Alani peccator quidam eò puſillanimitatis, & deſperationis devenerat, ut ad inſtar fratricidæ Caini, & impij proditoris Judæ ſibi firmiter perſuaderet, iniquitatem ſu-

am

am eſſe majorem, quàm ut ullam à Deo conſequi poſſet veniam. Diu, noctúque trepidanti, & timenti vindictâ irati Numinis ante oculos verſabatur, ita, ut, ſicut ipſe ex defectu fiduciæ in divinam miſericordiam, ita & alij ex apertis deſperationis ſignis ſpem nullam ſalutis in hoc peccatore habere poſſent. Beatus Alanus huic miſero multùm compatiebatur, nec quidquam intermittebat, quod idoneum adinvenire potuit, hunc filium perditionis à via erroris avertendi. Aſt omnia irrito conatu! Tandem Vir Dei, confidens in virtute Pſalterij Mariani, per quod divinam miſericordiam noverat vel maximè reconciliari peccatoribus, prædictum peccatorem energicìs verbìs adhortabatur ad cultum Beatæ Virginis, utpotè univerſalis peccatorum Refugij: Proponebat ei Roſarij ſtupendam emphaſim ad impetrandam divinam indulgentiam, narrabátque miracula plurima, quæ Deus in condonandis peccatis hominum jam ſæpiùs operatus erat in virtute Mariani Pſalterij. Et non ſinè fructu! Paulatim deſperabundus mentem erigebat, in Roſario ſuam confidentiam ponebat, & per Roſarium ſibi Deum propitium reddere ſtatuebat. Nec ſpes eum fefellit. Poſtquàm enim per dies aliquot devotionem Roſarij continuavit, ſenſim ſinè ſenſu tenebræ puſillanimitatis, & dubietatis penitùs diſceſſerunt, mentiſque optatiſſima ſerenitas in tantum rediît, ut nulla ampliùs juſtitiæ vindicativæ, ſed ſolius infinitæ divinæ miſericordiæ imago ejus obtutui præſentaretur, identidem clamans cum hodierno Publicano: *Deus propitius eſto mihi peccatori!* Sicut & paulò poſt de plena peccatorum ſuorum remiſſione certificabatur. Hîc autem virtus Roſarij nondum finiebatur, ſed potiùs, ſicut Deus per eam huic peccatori reddebatur propitius, ita & gratia confortans obtinebatur variîs tentationibûs ad relapſum agitato. Movebat omnem lapidem diabolus, inſurgebat caro, mundus omnes ſuas vires adhibebat, ut denuò peccator rediret ad vomitum, & finaliter in deſperationis barathrum præcipitaretur. Aſt fruſtra! In omnibus ſuis tentationibus ad Roſarium recurrebat, indéque ſibi ſemper præſentiſſimam habuit gratiam divinam confortantem, adeò, ut in via mandatorum in poſterum firmiter perſtiterit, ad eámque virtutis perfectionem ſucceſſivè devenerit, ut paſſim pro Sancto haberetur. Carthagena L. de Mirandis B. Virg. §. 112.

SERMO TRIGESIMUS NONUS.

Dominica undecima poſt Penteco-ſten.

THEMA.

Apertæ ſunt aures ejus. Marci. 7.

Roſarium facit, ut & Deus audiat preces noſtras, & reſpondeat voci poſtulantis.

N. I. Pſalm 113. Miſerrimos cæcæ gentilitatis Deos haud immeritò irridet David, hîs verbis: *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt.* Longè melior, & infinitè dignior eſt conditio Dei noſtri, qui creavit cœlum, & ter-
S. Auguſt. ram; ipſe enim, ùt ait Sanctus Auguſtinus, eſt totus oculus, ut
Pſalm. 10. miſerias pauperum reſpiciat, juxta illud: *Oculi ejus in pauperes reſpiciunt.* Totus eſt manus, ut effundat, & dilargiatur numera
Pſalm 144. ſua, juxta illud: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Totus auris eſt, ut exaudiat preces afflictorum,
Pſalm. 33. juxta illud: *Aures ejus in preces eorum;* & quidem adeò velociter, ut vix homo ſubinde incipiat orare, & ſtatim exauditur,
Iſa. 30. atteſtante id Propheta Iſaia: *Ut audiêrit, ſtatim reſpondebit tibi.* Imò,

Imò, quod plus eſt, Deus noſter, humanô modô loquendô, adeò eſt lenis auditu, ut etiam pios animi affectus, deſideria cordis, & gemitus miſerorum internos videatur exaudire, juxta illud: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Juxtáque proprium testimonium Iſaiæ: *Antequàm clament, exaudiam eos.* Hoc tamen non obſtante non raró contingit, quòd miſericordiſſimus Deus quodammodò ſe ſimulet nihil audire de precibus noſtris, & nulla unquam ratione velit reſpondere precibus poſtulantis, in quo caſu multîs opùs eſt, ut tandem vox noſtra penetret ad aures ejus, & commoveat viſcera miſericordiæ ad annuendum; æquè, ac multîs in hodierni Evangelij hiſtoria opùs erat, ut hominis ſurdi aperirentur aures, & mutus inciperet loqui. Plerosque alios infirmos, de quibus fit mentio in Sacro Evangelio, pijſſimus Salvator ſinè omni ambage unicô verbô ſanavit; ut autem hodierno ſurdo uſus aurium reſtitueretur, & vinculum linguæ ſolveretur, res in longum protracta fuit, variæque fuerunt cæremoniæ, & ritus multiplices adhibiti. Inprimìs: Surdum hunc cœleſtis Medicus manu prehendit, eúmque ſeorſum à turba duxit. Secundò: Miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & exſpuens tetigit linguam ejus. Tertiò: Suſpiciens in cœlum ingemuit. Denique dixit: *Epheta, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* Similî modô, ſi quandoque ex arcano conſilio ſapientiæ ſuæ clementiſſimus Deus videtur obturâſſe aures ſuas, & quaſi ſurdus ad preces hominis, inſuper quaſi mutus, ut reſpondeat precibus ſupplicantium, multîs opùs eſt, ut tandem commoveatur ad exaudiendum, & reſpondendum voci noſtræ. Unde ſic loquitur S. Gregorius: *Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Unde dicitur: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Si diſſimulet audire, quem rogas, eſto raptor, ut regnum cælorum obtineas: Eſto violentus, ut vim etiam ipſis inferas cælis. Bona violentia, qua Deus non offenditur, ſed placatur, proximus non læditur, ſed juvatur, peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum citò periturum, ſed regnum acquiritur ſinè fine manſurum,* & preces exaudiuntur ad noſtram ſalutem. S. Gregorio conſentit Divus Ambroſius hîs verbîs: *O beata violentia, quæ vim patientis elicit, & utilitatem tribuit inferenti. Quisquis enim Chriſto violentior*

Pſalm. 9.
Iſa. 65.
S. Gregor. Hom. 1. in Evang.
S. Ambroſ.

 fuerit,

fuerit, religioſior habebitur à Chriſto, & ideò citiùs exaudietur. Hanc violentiam hodie ineſſe probabo precibus Sanctiſſimi Roſarij, dum faciunt, ut & Deus audiat preces noſtras, & correſpondeat voci poſtulantis.

N. 2. Quòd Deus frequenter ſimulet, ſe nihil audire de precibus, & gemitibus hominum, duplex à Sacris Doctoribus ratio aſſignatur. Prima eſt, quia homo perſæpè opponit nubem peccati. *Non* enim *eſt ſpetioſa laus in ore, peccatoris.* Unde Propheta Iſaias: *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: Neque aggravata eſt manus ejus, ut non exaudiat, ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate. Non eſt, qui invocet juſtitiam.* Ratio hujus partim deſumitur ex ipſa natura orationis, quæ cùm nihil aliud ſit, quàm converſatio, & collocutio cum Deo, ideò congruè fieri non poteſt, niſi inter familiares, & amicos, ſupponítque, deletam eſſe offenſam; quod tamen in peccatore non verificatur: Partim ratio colligitur, ùt notat Rupertus Abbas, ex parte offerentium Angelorum, qui preces hominis ad thronum Dei offerunt, à peccatoribus autem retrahuntur, ne id exequantur. Verba cit. Abbatis ſunt hæc: *Cùm igitur invocamus, & Dominus non exaudit, dum clamamus, non dicit: Ecce adſum; ſcire debemus, Sanctis Angelis invocationes, atque clamores noſtros Deo offerentibus reſiſtere, & contradicere malos, habentes in manibus ſuis accuſationes, & jacula, quæ ſunt peccata noſtra.* Alterum argumentum, cur Deus ſubinde videatur inſurdeſcere ad ſupplicationes repetitas hominis, inde eſt, quia vult, ut inſtantiùs fiant petitiones noſtræ, & quaſi cum importunitate, & violentia multiplicentur. *Sicut enim* (ait S. Laurentius Juſtinianus) *certaminis bravium non aſſequitur, qui, antequàm metas attingit, deficit; ſic orationis fructu privatur, quiſquis in illa non extiterit importunus.* Sicut, pergit doctus Rodriquez, faber ferrarius, quando opus juxta votum non ſuccedit, illud in ignem denuò injicit, & reducit; ita ad orationis ignem ſæpiùs redeundum, & bona deſideria recudenda ſunt. *Ideò enim*, teſte S. Iſidoro, *tardiùs exaudiuntur quorumdam orationes, ut, dum differuntur, fortiùs excitatæ majoribûs præmiis cumulentur, ſicut in repreſſione meſſium, in quibus, quantò tardiùs ſata ſemina exeunt, tantò cumulatiùs ad frugem creſcunt.* Vult enim

Eccli. 15. *Iſa. 59.* *Rupert. Abb. L. 9. vict. verbi Dei c. 8.* *S. Laurent. Juſtinian. c. 4. Lign. vit.* *Rodriquez p. 1. Tr. 5. c. 16.* *S. Iſidor. L. 3. Sent. c. 7.*

ST. ALBERT'S COLLEGE

enim Deus, ut petamus, ut quæramus, ut pulſemus, ut cum importunitate inſtemus, eo modo, quo id in parabola Magiſter cœleſtis declaravit, ubi vicinus à vicino panes petens tandem propter improbitatem ſuam voti ſui damnatus eſt. *Luc. 11.*

Hoc modo jam olim per quatuor millia annorum, & ultra Deus ſuas aures quodammodò obturaverat, & totum cœlum duriſſimum erat, ac immiſericors, quaſi ferreum, & æneum ad preces hominum, juxta illud Job: *Facti ſunt cœli quaſi ære fuſi.* Pater miſericordiarum videbatur penitùs oblitus miſerationum ſuarum, penitùs neſciens populum ſuum, penitùs obdormiſcens, & nihil intelligens de multiplicatis precibus, & repetito clamore Patriarcharum, & Prophetarum, millenîs votîs, deſideriîs, & gemitibûs Redemptorem ſuum expetentium. Unde David in perſona univerſorum: *Usquequò, Domine, oblivisceris me? usquequò avertis faciem tuam à me? exurge, quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* Eadem triſti corde, & lugubri voce repetebat Propheta Iſaias: *Attende de cœlo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & gloriæ tuæ: Ubi eſt zelus tuus, ubi fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? Super me continuerunt ſe.* Aſt ſurdo canebatur; ùt in proloquio dicimus. Noluit Omnipotens intelligere preces has, usquedum devotiſſima Virgo Maria lucem hanc aſpexit, qua nata mox cœli, qui priùs erant ænei, facti ſunt melliflui. Deus, qui anteà videbatur occluſiſſe aures ſuas, recordatus fuit miſericordiæ ſuæ, qui gravî ſomnô indormiîſſe credi poterat, evigilavit, & intendit preces ſervorum ſuorum. Ita ipſa glorioſiſſima Dei Genitrix teſtatur hîs verbîs: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Id eſt, exponit Sanctus noſter Antoninus: Dum Dominus cœli, Rex regum, & Dominus dominantium eſſet in requie ſua, & quaſi dormire videretur, non curans de ſalute hominum, aut attendens ad preces, quæ fiebant ad eum, nardus, quæ ſignificat Beatam Virginem humilem, dedit odorem ſuum; qui odor cœlos penetravit, ad thronum Divinæ Majeſtatis diffuſus eſt, & accumbentem in requie ſua, humanô modô loquendô, evigilare fecit, ut mox aures divinæ, priùs occluſæ, fuerint apertæ, audiverintque preces ſupplicantium. Eſto enim, univerſi Patriarchæ, Prophetæ, aliique veteris teſtamenti Patres pro Incarnatione Verbi

N. 3. *Job. 37.* *Pſalm. 12.* *Pſalm. 43.* *Iſa. 63.* *Cant. 1.* *S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 21.*

bi Divini, & Redemptione generis humani ardentiſſimè oraverint; Deus tamen conſtanter quaſi dormiens, & ſurdus apparebat, usquedum odor virtutum Mariæ ad cœlos aſcendit, & Deum, ut clementer exaudiret, feliciter commovit.

N. 4. Idipſum hodiedum contingit frequentiſſimè, paſſim in hac lachrymarum valle audimus clamantes, gementes, & orantes cum
Pſalm. 43. David: *Exurge, quare obdormis, Domine? quare oblivisceris ino-*
Iſa. 63. *piæ, & tribulationis noſtræ?* Et iterùm cum Iſaia: *Attende, & vide de habitaculo ſancto tuo: Ubi eſt multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? Super me continuerunt ſe.* Aſt irritus eſt clamor iſte, non exauditur in cœlo, obturatæ videntur aures divinæ. Multiplicantur preces, aſſumuntur jejunia, inſtituuntur Peregrinationes, affliguntur corpora, protrahuntur vigiliæ, diſtribuuntur eleemoſynæ: Aſt cœli apparent quaſi ære fuſi, & verifi-
Pſalm. 37. catur illud: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Unde
Iſa. 58. multi conqueruntur, ſicut olim Judæi apud Iſaiam: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Mundus eſt mare amarum, inſurgunt venti tribulationum, ſpumant procellæ perſecutionum, conquatitur navicula mentis hu-
Matth. 8. manæ; ſicut olim obtigit Apoſtolis, prout legimus: *Motus magnus factus eſt in mari, ita, ut navicula pænè operiretur fluctibûs. Aſt ipſe dormiebat.* Magiſter cœleſtis quaſi alto ſopore obrutus ſimulabat, nihil ſe audire de timore, de clamore, & ſolicitudine Apoſtolorum, qui jam ſe periiſſe, & fluctibûs oppreſſos credebant. Aſt, ubi nardus, ſeu potiùs Roſa Mariani Pſalterij incipit diffundere odorem, mox evigilat Divinus Magiſter, mari imperat, & ventis, ut fiat tranquillitas magna, mox diſrumpuntur cœli, & preces ſupplicantium deferuntur ad divinam miſericordiam, mox aures clementiſſimi Numinis aperiuntur, & fiunt attentæ in gemitus pauperum, puta, ubi Auguſtiſſima Roſarij Regina, veluti ſpecioſiſſima Roſa per odorem ſuum incipit intercedere pro nobis, vix ampliùs erit retardatio exauditionis, nulla in annuendo mora, nulla in petitionibus repulſa. Ita hoc teſtatur Mariani cultûs
Carthag. laudatiſſimus Zelator Carthagena: *Altiſſimus non ſuſtinet quid-*
Hom. 3. *quam denegare ijs, quorum in verbis Salutationem Angelicam de cælo elapſam recognoſcit.* Et iterùm: *Marianum Roſarium mirabili vi impetrativa gaudet ad obtinendum à Chriſto, quidquid petierimus nomine Matris ejus.* Quæ ſua verba confirmat teſtimoniô

æter-

æternæ Veritatis, memorans, Chriſtum Dominum apparuiſſe olim Beato Alano, illique infallibile dediſſe promiſſum, *quòd omnes perorantes Pſalterium in brevi in ſe divinam ſentirent benedictionem.*

Nec deeſt ulteriùs hujus teſtimonij fundamentum ex Sacra Pagina eruendum, ubi per os David ſic loquitur Spiritus Sanctus: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum.* Hunc modum loquendi admiratur noſter Paulacius, & quærit; cur priùs Spiritus Sanctus mentionem adducat de coronatione, & non niſi poſt præmiſſam coronationem inferat repletionem omnis boni, deſideriorúmque optatum augmentum? quæ inter coronationem, & dona bonorum connexio? quæ ex accepta corona ſequela, ut ſperetur deſideratus votorum effectus, deſideriique finis? Optima eſt illatio, reſpondet prælaudatus Scriptor. Corona ſignificat Pſalterium Marianum, quod communiter eſt corona, ſeu Roſarium, id eſt, ſertum ex tot Roſis, quot Salutationibus Angelicis contextum, quod Roſarium adeò cœleſtibûs muneribûs abundat, adeò ſpiritualibûs benedictionibûs eſt facundum, ut eo accepto homo, huic eximiæ militans devotioni, nedum quoad corpus, ſed quoad animam, & in via temporalibûs, & in patria ſpiritualibûs cumuletur benedictionibûs; & quidem conformiter ad individuale deſiderium, ſicut Sacer Textus ait: *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Ex alio verbi divini fonte ſimilem virtutem vendicat ſacratiſſimo Roſario noſter Romanius, qui Deum, petita hominum differentem, & quodammodò, ut nobis apparet, preces ſupplicantium non audientem, & neſcientem conſiderat comparativè ad æſtimationem petentis, qui eſt modicæ fidei, quaſi petram, & ſilicem, durum & immiſericordem in preces pauperum. Sed ne diffidas, pergit Romanius, ne diſcedas ab hac petra. Moyſes cùm elevâſſet manum, percutiens bis virgâ ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita, ut populus biberet, & jumenta. Eodem modo Sanctus Dominicus virgâ Roſarij bis Oratione Dominicali, & Salutatione Angelica petram, id eſt, Chriſtum percuſſit, & emanabant gratiarum largiſſimæ aquæ, ita, ut biberet populus juſtorum, & jumenta peccatorum. Eodem modo, ſi & tu in devotione Roſarij perſeveraveris, etſi tibi Deus veluti petra diu viſus fuerit, vel quodammodò ſurdum ad omnes petitiones tuas ſe ſimulaverit, ex hac petra fontem quarumcun-

que

N. 5. *Pſalm 102.* *Paulac.* *Romanius.* *Num. 20.*

que gratiarum elicies, Deum ad omnia vota tua optatiſſimè inclinabis, eúmque miſericorditer exaudientem invenies.

N. 6. Ratio hujus eſt, quia precibus Roſarianorum Beatiſſima Virgo Maria ſuam interceſſionem adjungit, quorum ambo in unum

Gen. 21. juncta mox Deum exaudientem reddunt. Figuram hujus legimus, ubi Agar Ancilla, cum filio ſuo Iſmaël ex domo Abrahæ ejecta, diu penitùs derelicta errabat in ſolitudine, & tandem, quia Iſmaël ex defectu aquæ jam erat morti proximus, illum dereliquit ſub una arborum, ne videret prolem ſuam morientem. Iſmaël

Lyran. tunc juxta computationem Lyrani jam erat juvenis viginti annorum. Ubi ergo vidit ſe in hac extrema neceſſitate poſitum, ab omnibus ſe deſertum, cum morte luctantem, levavit oculos ſuos ad cœlum, deprecatus fuit Dominum, & auxilium divinum invocare non ceſſavit, & quidem adeò feliciter, ut mox Sacer Textus ſubjungat: *Exaudivit autem Deus vocem pueri.* Res mira! Iſmaël erat puer, ùt colligunt Sacri Expoſitores, peſſimorum morum, & malitioſæ vitæ, nec ei ſufficiebat malitia ſua, ſed eam quoque fratri ſuo Iſaac, juveni innocentiſſimo, implantare ſatagebat, eum ad res indigniſſimas, imò ad ipſam idololatriam exſtimulans. Advertit hoc Sara, & ideò, ne exemplô perversô, & impiô Iſmaëlis ſeduceretur Iſaac filius unigenitus Saræ, non deſtitit hæc ſolicita mater tamdiù inſtare apud Abraham, donec tandem & Agar, & filium ejus Iſmaël ex domo ſua expulit. Et tamen ait Sacer Textus: *Exaudivit autem Deus vocem pueri.* Et quæ hujus exauditionis cauſa? Hæc, reſpondet Lyranus. Iſmaël in periculo mortis conſtitutus elicuit contritionem, pœnituit eum factorum præteritorum, & ſic, quia Deus cor contritum, & humili-

S. Hieron. atum non deſpicit, exaudiri meruit. Lyrano non omnimodè conſentit S. Hieronymus; eſto enim, ait Sanctus iſte, pœnitentia Iſmaëlis aliqua fuerit cauſa, ut miſericorditer fuerit exauditus à Deo, cauſa tamen adæquata nunquam extitiſſet, niſi eidem, ſicut & ardentiſſimis precibus Iſmaëlis, acceſſiſſet ſupplicatio matris Agar, quæ, ùt annotat S. Textus, à longe ſedit, *& levavit vocem ſuam, & flevit.* Matris autem, & filij preces ſimul junctæ illicò penetrârunt cœlos, & inclinârunt aures divinas ad miſerendum. An non igitur idem dicendum erit de Roſarianis, quorum precibus ſemper ſuam jungit interceſſionem glorioſiſſima Roſarij Regina, ùt millies ipſa jam promiſit?

Verùm

Verùm enimverò, dum Deus miſericorditer audit preces ſupplicantium Roſarianorum, non eſt mora, quin & benignè reſpondeat, & annuat votis eorum, ſicut, ubi hodierno ſurdo apertæ fuerunt aures, mox quoque fuit ſolutum vinculum linguæ ejus. Ad hoc declarandum Fabula quædam Poëtarum erit aptiſſima. Fingunt Poëtæ, quòd Echo, reſonans ex montibus præruptis, olim fuerit Nympha quæpiam oris venuſtate, & morum ſuavitate commendatiſſima, quæ, cùm ingenti amore capta eſſet in Narciſſum juvenem pulcherrimum, iſte verò, utcunque adamatus, & provocatus à Nympha, noluit eam audire, aut ullum verbum reſpondere votis, & operibus ſe amantis. Nympha tandem, dolore, & amaritudine plena, veluti lapis rigeſcere cœpit, imò penitùs in durum ſaxum mutata fuit, & ultimatim in tenuiſſimam vocem, quæ à nobis Echo dicitur, evanuit. Unde communiter experientia docet, & proloquium populi circumfertur, quòd Echo in montibus, & rupibus habitet, & ibi ſub forma perennis, tenuiſſimi tamen, ſoni detineatur, qui ſonus facilì negotiò à viatoribus ad reſpondendum excitatur, & humana voce provocatus reſpondere non tardat. N. 7. *Fabula.*

Nymphæ huic & plenitudine formæ, & morum amœnitate amabiliſſimæ haud ineptè comparari poteſt Humanitas Chriſti, utpotè & ipſa tum elegentiâ pulchritudinis, & morum ſuavitate præſtantiſſima. Chriſtus enim quà homo dicitur *Speciosus formâ præ filius hominum, viſu gratioſiſſimus*, ait Chryſoſtomus, *absque paſſionibus corporis univerſis pulchrior*, loquitur S. Hieronymus, utpotè non ex ſanguinibus, ſed ex Deo natus, in quem, quidquid decorum, quidquid formoſum, quidquid pulchrum eſt, abundanter fuit collatum. Non minùs Humanitas Chriſti morum amabilitate præeminens; erat quippe Chriſtus quà homo in omnibus perhoneſtus, & gravis, pauca admodùm, eáque neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem ſuum, & venerationem omnibus exhibens, faſtûs omnis expers, ſimplex, miniméque vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens: Unde ab omnibus amabatur ante prædicationem ſuam, & certatim omnes ejus amicitiam, converſationem, & præſentiam ambiebant. Hæc Nympha ſupra modum adamaverat non Narciſſum quemdam, ſed hominem peccatorem, ut ad eum redimendum, ſibique deſponſandum abjectiſſima quæ- N. 8. *Applicatio* *Pſalm. 44.* *S. Chryſoſt. Hom. 18. in Matth.* *S. Hieron. Ep. 160.*

que perpeti, omniáque ſua dare non dedignata fuerit, in hoc non cedens amori apud omnes poſthumos laudatiſſimo, quem Tygranes Armeniæ Rex in Sponſam ſuam manifeſtare non dubitavit. Cùm enim in prælio Tygranes unà cum Sponſa captus fuiſſet à Cyro Rege Perſarum, & paulò poſt ab eodem interrogatus fuiſſet, quid dare paratus eſſet, ſi Sponſam ſuam in libertatem aſſerere poſſet? reſpondit Tygranes. O Rex Cyre! ſi in meis viribus eſſet, non gravarer totum meum regnum pro libertate dilectiſſimæ Sponſæ meæ exponere: Quia autem regnum meum modò perditum fuit, en! offero tibi & ſanguinem meum, & vitam meam, dummodò amantiſſima Sponſa mea in libertatem reſtituatur. Hodiedum Chriſtus Redemptor adamat, provocat, & invitat hominem peccatorem ad ſui amorem. Non elabitur dies, non præterit hora, non currit momentum, quo non pulſat ad cor, impertiendô tempus vivendi, blandiendô, promittendô, largiendô, verbô prædicationis vocandô, incitandô, reclamandô, interiùs inſpirandô, excitandô, attrahendô, exteriùs corripiendô, flagellandô, infortunia, & morbos immittendô. Aſt perfidus, & malitioſus, & ſuperbus Narciſſus, homo peccator, nihil vult audire, recuſat hunc amorem, non reſpondet quidpiam amanti ſe, ſed potiùs ſopitus jacet in alto vitiorum ſomno, aures ejus plenæ ſunt mundanìs affectibûs, ad inſtar ſerpentis obturantis aures ſuas, & aſpidis ſurdæ reſpicit invitationem, & amorem Nymphæ, ſuum amorem ardentiſſimè depoſcentis.

N. 9. Hinc jure merito evenit, ut finaliter hæc amantiſſima Nympha quaſi lapis induretur,& veluti rupes immobilis ingratum pec-

Proverb.1. catorem rejiciat, juxta illud: *Vocavi, & renuiſtis: Extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo,& ſubſannabo, cùm vobis id,quod timebatur,advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: Quando venerit ſuper vos tribulatio,& anguſtia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam: Manè conſurgent, & non inve-*

Sanazar. *nient me.* Ut proinde Carmen illud, quod perdoctus Sanazar Nymphæ, Echo dictæ, tribuit, Salvatori noſtro accomodè applicari valeat:

Vidi, arſi, flevi, triſtémque (heu fata) repulſam
Spreta tuli. Sum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Vidit,

Vidit, & aſpexit peccatorem mitiſſimus Salvator oculis miſericordiæ ſuæ, arſit in finem, & quidem usque ad mortem Crucis diligendô ſuos flevit, quia inter lachrymas, & cum ejulatu magno in Cruce emiſit Spiritum. Tandem autem, quia ab ingrato homine jugiter repellitur, contemnitur, & ſubſannatur, inſtar petræ rigeſcit, amorem vertit in odium, & petita munera ſuperbis ſuis contemptoribus perpetuò denegat, non tamen ita, quin ultimatim animadverti poſſit mutari in vocem tenuiſſimam, quæ, quaſi amabiliſſima Echo, vocibûs viatorum faciliter excitari valet, & clamantibus dulciter reſpondet, quoties viâ debitâ provocatur, & inclamatur.

Sicut enim ait Apoſtolus: *Petra autem erat Chriſtus.* Ita N. 10.
in foraminibus hujus petræ, id eſt, in Myſterijs Vitæ, Paſſionis, & *1. Cor. 10.*
Reſurrectionis benigniſſimi Redemptoris miſericordia inſtar amœniſſimæ Echo inhabitat, quæ, etſi longo ſubinde tempore ſileat, & quodammodò indormiiſſe videatur, levi tamen clamore excitari poteſt, & excitata vocanti jucundè reſpondet. Vix enim acceditur ad Chriſtum per piam meditationem Vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis ejus, petra hæc molleſcit, Dominus, qui antecedenter ad omnia poſtulata quaſi dormire videbatur, expergiſcitur à ſomno, gratioſè reſpondet ſe invocantibus, & petita benevolè concedit. Per rimas enim Myſteriorum Humanitatis Chriſti, ait S. Bernardus, *licet ſugere mel de petra, & oleum de ſaxo, nec non videre, & guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus.* Qui diligenter, & piè in Humanitatis Dominicæ myſterijs contemplandis verſatur, ait noſter Ludovicus Granatenſis, *illum Divinitatis dextra molli ſinu fovet, & amplectitur, & cœleſtibus deliciis paſcit. Quilibet poterit reſpirare in ſpem veniæ* (Chriſtus ajebat ad S. Gertrudem) *offerendô Patri meam innocentiſſimam vitam, & mortem. Credat peccator, ſe per hoc obtinere ſaluberrimum fructum indulgentiæ, & gratiarum omnium abundantiam.*

S. Bernard. Serm. 22. in Cant. Ludovic. Granat. Bloſ. in Conclav. c. 1.

Ne dubitetis ergo, Sodales Mariani! quin ad petitiones ve- N. 11.
ſtras (ſi ita ſaluti veſtræ congruat) benevolum ſemper reſponſum accepturi ſitis à miſericordiſſimo Salvatore veſtro. Vos enim toties ad Chriſtum, tanquam ad petram acceditis, quoties Roſarium ad manus ſumitis: Vos toties in foraminibus petræ, id eſt, in Myſterijs Vitæ, Paſſionis, & Mortis Chriſti humanitatis ſupernam divinæ miſericordiæ Echo inquiritis, quoties contemplationi prædi-

ctorum Myſteriorum in Mariano Pſalterio vacatis: Vos ſonum increatæ bonitatis provocatis, quoties preces ſanctiſſimi Roſarij intonatis. Quidnî igitur cœleſtis Echo dulciſſimum reſponſum exſpectatis? quidnî, quod petitis, feliciter vos obtenturos creditis? Unde eruditus Arias: *Nihil opportunius, ac efficacius ad obtinenda à divina liberalitate, quæ deſiderantur, bona Roſariô reperitur.* Ariæ conſentit noſter Michovienſis hîs verbîs: *Redite ad Chriſtum, & Matrem ejus per Pſalterium, quia eorum voluntas eſt, ut ab omnibus dicatur contra omne malum, & pro omni bono acquirendo.* Quod prævié jam confirmavit B. Alanus: *Pro bonis acquirendis orate Pſalterium Beatæ Virginis.*

Arias in Roſ. Virg. pag. 151. *Michovienſ de Frat. Pſalt.* *B. Alan. de Pſalt. Virg c. 51.*

N. 12. Benevolum autem hoc reſponſum vobis potiſſimùm continget per interceſſionem glorioſiſſimæ Roſarij Reginæ, quæ ſicut pro Roſarianis orare non deſinit, ita ad preces ſuas annuentem Filium omni tempore invenit; ùt figuram hujus in S. Scriptura legimus. Acceptiſſimus tunc temporis erat Regi David Bercellai vir ſenex, octogenariô major, eò quòd Regi, dum morabatur in caſtris, præbuerat alimenta. Unde, accepti beneficij haud immemor David, obtulit Bercellai omnem gratiam ſuam regiam, dicens: *Veni mecum, ut quieſcas ſecurus mecum in Jeruſalem.* Gratias pro hoc favore ſibi oblato habuit Bercellai; quia tamen ob ſenium ſuum jam erat morti proximus, potiùs regiam hanc gratiam in filium ſuum translatam optâſſet, ea, qua par eſt, veneratione reſpondens Regi: *Eſt ſervus tuus Chamaan, ipſe vadat tecum, Domine mi Rex, & fac ei, quidquid tibi bonum videtur.* Hic modus reſpondendi ex duplici titulo videri poſſet præſumptuoſus. Inprimìs, quòd Bercellai abnegatâ gratiâ regiâ tam audacter recuſârit cum Rege habitare in Jeruſalem. Deinde verò, quòd eos honores petere auſus fuerit filio ſuo juveni, quos ipſe, ùt ſenex meritiſſimus, ſibi fieri haud optare potuiſſet. Planè Reges aliàs apprehenſivi ſunt, & vel leviſſimè offenſi oblatas gratias, ſi ſpernantur, in odia, & averſionem vertunt. Nihilominùs David, petitum Bercellai æqui, bonique conſulens, Venerando Seni gratioſè annuit, dicens: *Tranſeat mecum Chamaan, ego faciam ei, quidquid tibi placuerit, & omne, quod à me petiêris, impetrabis.* Magna profectò gratia Regis in Berzellai; & hoc unicè ex eo, quia, dum morabatur in caſtris, ùt Scriptura refert, ab eo receperat alimenta. Berzellai in quibusdam comparari poteſt Beatiſſima Virgo Maria, Auguſtiſſima

2. Reg. 19.

ſima Sacri Roſarij Regina, quæ non contenta copioſiſſimîs illîs gratiîs, & favoribûs, quibûs ipſa & in terris degens, & in cœlis gloriosè triumphans, affatim cumulata gaudet, ſed audet & pro filijs ſuis, & Clientibus, id eſt, pro Fratribus, & Sororibus ſanctiſſimi Roſarij mentionem ingerere, iisque gratioſum reſponſum à Filio ſuo obtinere, dicens: *Eſt ſervus tuus Chamaan*, filius meus, id eſt, ſunt Fratres Roſarij, filij mei dilectiſſimi, *ipſi vadant tecum, Domine mi Rex*, & fac eis gratiam, & miſericordiam. Et quid ad hoc petitum aliud Matri ſuæ chariſſimæ reſpondebit Filius, quàm quod David reſpondit Berzellai, pro felicitate filij ſui Chamaan deprecanti: *Tranſeat mecum Chamaan, ego faciam ei, quidquid tibi placuerit, & omne, quod à me petiêris, impetrabis.* Si enim Berzellai alimenta ſubminiſtravit Regi David, dum morabatur in caſtris; & tu, dilectiſſima Genitrix! mihi alimenta ſubminiſtrâſti commoranti in carne, tu me peperiſti, tu me infantulum materno lacte potâſti, tu me eſurientem paviſti, tu me puerum educâſti, tu omni tempore neceſſaria vitæ mihi ſuppeditâſti. Tranſeat mecum Chamaan, tranſeant mecum filij tui, & Clientes tui Roſariani, ego faciam eis, quidquid tibi placuerit, & omne, quod petiêris, impetrabis: Tranſeant mecum puſillanimes, gementes, & lachrymantes, ego eos intuitu tui omnî bonô repleam: Tranſeat laſcivus carnalibus immerſus ſceleribus, homicida, cujus manus ſanguine plenæ ſunt, iracundus iram, & vindictam ſpirans, peccator omnium vitiorum reus, ego ei parcam, &, quidquid tu pro eis petiêris, impetrabis.

Gaudete ergo, & exultate, ô Roſariani! quia veſtris precibus aures divinæ ſemper benevolè pateſcunt, vobis ad omnia N. 13.
petita reſpondere, & annuere paratus eſt Unigenitus Filius. Vobis idipſum hodiedum acclamat glorioſa Roſarij Regina, quod olim Sancto noſtro Hyacintho, devotione Sacratiſſimi Roſarij addictiſſimo apparens dixit: *Gaude, fili Hyacinthe! quia orationes tuæ gratæ ſunt Filio meo, &, quidquid per me petiêris, impetrabis.*

Hiſtoria.

ANnô 1510. cùm in urbe Oriquelæ in Regno Valentiæ peccata peccatîs cumularentur, & vix non omnis caro corrupiſſet viam ſuam, virga tandem correptionis, & indignationis hor-

rendè in impios deſævire cœpit. Omnia elementa videbantur in peccatores inſurgere, & vindicare honorem Dei ſui, qui paſſim à populo illo ſcelerato pedibûs conculcabatur, præſertim autem aëris maligna infectio erat mortalis & hominibus, & jumentis, ut in dies miſerrima emergeret rerum facies. Pro avertendis his divinæ iræ flagellis omnis populus clamabat ad Dominum, concurrebatur turmatim ad Eccleſias, protrahebantur preces, multiplicabantur devotiones, inſtituebantur Proceſſiones, diu, noctúque invocabatur divina miſericordia. Aſt miſericordiſſimus aliàs Deus videbatur aures habere, & nihil audire. Surdum erat cœlum, & non inveniebatur ulla gratia plorantibus, ejulantibus, ægerrimè ingemiſcentibus. Tandem Mater divinæ miſericordiæ apparere dignata fuit viro cuidam devoto, Andreæ Solero, qui erat ex primis illius civitatis civibus, eíque revelavit, mala hæc non fore diminuenda, usquedum inſtitueretur in civitate Archi-Fraternitas Sanctiſſimi Roſarij, & per Marianum Pſalterium flecteretur Deus ad miſericordiam. Viſio hæc deferebatur ad R. Patrem noſtrum Caſparum Stephani, qui in Regno Valentiæ propter zelum propagandæ devotionis Sanctiſſimi Roſarij ubique erat perquàm celebris. Unde mox in præfatam urbem Oriquelam ſe recepit, & magno animi fervore, totíſque viribûs illi populo prædicare cœpit Marianum Pſalterium, ejúſque invictam virtutem omnia impetrandi à Deo, quod ſalubriter ab homine peti poteſt. Fervor iſte prædicationis non tam citò commovit incolas ad cultum, & devotionem ſanctiſſimi Roſarij, quin cœlum, quod priùs ſaxo, & rupe durius apparebat, fuerit benignè emollitum,& preces populi ſupplicantis optatiſſime à Divino Numine fuerint exauditæ. Mox flagella divinæ iræ ceſſàrunt, & aër purificatus recreavit totam viciniam. Beneficium hoc, per Roſarium à Deo acceptum, ab Epiſcopo,& civibus illius loci adeò æſtimabatur, ut mox Patribus noſtris in civitate locum aſſignârint, & honorificum Monaſterium ædificârint, ut ſic & melius in exercitijs pijs Mariani Pſalterij inſtituerentur, & ſemper in promptu retinerent id, quo ſurdum cœlum in vota ſua inclinarent, & petita ſua feliciter obtinerent.

P. Nicolaus Janſenius L. de Benefic. B. Virginis in Ord. Præd. cap. 13.

SER-

SERMO QUADRAGESIMUS.

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Alligavit vulnera ejus, infundens vinum, & oleum. Luc. 10.

Chriſtus verus Samaritanus in Roſario alligat vulnera noſtra, infundítque vinum, & oleum.

INfortunatum viatorem adducit hodierna Sancti Evangelij Hiſtoria, qui, dum deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, itérque ſuum per deſertum, inter dictas duas civitates interjectum, perageret, inſperatò à latronibus fuit arreptus, veſtimentîs ſuîs ſpoliatus, miſerè vulneratus, & ſemivivus in ſanguine ſuo derelictus. Per viatorem hunc S. Auguſtinus, & fermè communiter Sancti Patres intelligunt protoparentem noſtrum Adam, qui, ſuas ſequi volens voluptates, à cœleſti paradiſo, veluti à Jeruſalem deſcendit in Jericho hujus mundi, & incidit in latrones, id eſt, in ſpiritus infernales, qui jam dudùm eidem, latitantes in deſerto terræ hujus, inſidias ſtruxerant. Infelix hæc hora fuit; vix enim manum ſuam ad fructum vetitum extenderat, mox eum tarta- N. 1. *S. Auguſt.*

tartarei prædones violenter adorti ſunt, & omni crudelitate in illum deſævire cœperunt. Inprimìs eum ſpoliârunt veſtibûs ſuìs, id eſt, omnibûs donîs gratuitìs, & ſupernaturalibûs, quibûs, veluti pretioſìs veſtibûs, à Deo ornatus fuit Adam, ait Salmeron, nempe gratiâ adoptionis, ſapientiâ infuſâ, juſtitiâ originalì, donô immortalitatis, tunicâ fidei, faſciâ ſpei, togâ charitatis, cingulô caſtitatis, inauribûs obedientiæ, palliô patientiæ, & armillìs bonorum operum univerſorum. Secundò: Stygij prædones miſerè vulnerârunt protoparentem noſtrum Adam, peccatô commiſſò, quoad omnes potentias, quoad omnes ſenſus, quoad corpus, & animam. Voluntas ſauciata fuit per pronitatem ad malum, & perverſas inclinationes ad bona terrena, intellectus per ignorantiam, & cæcitatem, memoria per oblivionem, appetitus iraſcibilis per infirmitatem, appetitus concupiſcibilis per inordinationem, & rebellionem motuum concupiſcentiæ, ſupercilium mentis per ſuperbiam, frons per inverecundiam, oculi per invidiam, aures per curioſitatem, lingua per diſſolutionem, venter per gulam, renes per libidinem, pedes per pigritiem, manus per avaritiam, ita, ut à planta pedis usque ad verticem non fuerit in Adam, niſi vulnus, & livor, & plaga tumens. Quod in Adam contigit, contingit etiam in filijs toties, quoties homo peccandô mortaliter deſcendit quodammodò à Jeruſalem, id eſt, à Deo, à pace, à virtute, à quiete, à templo Sacramentorum, ad bona mutabilia, & inſtabilia hujus mundi, qui per Jericho deſignatur. Tunc enim homo incidit in latrones, id eſt, in poteſtatem Principum tenebrarum harum, qui quaſi latrunculi quidam iter noſtrum obſident: Tunc ſpoliatur veſtimentìs ſuîs, id eſt, ornamentîs virtutum, & tegumentô bonorum operum: Tunc miſerè vulneratur in intellectu, & voluntate, nec non in omnibus potentijs ſuis: Tunc ultimatim ſemivivus derelinquitur, id eſt, vivens quidem corpore, mortuus autem in anima. Unicum diſcrimen inter hodiernum ſauciatum, & inter peccatorem vulneratum hoc eſt, quòd penès illum tranſierint Sacerdos, & Levita, quin tamen compaſſione, aut miſericordia moti ſint, aut de afferendo aliquo remedio, vel præbendo quodam auxilio cogitârint: Nunc autem peccator, utut vulneratus, penès Sacerdotes, & Confeſſarios obſtinaciter tranſit, quin ab illis aut ſublevamen petat, aut curationem vulnerum admittere velit. Moderni

Salmeron. T. 7. Tr. 16.

ni Sacerdotes, & Confeſſarij ſemper parati ſunt excipere miſeros, gerunt compaſſionis viſcera, avent vulneribus ſalutaria applicare pharmaca. Aſt multi peccatores omne auxilium protervè reſpuunt. Quo tamen non obſtante contingit nonnunquam, ut Divinus Samaritanus veniat ſecùs talem peccatorem, & videns eum, miſericordiâ motus, alliget vulnera ejus in Roſario, & infundat vinum & oleum, ut reviviſcat. De quo hodie

Samaritanum præfiguráſſe pijſſimum Salvatorem noſtrum, paſſim unanimi ore teſtantur Sancti Patres. Samaritanus enim Jeruſalem egrediens,& Jericho deſcendens nónne Chriſtus JEſus, qui Jeruſalem (quæ interpretatur pacis Viſio) id eſt, cœleſtem gloriam in ſinu Patris reliquit, & venit in mundum hunc ſubjectum mutationi, & inſtabilitati, ipſáque lunâ magìs variabilem (quod Jericho indigitat) nónne Chriſtus JEſus iter faciens venit ſecùs peccatorem, qui incidit inter latrones, qui ſpoliatus, vulneratus, & ſemivivus derelictus non habebat, qui ei auxiliaretur, usquedum Samaritanus miſericordiâ motus, & appropians alligavit vulnera ejus, curámque ipſius egit usque ad plenam reconvaleſcentiam? Unde Oſorius: *Samaritanus propriè Chriſtus dicitur, qui curavit genus humanum, quod incidit in latrones. Ideò non negavit ſe Samaritanum, quando Judæi illud ei convitium objecerant.* N. 2. *Oſor. Hom. 34. in Luc. Joan. 8.*

Homine enim per peccatum originale vulnerato, idipſum accidit, quod in fabuloſis Poëtarum Hiſtorijs cæca Gentilitas adnotavit. In Inſula Creta malitioſus olim morbus adeò graſſabatur, ut brevî temporis ſpatiô centum copioſiſſimæ urbes penitùs fuerint indigenîs evacuatæ, & pænè univerſus populus morte inſperata, & flebili abreptus, quia malum hoc omnibus medicis erat prorſùs incognitum, nec ullum excogitabile remedium, quod vim morborum repelleret. Non ergo ſupererat, niſi ut afflicti incolæ, ubi humana auxilia deficiebant, ad altiora confugerent, Deorúmque ſuorum ſupremum, nempe Jovem, tamdiu in ſubſidium invocarent, usquedum paternâ, ùt putabant, miſericordiâ motus eis de cœleſti remedio provideret. Nec in vanum! Mox enim Jupiter, videns afflictionem populi Cretenſis, Apollinem in terras ablegat, ut miſeræ Cretenſium ſorti congruam medicinam præpararet, infirmatis applicaret, & afflictos conſolaretur. Iſtud quidem inane eſt erroneæ vetuſtatis deliramentum; nihilominùs N. 3. *Fabula.* *Applicatio.*

peraccomodum, ut inde chriſtiana doctrina, & morale noſtræ fidei dogma eleganter declaretur. Noſter Protoparens, propter prævaricationem divini præcepti paradiſô expulſus, miſſúsque in exilium hujus mundi, incidit in hoc itinere in latrones, à quibus penitùs ſpoliatus, & varimodè ſauciatus jacebat penès viam, ab omnibus derelictus, nec habens, à quo ſuppetias aut peteret, aut ſperaret. Tranſiît penès eum Sacerdos, id eſt, lex naturæ; aſt viſo illo præteriît, & vulnerato nullum præbebatur auxilium. Tranſiît Levita, id eſt, lex ſcripta; aſt & iſta abiît, quin pauperi, & ſauciato ullum adferretur remedium. Opùs ergo erat, ut, ubi inferiùs ſperari non poterat pharmacum, cœleſtis miſericordia, & ſupernaturale medicamentum imploraretur, & exſpectaretur. Reſpexit Deus Pater, Deus miſericordiæ, & totius conſolationis ad preces, & ſuſpiria, ad ſingultus, & gemitus hominis vulnerati, ablegat Filium ſuum Unigenitum in forma compatien-
S. Auguſt. tis Samaritani, tanquam magnum Medicum, ait S. Auguſtinus, quia in terra jacebat magnus ægrotus, qui videns jacentem hominem, miſericordiâ motus, acceſſit, & alligavit vulnera ejus. Aſt qua alligatura?

N. 4. Æquè enim de alligatura cœleſtis Samaritani, ac de alligatura illius, de quo Sacer hodie Evangelij Textus meminit, quæſtio moveri poteſt. Super hodiernum mirantur pij contemplativi, quomodò vulneratum in via inopinatè reperiens tam promptè, ac celeriter vulnera alligare potuerit ſauciato. Erat hic Samaritanus in via conſtitutus, ſolus, & absque onere recularum, quas ſecum portabat. Ex improviſo ad ſauciatum devenit, nec quidpiam tale antecedenter aut cogitans, aut prævidens, indéque ſibi de ijs, quæ ad alligaturam neceſſaria ſunt, minimè proſpiciens. Locus erat deſertus, & vaſta ſolitudo, ubi nihil de panniculis, aut ligamine aliquo haberi poterat. Et tamen ait Sacer Textus: *Et appropians alligavit vulnera ejus.* Unde ergo accepit panniculos, quibûs vulnera lavit, & deterſit? unde linteola, quæ locis ſauciatis ſuperpoſuit? unde faſciam, aut ligamina ad alligaturam? Sanè non aliunde, niſi à ſe ipſo, opinio eſt Aſcetarum. Tantus enim erat in Samaritano compaſſionis affectus, tantus in proximum amor, ut propria ſua indumenta ex linteo confecta exuere non dubitârit, illorum quædam illicò diſruperit, in partes diminutas diviſerit, ſicque pro congrua alligatura applicârit.

câſit. Verè ingens charitas proximi, quæ & corde indigenti compatiebatur, & in opere ſibi propria, & neceſſaria ſubtraxit, ut pauperi vulnerato ſuccurreret. Sed, ô quàm eminentior eſt charitas Divini Samaritani! Deſcendit hic de cœlo, venit in hunc mundum, & invenit deformatum, infirmatum, turpiſſimè ſauciatum hominem. Cùm verò, compaſſione ductus, alligare vulnera, ſuccurrere miſero, erigere ſauciatum ardentiſſimè cuperet, & nihil pro alligatura ad manum erat, proprium corpus dedit, carnem ſuam obtulit, cutem ſuam in mille partes ſcindi voluit, ut vulnus hominis lavaretur, cooperiretur, alligaretur. O exceſſus amoris! *Ipſe autem* (verba ſunt Iſaiæ) *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper ipſum, & livore ejus ſanati ſumus.* O inexplicabilis compaſſionis affectus! *Ecce* (loquitur S. Bernardus) *mittitur Virginis Filius, Filius Dei altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſò Sanguinis illius balſamô medeatur. Agnoſce, ô homo! quàm gravia ſint vulnera tua, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari.* O præclariſſimum miſericordiæ exemplum: *Cùm enim magnum ſit* (pergit S. Auguſtinus) *aliquem gratis ſua præſtare proximo, multò majus certè eſt, ſemetipſum impendere. Et cùm magnæ charitatis ſit, animam pro amicis ponere, multo majoris charitatis indicium eſt pro inimicis ponere. Quod Filius Dei pro nobis fecit; nam, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filij ejus.* Ubi eſt reperibilis medicus quiſpiam adeò charitativus, qui, ut infirmo ad ſumendas medicinas animum addat, pro ſalute ipſius pateretur in ſe ipſo inciſiones, aduſtiones, rigidas diætas, potionúmque amaritudines? Hoc autem præſtitit Protomedicus cœleſtis. Quanti non æſtimatur apud Servium amor Herculis, tot monſtrorum domitoris, in Omphalem, qua jubente clavam, & leonis exuvium depoſuit, nere cœpit, & ſcuticas ſibi inſligi paſſus eſt. Mirabilior Dei amor, qui, cùm verberum capax non eſſet, talem induit naturam, ut verberari, & ſcindi pro hominis ſalute poſſet. Depoſuit clavam, & exuvium leonis, id eſt, Divinæ Majeſtatis, & impaſſibilitatis amictum, & ideò in dorſo ſuo pro alligatura vulnerati hominis pertulit doloroſas ſciſſuras.

Iſa. 53.

S. Bernard. Serm. 3. de Nativ.

S. Auguſt. apud Manſi Tr. 59. c. 16.

In quorum ulteriorem declarationem non inutilis erit heroicus ille dilectionis, & æſtimationis actus, quem olim Alexander N. 5.

Inductio. exhibuit ſtrenuo ſuo Belliduci Lyſimacho. Commiſſô præliô contigit Lyſimachum hoſtilì ſagittâ graviter vulnerari, & totum ſanguine perfuſum reportari ad caſtra. Aliîs intereà in acie depugnantibûs, nihil ſtatim ad manum erat, quo aut foveri, aut ligari potuiſſent vulnera ſauciati Lyſimachi. Unde, ut ſuccurreretur afflicto, non morabatur ipſe Rex Alexander protinùs illâ ſe ſpoliare faſciâ, quam pro diademate ſuo uſurpabat, additô mundatô, ut ſinè mora illa applicaretur indigenti Lyſimacho, & ad-

Applicatio hiberetur ad alligandas plagas, & curanda vulnera. Aſt cedat amor Alexandri amori Salvatoris noſtri Chriſti JEſu, quem exhi-

Job. 7. buit, & etiamnum exhibet homini peccatori. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ait Job, ubi continua ſunt præliæ. Dæ-

S.Chryſoſt. mon inſurgit, *& interitum hominis quærit* (loquitur S. Chryſo-

Hom. 90. ſtomus) *ille malîs noſtrîs gaudet, ſurgit ex ruinis noſtris, noſtrîs vulneribûs convaleſcit, noſtrum ſanguinem ſitit, noſtra ſaturatur ex carne.* Blanditur caro, & movere prælia nunquam ceſſat, de

S. Auguſt. quibus ita S. Auguſtinus: *Inter omnia certamina Chriſtianorum duriora ſunt prælia caſtitatis. Nam ibi continua pugna, & rarior victoria.* Mundus impugnat, totus tumidus per ſuperbiam, lividus per invidiam, fervidus per iracundiam, profundus per avaritiam, inquietus per acediam, abſorbens per ventris curam.

S.Bernard. *Mundus clamat: Ego deficiam. Caro clamat: Ego inficiam.*

in Epiſt. *Diabolus clamat: Ego decipiam*, ait S. Bernardus, ut hoc modo unitis viribus homo ſuccumbat in certamine. Unde accidit perſæpè, ut homo miſerrimè ſauciatus, periculoſè cruentatus, lamentabiliter infirmatus, recedat ex hoc prælio. Et quòd dolendum eſt maximè, ſibi ſoli relictus non invenit adjuvantem ſe, non adjacet ligatura, ut alligetur vulnus, non in promptu ſuppetit medicamen, quod applicetur, non eſt, qui curam illius gerat. Quod

Eccli. 21. deplorat Eccleſiaſticus hîs verbìs: *Plagæ illius non eſt ſanitas.* Id eſt, explicat Textus Græcus: *Non eſt ſanatio.*

N. 6. Aſt non deeſt Divinus Samaritanus, qui miſeretur peccatoris, qui lavat, & fovet ſauciatum, qui alligat vulnera ejus in Roſario; & quidem præbendô inſtar Alexandri faſciam capitis ſui, quam pro diademate uſurpat, & qua caput ejus coronatum, & ornatum

Apoc. 10. conſpexit Joannes in ſua Apocalypſi, ubi dilectus JEſu Diſcipulus vidit Divinum Samaritanum deſcendentem de cœlo, amictum ſole; facies ejus ſplenduit ſicuti ſol, pedes ejus erant inſtar co-

lumnæ

lumnæ ignis: Et pro diademate erat *iris in capite ejus.* Per quam coronam, ſeu iridem Petrus Giorg. nihil aliud intelligit, quàm Marianum Pſalterium, quia per illud, teſte laudatiſſimo Carthagena, *veluti ſpirituali, & myſticâ coronâ caput Chriſti cingitur.* Iridi tricolori comparatur Marianum Pſalterium; quia & in ipſo triplex color exhibetur, nempe color viridis, indigitans ſpem noſtræ ſalutis, quàm ex Incarnatione, Nativitate, aliíſque primitùs à Chriſto patratis Myſterijs, quæ in prima parte Mariani Pſalterij ſtringuntur, concipimus. Color ruber, denotans Paſſionem, & Mortem Salvatoris, quorum hiſtoriam continet ſecunda pars Pſalterij. Et tertiò: Color flavus figurat Gloriam à Chriſto, & Beata Virgine obtentam in cœlis, cujus ſeries enarratur in tertia parte Pſalterij.

Petr. Giorg. Diſc. 12. Roſ. Carthag. Hom. 4.

N. 7.

Et ecce! hanc coronam Divinus Samaritanus, æquè ac olim Alexander, hoc diadema capitis ſui accipere nec gravatur, nec moratur, ut illud peccatori porrigat. Hoc diademate lavat, & fovet ſauciatum peccatorem: Hac faſcia alligat vulnera illius, qui in latrones incidit, & in prælio occubuit: Hac alligatura erigit pauperem, ut non pereat in via hujus mortalitatis: Totam ſuam Vitam, totam ſuam Paſſionem, omnia merita glorioſæ ſuæ Reſurrectionis in Mariano Pſalterio peccatoribus offert, ut à vulneribus curentur, & ad ſpem vitæ æternæ redeant. Eja igitur vulnerate peccator! en pijſſimum Divinum Samaritanum! *Lini oculos tuos ſanguine illius, ſuóque livore tuis medere vulneribus* (verba ſunt S. Laurentij Juſtiniani) *nulla valet eſſe ægritudo tam valida, nullus mœror, nulláque tentatio, quæ non bujusmodi medicamentô curetur. Eſt quippe in eo redemptionis cruor; & purgationis lavacrum. Vincula ejus alligatura ſalutis.* Adeſte iniqui, audite, quomodò miſericors Samaritanus ipſe vos alloquatur apud S. Chryſologum: *Crux hæc non meus, ſed mortis eſt aculeus. Clavi iſti non mihi infigunt dolorem, ſed veſtram mihi infigunt altiùs charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, ſed magis vos meis viſceribus introducunt. Extenſio corporis mei vos dilatat in præmium, non meam creſcit in pœnam. Sanguis iſte non mihi deperit, ſed veſtrum prorogatur in pretium.* Quotquot incidiſtis in latrones, accurrite ad Marianum Pſalterium, & in eo cum gaudio invenietis alligaturam ſalutis. *Si quis enim in peccatum mortale inciderit* (ait Michovienſis) *facilè ab eo reſurget, devotè recitandô*

Laurent. Juſtin. Eccli. 6. S. Pet. Chryſol. Serm. 108. Michovi. in Lytan. Diſc. 324.

Carthag. Hom. 3. *tandô Roſarium.* *Quot enim* (pergit Carthagena) *caninîs peccatî morſibûs, ac diaboli impoſturîs laceratis Marianum Pſalterium exhibuit præſtantiſſimum antidotum?* Quot per Marianum Pſalterium laborantia, & vulnerata capita ad priſtinam ſanitatem reſtituta ſunt? Certè infiniti in ſordibus, ulceribus, & plagis peccatorum putreſcerent, niſi Roſarium illis factum fuiſſet in alligaturam ſalutis.

N. 8. Nedum autem in alligaturam ſalutis, ſed inſuper & in vinum, & in oleum, quod ad ſananda vulnera noſtra infundit Divinus Samaritanus. *S.Chryſoſt. Hom. in c. 10. Luc.* Per vinum inprimìs S. Chryſoſtomus nihil aliud intelligit, quàm Sanguinem Paſſionis Salvatoris noſtri, qui Sanguis peccatorem acritate ſua ad pœnitentiam movet, ſeu ad piam meditationem Vitæ, & Mortis Chriſti Domini, quæ ſalutari quadam ſuæ virtutis acrimonia putorem vulnerum peccatorum removet. *S. Ambroſ. L.7.inLuc.* Per oleum autem Sanctus Ambroſius intelligit ſuavitatem doctrinæ, Evangelij, & ſermonum Domini, quæ ſuavitas lenitate ſua ungit, & fovet nos ſpe remiſſionis peccatorum; ſeu potiùs per oleum intelligit S. Ambroſius orationem vocalem, & Dominicam *Tertull. L. de Orat.* ſimul cum oratione Salutationis Angelicæ, quæ ambæ, teſte Tertulliano, complexantur omnem pænè ſermonem Domini, omnem orationem diſciplinæ, totúmque Evangelium, & ſua unctione, ac interni lenitate vigoris ſecuriſſimam præbent fiduciam ſcelerum noſtrorum remittendorum. Et benè: Per meditationem enim *S.Bernard. apudLudov Granat. L. 3. de Orat.* Vitæ, & Mortis Chriſti, ùt loquitur S. Bernardus, *bibitur vinum ſpirituale, lætificans cor hominis, vinum ſcilicet Spiritûs Sancti, quod inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit oblivionem, humectans interiora arentis conſcientiæ, eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, ſpem confortans, vegetans, ordinánſque charitatem, & mores impinguans, remoto ſcilicet putore peccatorum.* Non minùs Oratio Dominica, & Salutatio Angelica aptè oleo comparantur. Si enim oleum paſcit, & ungit, nutrit ùt cibus, & lenit dolorem tanquam medicina; nónne & Oratio Dominica, & Salutatio Angelica cibus eſt animæ? An non toties confortaris, quoties in his orationibus occuparis? quid æquè mentem orantis impinguat? quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omninò animæ cibus, ſi non oleum iſtud infunditur, inſipidus eſt, ſi non oleo

hoc

hoc condiatur. Æquè exquiſitiſſimam medicinam in Oratione Dominica, & Salutatione Angelica invenimus, medicinam præſervativam puerorum, ne deficiant, confortativam juvenum, ut diabolo reſiſtant, lenientem ſenes, ut reconvaleſcant, allevantem univerſos vulneratos, & in peccatis ulceratos, ut curentur, elementum incipientibus, incrementum proficientibus, ſtabile firmamentum perfectis. Unde Sanctus noſter Antoninus: *Unguentum eſt oratio, quo ſanantur ulcera animæ.* *S. Antonin p. 4. Sum. c. 8. ſſ 2. N. 9.*

Utrumque hoc Marianum Pſalterium in ſe continet, nempe & oleum Orationis Dominicæ, Salutationíſque Angelicæ, & vinum ſacræ meditationis, Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti. Inprimìs oleum Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ in magna copia, ubi *Pater noſter* in omni parte Pſalterij quinquies, & Salutatio Angelica quinquies decies in omni parte repetitur. De quo oleo ſic exclamat Religioſiſſimus ille Vir Thomas Kempenſis: Inter omnes preces, & laudes Dei nihil *Pater noſter* eſt ſanctius, nihil *Ave Maria* dulcius. Omnia vota, & deſideria Sanctorum Oratio Dominica excellit: Omnia dicta Prophetarum, & melliflua Pſalmorum, & Canticorum verba pleniſſimè, & perfectiſſimè in ſe continet: Omnia neceſſaria petit, Deum ſummè laudat, Deo animam conjungit, & de terra ad cœlum levat. De quo oleo, & unctione ejus ſic loquitur Beyrlinck: *Sicut in medicina corporali quædam ſunt alexipharmaca, pluribus morbis curandis utilia; ita omnibus animæ infirmitatibus unica medicina eſt oratio: Inclinat quippe, & ad ſe trahit Deum, velut Medicum animarum noſtrarum, qui ſolo nutu quæcunque perdita reſtaurat, & vulnera noſtra unctione gratiæ ſuæ ſanat.* Præterea Marianum Pſalterium comprehendit in ſe vinum ſacræ meditationis Vitæ, Mortis, & Gloriæ Chriſti, quod acritate ſua putorem vulnerum, ſeu peccatorum noſtrorum aufert. Meditatio enim Myſteriorum Salvatoris non eſt accidentarium quid ſanctiſſimo Roſario, ſed intrinſecè, & eſſentialiter precibus Roſarij annexa. Sicut cibo, potúque ſpoliatum corpus diu vitam ſervare non poteſt; ita & oratio Roſarij, meditatione Vitæ Salvatoris carens, vitâ ſpirituali deſtituitur: Hac enim ſola nutritur, fovetur, roboratur. Quod cor viventi, hoc meditatio Myſteriorum Redemptionis noſtræ eſt Roſario: Illud ſi demas, vitam abſtuliſti; meditationem Myſteriorum Redemptionis à Roſario tolle, illud ſuſtuliſti. Quod condimentum cibis,

Thomas Kemp. in Enchirid. Monach. c. 5.

Beyrlinck in Th. 2. in Feſt. S. Barth.

Similia, & Applicationes.

cibis, hoc meditationes ſunt Roſario. Sinè condimentis cibus inſulſus eſt, & faſtidium parit: Roſarij preces ſinè meditationibus languidæ, & inſipidæ videntur. Quod gemma annulo, hoc meditatio Roſario: Annulum gemma decorat, meditatio Roſario ſplendorem, lucémque affert. Quod horto floſculi, pomarijs poma, botri vineæ, paſcuis flumen, vallibus torrentes, nemori laurus, montibus fontes, hoc meditationes ſunt Roſario; ex illis Roſarium ornatum, decorem, fructúmque capit: Si auferas, ornatu ſuo Roſarium nudâſti, & robore ſpoliâſti. Quod inopi aurum, fatiſcenti robur, nervi corpori, ſpiritus, ſanguíſque vitæ, hoc meditationes ſunt Roſario: Quisquis enim devota mente Myſteria Vitæ Salvatoris noſtri in Roſario percenſet, alta, ſecuráque pace mentem firmat, ingentî lætitiâ perfundit, cœleſtibûs opibûs ditat, animam jacentem, & torpentem vivificat, excitat, roborat, & cœleſtium donorum abundantiâ, veluti ſpiritu, ſanguinéque venas animæ ſuæ implet. Quod vulneribus acritas vini, quod carni corruptæ acrimonia aceti, hoc meditationes Myſteriorum ſunt recitantibus Roſarium: Vinum acritate ſua à putredine vulnus ſervat, & acetum acrimoniâ ſuâ corruptionem & aufert, & impedit; meditationes Myſteriorum Chriſti recitantes Roſarium à peccatis præſervant, & lapſis ulteriorem corruptionem detrahunt. Quis enim tam malitioſè infectus, qui, recolens Filium Dei hominem factum, in paupertate natum, veluti mancipium in templo redemptum, tam multa pro nobis paſſum, honores, & divitias hujus ſæculi appetat? contemplans Salvatorem ſputîs, opprobriísque ſaturatum, ſerviliter virgîs cæſum, & ipſe quævis adverſa patienter non perferat? audiens, illum hoſti benefeciſſe aure reddita, proditori blandiſſima verba, & oſculum dediſſe, pro crucifixoribus Patrem orâſſe, & ipſe in inimicum ſuum ferociat? perſpiciens verbis, & rebus, & habitu contemptum, atque per illuſionem adoratum, cæſum, ac denique omnia paſſum extrema, & ipſe animi tumorem non deponat? En igitur oleum, & vinum, quod in Roſario miſcuit Divinus Samaritanus ad curanda vulnera, & ulcera peccatorum. In cujus conſideratione

N. 10. *Raulin.* Non vanum erit narrare illud, quod Raulinus eruditus Scriptor, ſe roborans in authoritate Plinij, memorat de quodam ſerpente perquàm pernicioſo in Indijs reperto. Serpens hic ab incolis, & vicinis vocatur *Attuſum*, qui, ùt præ cæteris eſt maximè vene-

venenoſus, ita plurimùm infeſtus, & nocivus eſt arboribus illis, quæ ſuaviori odoris fragrantiâ ſunt præditæ, & copioſiores fructus progerminant. Ex inſtinctu, antipathia, & odio naturali, ac intrinſeco radices arborum in imo terræ inquirit, pervadit, ac virulento ſuo habitu ita inficit, ut omnes flores, & fructus perdat, arborem deturpet, folia, & ramos areſcere faciat: Infecta enim arboris radice, humor venenoſus immiſſus, & ſuccus virulentus communicatus per totum lignum diffunditur, & ſerpendô per omnes partes folia, & frondes debilitat, flores, & fruges enecat, totum germen exſiccat. Ut huic malo, & damnoſis horum ſerpentum morſibus ſolicitè obvient agricolæ vicini, adinvenerunt certum quoddam remedium ex oleo, & acrioribus ſuccis confectum, quo ſi liniuntur, unguntur, & præmuniuntur radices arborum, venenum diffuſam totam ſuam vim amittit, & nihil nocumenti cauſare valet. Haud diſſimiliter infenſiſſimus *Applicatio* ille ſerpens, qui venenô ſuô in paradiſum irrepſit, ſpecioſiſſimam humanæ naturæ arborem, quam ad imaginem ſuam Deus cœli creaverat, & horto voluptatis implantaverat, utpotè dulciſſimum juſtitiæ originalis odorem exhalantem, & eximiîs omnium virtutum fructibûs onuſtam, dirô odij, & invidiæ venenô infecit, ut mox omnes fructus deperditi fuerint, omnis ornatus periêrit, tota arbor turpiſſimè areſcere cœperit. Amœniſſima, & fertiliſſima arbor ante peccatum fuerat homo, utpotè in gratia creatus, omnibúsque virtutibûs, veluti floribûs, & fructibûs dotatus, ſcientia, ſapientia, & altiſſimæ contemplationis munere plenus. Corpus perfectè ſubjiciebatur animæ, potentiæ inferiores rationi, ratio Deo. Voluntas ad omne bonum erat facilè flexibilis, & promptiſſima, appetitus ſenſitivus rationi obtemperatiſſimus, mens imperio divino per omnia prorſùs ſubjecta. Omnimoda Dei benedictio fuit ſuper hanc arborem effuſa, ut creſceret, multiplicaretur, & repleret terram. Aſt, poſtquàm infernalis ſerpens venenô ſuô infecit primam radicem, id eſt, Adamum totius generis humani protoparentem, mox virus per omnes ramos, id eſt, ad omnes Adæ poſteros diffuſum eſt. Arbor aruit, flos cecidit, fructúsque omnis periît. In intellectu non inveniebatur niſi ignorantia, diſtractio, ineptitudo, & rerum denſiſſima caligo. In voluntate regnabat turpis amor ſui, ſecum inducens, ùt ait S. Auguſtinus, mordaces curas, inquietitu- *S. Auguſt. L. 22. de Civit. Dei c. 22.*

titudines, formidines, diſcordias, inſidias, iracundias, fallacias, adulationes, fraudes, rapinas, perfidias, ambitiones, invidentias, homicidia, crudelitates, nequitias, immunditias, blaſphemias, & ſimilia. Appetitus iraſcibilis, qui datus eſt homini, ut imperanti rationi tanquam miles armatus obediat, cœpit imperium rationis recuſare, in ſe ipſo ferocitare, & nefandiſſima quæque temerario auſu aggredi. In appetitu ſenſibili exorta eſt continua pugna, qua ſenſus cum mente, caro cum ſpiritu, corpus cum anima colluctantur. In corpore humano omnes miſeriæ, quas, proh dolor! hodiedum perferimus, fuerunt multiplicatæ. Unica cauſa hujus areſcentiæ erat venenum ſerpentis illius antiqui.

N. 11. Aſt, ne malum hoc ulteriùs ſerperet, Unigenitus Dei Filius ſpeciale remedium excogitavit: Compoſitum fecit ex oleo, & acritate vini, id eſt, ex ſermone ſuæ prædicationis, doctrinæ, Evangelij, & ſuaviſſimorum verborum ſuorum, ſimúlque ex virtuoſo ſuo Sanguine, quem in Paſſione ſua effudit. Hoc compoſitum, hoc vinum, & oleum, tanquam miſericors Samaritanus applicavit homini, tanquam arbori, & veneni diabolici vim penitùs eluſit, depreſſit, ſuſtulit. Hoc pharmaco lavit vulnera protoparentis noſtri Adam, & feliciſſimè curata fuerunt. Arbor ſterilis iterùm effloruit. Sicut enim, (obſervatio S. Franciſci Saleſij eſt) virga Aaronis, priùs tota arida, ubi ſummi Sacerdotis nomen ei inſcriptum eſt, florere, & germinare cœpit; ita anima hominis, utcunque ex ſe ſterilis, quamprimùm ſummi Sacerdotis Chriſti Nomen, & Paſſio inſcripta fuerit, uberes fructus producet. Vulneratus reconvaluit. Quemadmodùm enim olim, qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto (loquitur S. Auguſtinus) non peribant morſibûs ſerpentum; ita, qui mortem Chriſti intuentur, ſanantur à morſibus peccatorum.

S. Franc. Saleſ. L. 11. de Amor.

S. Auguſt.

N. 12. Nec hoc ſufficiebat cœleſti Samaritano. Non enim contentus, compoſitum, ſeu pharmacum ex oleo ſuæ miſericordiæ, & vino ſuæ Paſſionis in Cruce confeciſſe, & illud contra venenum ſerpentis tartarei vulnerato homini applicâſſe, inſuper illud in Mariano Pſalterio reliquit omnibus Chriſti fidelibus, ut per dulciſſimum Orationis Dominicæ, & Angelicæ Salutationis oleum, atque per Divinorum Myſteriorum ſacram meditationem, tanquam per vinum ſalutare, omni tempore poſſent ad manum habere

habere auxilium præſentiſſimum, tum, ut vulnera peccatorum, fortè inflicta, elui, lavari, & foveri poſſint, tum, ut cautè contra virus diaboli ſe præſervare valeant. *Non ſolùm enim,* teſte Carthagena, *qui devotè coronam Roſaceam recitare conſuevit, à flatu antiqui ſerpentis Mariæ precibûs præſervatur, ſed inſuper,* eodem teſte, *à Beata Virgine peccatîs ſqualidus, pauper, miſer, variiſque paſſionum vulneribûs ſauciatus oleô Roſarij linitur, ut & ad priſtinam felicitatem reſtauretur, & ad cumulatiorem perducatur.* Hodiedum perſonam Medici, ſeu compaſſivi Samaritani gerit pijſſimus Salvator; paratus eſt alligare vulnera, quemlibet languidum ſanare. Aſt, advertit S. Auguſtinus, *non ſanat invitum, opùs eſt, ut ſanari velis.* Vinum, & oleum jam miſcuit ad fovenda ulcera: Sed opùs eſt, ait S. Chryſoſtomus, *ut & tu in partibus tuis non deficias. Ipſe miſericordiam impendit; tu manum vulneratam porrige.* Medicamentum absque pretio, & ſumptibus in Roſario reliquit; ſed opùs eſt, ut ſalubriter illô utaris, antequàm vulnera ingraveſcant. Nunc eſt tempus ſalutis.

Carthag. Hom. 4.

Idem Hom. 3.

S. Auguſt. in Pſalm. 102.

S. Chryſoſt. Hom. 2. in Pſalm. 50.

Hiſtoria.

BRuxellîs tempore, quo Venerandus Pater Brixius Inquiſitionis officium obibat in Brabantia, ſacerdos erat, quem prædictus Pater Inquiſitor in filium Confeſſionis ſuſceperat, & energicè recommendata, & prælaudata devotione Roſarij adſcripſerat Archi-Fraternitati. Nullam in perſolvendo ſuo Roſario diligentiam ſacerdos intermiſerat, zelum hunc non in ſe duntaxat concludens, ſed & in alios quàm plurimos diffundens, ita, ut ejus irrequietâ operâ numerus Fratrum, & Sororum Mariani Pſalterij copioſè accreverit. Fortè in ea Provincia malum, ùt occultum, ita ſummè periculoſum graſſari cœpit. Univerſi, qui eo correpti fuerant, in crudelem veſaniam, & exoticum furorem acti, ſibi ipſis violentas manus inferebant, &, niſi cautè cuſtodiebantur, & conſtringebantur, ſeipſos miſerum in modum vulnerabant, diſſecabant, cruentabant. Inter alios hôc malô præfatus quoque ſacerdos laborabat, eò furoris adactus, ut arreptô cultrô in proprium corpus crudeliter deſæviêrit, guttur ſuum hor-

rendè transfixerit, & ſanguine undique profluente jamjam exſpirare cœperit. Flebili huic tragœdiæ intervenerat mater vulnerati, accurrit, cultrum vulneri detrahit, clamat, & ſuo clamore totam domûs familiam, imò & vicinos convocat. Omnes aderant triſti ſpectaculo, conſultabant de auxilio præbendo, conclamabant de pharmaco aliquo applicando. Aſt ſerò nimìs! quia vulneratus jamjam agebat animam, & ultimum halitum ægerrimè trahebat. Intereà moribundo inviſibiliter adſtat cœleſtis Samaritanus, Unigenitus Dei Filius cum dilectiſſima Matre ſua Maria, quæ ſinè mora, vices Samaritani in ſe ſuſcipiens, pannos ſecum allatos explicat, ſanguinem effluentem ſiſtit, vulnus lavat, alligaturam adhibet, & agonizantem ad vitam revocat. Adſtantibûs, quid rei ageretur, neſcientibûs, & mutationem hanc inſperatam ſummoperè admirantibûs, ille, qui jamjam credebatur mortuus, aperit oculos, aſpicit ad lectum circumfuſos vicinos, & laudat ingentem benevolentiam Divini Samaritani, pijſſimæque Sacri Roſarij Reginæ, quæ nedum corporalia ejus vulnera charitativè lavit, fovit, alligavit, ſed multò magìs de internis conſcientiæ vulneribus hujus Clientis ſui ſolicita, tamdiu animam à corpore ſeparari non permiſit, usquedum ſacerdos peccata ſua alicui Confeſſario ritè fuiſſet confeſſus. Illicò igitur advocatur ſuperlaudatus P. Brixius, utpotè ordinarius hujus ſacerdotis conſcientiæ arbiter: Sauciatus incipit multas inter lachrymas ſua peccata confiteri, providetur ultimô viaticô, & ſancta paulò poſt in quiete tradidit ſpiritum. P. Bernardus de Luxemburg de Mirac. Roſar.

SER-

SERMO QUADRAGESIMUS PRIMUS.

Dominica decima tertia poſt Pentecoſten.

THEMA.

Cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Luc. 17.

Per Roſarium perſolvuntur Deo debitæ gratiæ pro acceptis, & ad nova beneficia impetranda homo dignus efficitur.

PEr lepram in ſenſu morali indicari peccatum, communis perſuaſio eſt Sanctorum Patrum. Unde, ſicut S. Antonius de Padua in hac Dominica ex diverſitate leprarum, partiúmque, quas inficiunt, eleganter deducit diverſitatem peccatorum; ita noſter Hugo Cardinalis diverſos lepræ effectus perdoctè applicat, & comparat diſtinctis peccatorum effectibus. Lepra, ait S. Antonius, eſt & coloris candidi, & coloris lucidi, & coloris obſcuri, & coloris rufi, & coloris pallidi. Lepra candida eſt hypocriſis, & ſimulatio externa Religionis: Lucida eſt ambitio tranſitoriæ dignitatis: Obſcura eſt immunditia fornicationis: Rufa eſt rapina, & uſura: Pallida eſt invidia boni alieni. Lepra, pergit Paduanus Sanctus, eſt in capite, in barba, in cute corporis, in veſte, in domo. Lepra in capite eſt ſpurcitia in cogitatione, in barba eſt iniquitas in manifeſtatione, in cute eſt inhoneſtas

N. 1. *S. Anton. de Pad. in hac Dom.* *Hugo Card.*

honeſtas in converſatione; lepra in veſte eſt diſſenſio in fide Chriſti, vel imprudentia in operatione virtutum; lepra denique in domo eſt diſcordia in congregatione. Multiplices autem lepræ effectus ſic enumerat præcitatus Hugo: Lepra facit hominem fœtidum, & ſanis intolerabilem: Deformat hominem, privátque membrorum officiô, & venuſtate: Lepra facit hominem æſtuare, & quantò ſtudioſiùs reprimitur, eò ebullit turpiùs: Lepra cauſat ſitim, demit ſolatium ſocietatis, contagione inficit alios. Hos eosdem effectus in anima hominis operatur peccatum. Inprimìs facit peccatorem fœtidum, & juſtis intolerabilem, juxta illud: *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Deturpat animam; ſicut nobiliſſimum Angelum mutavit in dæmonem monſtroſum. Reddit hominem ineptum ad operationes ſupernaturales, debilitandô potentias activas. Facit animam æſtuare, inprimendô pruritum impium, juxta illud: *Impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Et hunc pruritum quantò operoſiùs peccator reprimit, & occultat, tantò magìs ebullit, Deúsque illum facit in tempore innoteſcere. Cauſat ſitim; quia inſatiabilis peccandi eſt cupiditas. Privat ſocietate; quia hominem ſeparat à communione fidelium, & à participatione influxûs vitalis divinæ gratiæ. Tandem peccatum inficit alios; quia malum exemplum nocet quàm plurimis, juxta illud: *Cum perverſo perverteris.* Et iterùm: *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, factum eſt illis in ſcandalum.* Unde, ubi in hodierno Evangelij contextu fit mentio de decem leproſis, qui, cùm JEſus ingrederetur quoddam caſtellum, ſteterunt à longè, & levaverunt vocem ſuam, dicentes: *JEſu præceptor, miſerere noſtri;* per hos decem leproſos Sanctus Bonaventura intelligit peccatores decem mandatorum transgreſſionibûs vitiatos. Ubi autem ex his decem, poſtquàm omnes à lepra ad votum ſuum mundati ſunt, non niſi unus ad Chriſtum acceſſit, qui condebitas benefactori ſuo gratias reponeret, coarguuntur prædicti peccatores, eò quòd pauciſſimi, etſi ſæpiùs in Sacramento Pœnitentiæ per virtutem JEſu Chriſti à lepra peccatorum ſuorum mundentur, congruas Deo gratias rependere cogitent. Quæ ingratitudinis nota, ne & nobis aliquando imputetur, en! vobis porrigo Roſarium, per quod, dum Deo debitæ aguntur gratiæ pro acceptis, ad nova beneficia impetranda digni efficimur.

Oſe. 9. *Iſa. 57.* *Pſalm. 17.* *Pſalm 105.* *S. Bonavent. hic Serm. 1.*

Atrîs

Atrîs coloribûs depingunt ingratitudinem Guilielmus Pariſienſis, & S. Bernardus. Primus ſic loquitur: *Ingratitudo eſt magnum diaboli miraculum, cùm ſit vel maximè contra naturam.* Mellifluus verò affirmat, nihil Deo ita diſplicere, nec homini quidpiam magìs nocere, quàm ingratitudinem, cùm ſit inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ, &, quidquid ingratus accipit, in perniciem ei vertitur. Et benè. Ingrati enim ſunt ſimiles fimo, qui, quantò plùs caloris de ſole accipit, tantò plùs fœtet: Sunt ſimiles vermibus, qui lignum, & pannum, quo nutriuntur, deſtruunt: Sunt ſimiles hederæ, quæ arbores, quarum auxiliô in altum aſſurgit, corrumpit: Sunt ſimiles nubi, quæ, ſubſidiô ſolis in altum evecta, poſteà radios ſolis obfuſcat: Sunt ſimiles mari, quod aquas dulces recipit, & ſalſas à ſe remittit: Sunt ſimiles corvo, quem Noë ex arca dimiſit, ut ramum florentis olivæ reportaret, ille verò, beneficiorum in arca receptorum immemor, cadaveribus inhæſit: Sunt ſimiles Júdæis, qui Salvatori pro fertili terra, quam eis in poſſeſſionem tradiderat, in potum fel, & acetum porrexerunt. Unde, ùt conſtat ex varijs Hiſtorijs, & belluæ vitium ingratitudinis ſemper deteſtatæ fuerunt. N. 2. *GuilielParis. L. 1. Rhet. Div. c. 4. S.Bernard. Similia.*

Econtra innumeræ ſunt laudes, quæ paſſim à Sanctis Patribus grato animo attribuuntur. *Optima beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum*, ait S.Chryſoſtomus. Et iterùm: *Gratitudo eſt maxima utilitas hominis, qua cognoſcimus benefactorem. Nullum enim gratiarum actioni par bonum, quemadmodùm blaſphemiâ nihil pejus.* *Gratitudo* (affirmat Seneca) *non ſolùm eſt virtus maxima, ſed etiam mater virtutum reliquarum, res Deo, atque hominibus grata, atque jucunda. Ita omnes urbes, & gentes conclamant: Ita univerſus populus uno ore affirmat.* Et appoſitè. Sicut enim terra, & flores, quò plures à ſole calores, & radios accipiunt, tantò plures reflexiones, vapores, & odores versùs ſolem emittunt: Ita gratus homo, quò plura accipit beneficia, tantò majori in Deum amore ſuccenditur, benè gnarus, quòd, quidquid Deus dat, tribuat ad ipſum cognoſcendum, amandum, fruendum, & nos beatificandum. Inter alia autem Divinæ bonitatis beneficia ſunt facilè potiſſima, dum homo in Sacramento Pœnitentiæ à lepra mundatur, remiſſionem peccatorum recipit, N. 3. *S.Chryſoſt. Hom. 25. ſuper. Matth. Idem Hom. 72. ad pop. Antioch. Senec. Ep. 33.*

&

Simile. & juſtificatur. Unde S. Auguſtinus cum S. Bernardo : *Bona*
S. Auguſt. *ſunt hæc tua, Domine, mihi à te miſericorditer indulta, quòd me*
in Medit. *in periculis ſæpè conſtitutum clementer eripuiſti, nec unquam in*
c. 12. *peccatis meis dereliquiſti; oblitum tui de te admonuiſti, averſum à te revocâſti, venientem ad te benignè ſuſcepiſti, pœnitenti indulſiſti. Miſeratio Dei mei fuit, quòd viſitavit cor meum, immutavítque, ut amara fierent, quæ mihi malè dulcia priùs erant, qui lætabar, cùm malè facerem.*

N. 4. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, & tibi, ô homo? Ecce, ipſius eſt gratia, quòd mundus ob peccata noſtra non fuerit ſubverſus, quòd à diabolo non ſimus ſuffocati, quod vivi in infernum non ſimus detruſi: Ipſius eſt gratia, quòd cœlum nos non fulminaverit, aqua non ſubmerſerit, tellus non abſorbuerit. Ipſius eſt gratia, juſtos & injuſtos eundem intueri ſolem, eandem lucem capere, eoſdem fontes bibere, eâdem pluviâ ſaginari, iîſdem fructibûs terræ repleri, eundem aërem ducere, habere æqualiter mundi bona. Ipſius eſt gratia doloroſa de peccatis contritio, genuina peccatorum Confeſſio, obtenta per Sacramentum pœnitentiæ delictorum remiſſio. Ipſius eſt gratia poſt pœnitentiam ſubtractio opportunitatis, virtus reſiſtendi, & ſanitas affectionis. Quandoque enim ſubtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem noſtram. Quandoque virtutem donat reſiſtendi, ut tentationem ſentiens viriliter agat, & non conſentiat. Quandoque affectionem ſanat, ut non ſolùm non
S.Bernard. conſentiatur ei, ſed nec ſentiatur tentatio. Ita Mellifluus. Quid
de trip. ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? quo-
miſer. modò dignas rependam gratias tanto benefactori, qui inprimìs bonorum noſtrorum non indiget, & deîn altior eſt in donis ſuis, quàm ut condigna ei fieri poſſit gratiarum actio?

N. 5. Roſarium accipiam, & nomen Domini invocabo, non dubitans, quin, cùm Deo gratia referri non poſſit, quanta debetur, maxima tamen, quam animi noſtri capere poſſunt, in Roſario ei habeatur. Duplex enim gratiarum actionis gradus aſſignatur à
S. Thom. noſtro Doctore Angelico, ut, ubi non dignè, ſaltem pro poſſibili
2. 2. q. gratia referatur ei, à quo bona accepimus. Primus gradus eſt
106. a. 2. beneficium grata mente identidem recolere, illúdque memori frequenter recordatione ruminare. Secundus gradus eſt, ei convenientes laudes dicere, qui benevolo opere laudem meretur.

Gradum primæ gratiarum actionis per jugem acceptorum beneficiorum memoriam ipſe Deus ter Optimus Maximus innuit, ubi ex ejus imperio ſolemnitas Paſchalis quovis anno celebrari debebat in recordationem magni illius beneficij, quo compedibûs ſervitutis Pharaonicæ liberati in terram promiſſionis tot miraculoſis modîs perducti ſunt Judæi. Pariter quotannîs celebrandum fuit Feſtum Tabernaculorum, ut Judæis continuò in memoriam revocarentur quadraginta anni, quibûs in deſerto commorati, & cœleſtî alimoniâ, quæ quotidie de cœlo defluebat, paſti fuerant. Feſtum quoque Pentecoſtes habebatur in memoriam tabularum legis à Deo traditarum. Secunda gratiarum actio, quæ fit laudandô Deum, oſtenſa fuit Joanni, dum in ſuperna Jeruſalem conſpexit Spiritus Angelicos, ut gratias agerent Deo ſuo pro donis divinitùs acceptis, diu, noctúque in laude Divinæ Majeſtatis intentos, & dicentes: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.* Quod non ignoravit Propheta coronatus, ſeipſum excitans ad gratias Deo agendas, hîs verbîs: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivîſci omnes retributiones ejus. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.*

Apoc. 7.

Pſalm 102.

N. 6. Quem autem latet, hunc utrumque gratiarum agendarum modum perfectiſſimè contineri in Mariano Pſalterio? Quid enim eſt Roſarium, niſi Epitome Vitæ Domini JEſu, per quem omne datum optimum, & omne donum perfectum ad nos deſcendit à patre luminum? quid eſt Roſarium, niſi Summa omnium donorum, & gratiarum, quas tanquam divitias bonitatis ſuæ per Filium ſuum generi humano communicavit Pater miſericordiarum? quid eſt Roſarium, niſi ſpeculum meditationis, in quo in dies Fratribus, & Sororibus noſtræ Sodalitatis exhibentur beneficia Incarnationis, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti, per quæ neceſſe eſt obtinere remiſſionem peccatorum, & juſtificari impium? quid eſt Roſarium, niſi myſterioſum ſignaculum, ne unquam obliviſcamur eorum, quæ præter omne meritum ab eo, quem temerariè offendimus, benevolè accepimus? quid eſt Roſarium, niſi juge memoriale, & contemplatio Myſteriorum noſtræ ſalutis, quod memoriale clementiſſimus Deus in novo teſtamento videtur hominibus tradidiſſe, æquè ac ſimile monumentum in veteri teſtamento recom-

mendavit Judæis, ut recordarentur in dies beneficiorum Redemptionis, & educationis ex ſervitute Babylonica. Poſtquàm enim populus egreſſus fuit de terra Ægypti, in gratiarum actionem juſſi ſunt Judæi per ſeptem dies veſci azimîs, & in ſeptimo die celebrare Solemnitatem Domini; & hoc ideò, ut Sacer Textus innuit, ut ſic eſſet *quaſi ſignum* in manu eorum, *& quaſi monumentum* ante oculos eorum, ne in oblivionem abiret unquam tanta beneficentia divina. Simile quid de Roſario noſtro affirmare licet. Redemptio illa populi ex captivitate Babylonica ſolummodò figura erat illius, quo olim Chriſtus Dominus erat totum genus humanum redempturus ex captivitate diaboli, & vinculis peccatorum. Miſerabiliores eramus ſub dominio Principis tenebrarum, quàm Iſraëlitæ ſub jugo Pharaonis. At Unigenitus Dei Filius nos miſericorditer liberavit, & hodiedum liberat peccatores pœnitentes. Unde, ut per jugem tanti beneficij recordationem ei gratias agamus, reliquit, & tradidit nobis in Roſario Myſteria ſua Sanctiſſima conſtanter contemplanda, ut ſint quaſi ſignum, id eſt, legit noſter Oleaſter, *quaſi filum* in manu noſtra, & monumentum ante oculos noſtros. Unde concludit eruditus Coſterus: *Si ad Dei amorem, & gratiarum actionem te velis excitare, atque inflammare, quid, quæſo, efficacius, quàm Chriſti Vitam, & Paſſionem, atque quàm multa, & immenſa ex illis beneficia ſimus conſecuti, meditari?*

Exod. 13. — *Coſter. L. 1. Chriſt. Inſtit. c. 26.*

N. 7. Non minùs in Roſario Deo gratias agimus per convenientes laudes, quas ei decimus, qui per tot benevola opera à nobis omnem laudem meretur. Ubi enim dicitur: *Immola Deo ſacrificium laudis;* exponit hæc verba S. Thomas Villanovanus: *Rubentes Roſas perquire; hîs enim gratiſſimus hinnulus Virgo, Virginis Filius, libenter veſcitur.* Et non abs re. Ut enim revelatum fuit Beato noſtro Alano: Poſt Miſſum non datur ullum laudis ſacrificium Deo gratius, quàm Marianum Pſalterium, quia in hoc Pſalterio quaſi decimas laudis rependimus Divinæ Majeſtati pro omnibus beneficijs acceptis. Quas decimas quaſi eodem modo nunc Altiſſimus à nobis exigit, ſicut decimas ſibi voluit præſtari olim à Judæis pro omnibus donis, quæ eis gratioſè conceſſit: Strictiſſimum enim erat præceptum de dandis omnium rerum decimis, ùt legimus: *Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Omnium decimarum*

Pſalm. 47. — *Thom. de Villanova.* — *B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 17.* — *Levit. 27.*

bovis,

bovis, & ovis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum fuerit, ſanctificabitur Domino. Præceptum hoc eò collimaverat, ut plenum Dei dominium in omnes res ſemper ante oculos verſaretur populo Iſraëlitico, Divinúmque Numen cognoſceretur, tanquam largitor omnium bonorum, indéque univerſorum ore, & linguis diu, noctúque laudaretur. His decimis acutè Marcellus comparat Marianum Pſalterium, in quo, dum in qualibet Decade per decem Salutationes Angelicas decies ſalutatur, honorificatur, & colitur glorioſa Dei Mater Maria, decimum ſemper ſanctificatur Domino, puta, per Orationem Dominicam, quam poſt quamlibet Decadem recitandô Roſarium ſuperaddimus, ſanè non ob aliam rationem, quàm, ut ſicuti Mariæ per Salutationes Angelicas congruas laudes depromimus; ita & Deo Supremo rerum Domino, & largitori bonorum omnium per Orationem Dominicam ſua quoque laus, & competens gratiarum actio tribuatur, præſertim per primam, & tertiam Orationis Dominicæ petitionem, nempe: *Sanctificetur nomen tuum;* id eſt, innoteſcat omnibus, nedum Chriſtianis, verùm & Paganis, Judæis, Turcis, Hæreticis, ſingulíſque alijs infidelibus, ut omnes agnoſcant te Deum verum, vivúmque, & relictîs erroribûs, idolîs, ac peccatîs in te credant, in te ſperent, te toto corde diligant, laudent, prædicent, venerentur. Et iterùm: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* Id eſt: Adimpleantur præcepta tua, quæ voluntatem Dei nobis indicant; obediatur tibi tam promptè, tam alacriter, tam perfectè ab hominibus in terra, ſicut Angeli, & Sancti obediunt in cœlo; laudent te ora, & linguæ degentium in hac vita, ſicut à tuis laudibus nunquam ceſſant Spiritus Angelici, & Beati in regno cœlorum. Concludit ergo prælaudatus Marcellus, decimas laudis, quæ Deus popoſcit, in novo teſtamento, vel maximè præſtare Fratres, & Sorores Sanctiſſimi Roſarij; illi quippe (verba Authoris ſunt) dum recitant Roſarium, auſpicantur ab Oratione Dominica, qua peracta decies Mariam ſalutant. Et iterùm, quod decimum venerit, ſanctificant Domino, quia poſt decem *Ave Maria* denuò repetunt *Pater noſter;* & ſic decimas laudis perſolvunt Deo ſuo. Ex his

Marcell. Hom. de Roſ.

Levit. 27.

Spontè ſuâ ſequitur ſecunda hodierni aſſerti pars. Gratiarum enim actio eſt nova petitio, & ſpem de futuris recipit, qui transacta beneficia gratô animô recognoſcit, ait Caſſiodorus. Eva natô N. 8.

Caſſiodor. Ep. 4.

tô primô filiô Cain grata fuit, donum Dei profitens, & dicens:
Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum.* Ideò, ùt ſubtiliter annotat eruditus
Diez. Diez, aſſequi meruit beneficium majus, Deo promittente: Exſpecta mulier, filius, quem peperiſti, eſt tibi dilectus, ſed dabo tibi meliorem, nempe juſtum Abel. Haud diſſimiliter, ùt advertit
Alvarez. clariſſimus Alvarez, quia Rachel ſuſceptô primô filiô in laudes divinas ſe effudit, & gratias Deo referre non ceſſavit, ditata fuit ſecundô filiô, ſibi ſuper vitam dilectô, Benjamin. Moyſes cum populo Iſraëlitico vix mare rubrum ſicco pede tranſivit, & mox totam multitudinem convocavit, eámque ad decantandas Deo laudes, & condebitas gratias convocavit, alta voce intonandô:
Exod. 15. *Cantemus Domino: Glorioſè enim magnificatus eſt: Equum & aſcenſorem dejecit in mare.* Res mira! ait prælaudatus Alvarez,
Alvarez vix de mari rubro egreſſus erat, vix Ægyptij in fluctibus aquarum
Illuſt. 203. ſepulti fuerant, & mox totus populus congregatus eſt ad gratias agendas, & laudes divinas intonandas. Adhuc timor prævius vix erat abſterſus, conſternatio animi vix temperata, mens ſibi haud ſufficienter præſens, memoria præcedentis periculi adhuc præſentiſſima totum corpus debilitabat; & tamen ad cultum divinum impræparatus, & indiſpoſitus grex coadunatur. Utique convenientiùs vox laudis, & gratiarum actio reſervata fuiſſet ad tempus illud, quo in terram promiſſionis introductus populus potuiſſet attentiùs Deo vacare? Prætereà, quæ mentis potuiſſet eſſe devotio inter tot curas, & ſolicitudines viarum, inter tot difficultates, quæ tunc, ùt exantlandæ, populo Judæorum oculis obverſabantur, & ſucceſſivè erant ſuperandæ? Sat benè, reſpondet citatus Doctor: Hæc ipſiſſima fuit cauſa, quòd ne quidem ad horam Moyſes diſtulerit condignam gratiarum actionem. Prævidit enim providus populi Dux pericula, quæ ſupererant, labores, qui reſta-
S.Chryſoſt. bant, moleſtiſſima itinera, quæ fuerant permeanda; & ideò, ut
Hom. 8. benigniſſimum Numen moveret, & quodammodò obſtringeret ad nova beneficia conferenda, pro acceptis gratias agere, & benefactorem laudare non tardavit, haud ignarus, quòd Deus gratitudinem à nobis exigat, non quòd ipſe noſtra celebratione opùs habeat, ſed ut, quidquid eſt lucri, iterùm ad nos redeat, & dignos nos faciamus majoribùs ſubſidiîs. Verba ſunt S. Chryſoſtomi.

N. 9. Cùm igitur in Roſario gratias Deo rependimus & memori mente recolendô beneficia ejus per meditationem Sacrorum Myſterio-

ſteriorum, & congruum tributum laudis exſolvendô per vocem labiorum noſtrorum, quin hoc modo præparemur, & diſponamur ad nova divinæ largitatis munera obtinenda, dubitationi nullus relinquitur locus. Argumentum hujus dicti videtur nobis jam dudùm indigitâſſe Eccleſiaſtes, ubi dixit: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant.* Quod ipſa experientia docet: Videmus enim omnia flumina naturali quodam impetu, & veloci curſu ad mare, unde primam ſuam originem traxerunt, reverti; & hoc non ad majorem maris redundationem (*omnia* quippe *flumina intrant in mare, & mare non redundat*) ait locô citatô Eccleſiaſtes, ſed potiùs, ut in mari copioſiorem fluxum hauriant, & inde auctiora refluant. Angelica Salutatio fonti comparatur à Sancto Auguſtino, *quo potantur ſitibundi, & ſcientiarum horti irrigantur.* Similiter Angelica Salutatio apud B. Alanum à S. Baſilio comparatur flumini, quod ad uſus, & utilitates hominum jugî, & infatigabilî fluit obſequiô, Eccleſiæ agrum reddit fertilem, & arva piarum mentium rigare non deſinit. Ab alijs Angelica Salutatio comparatur fluvio illi, qui in paradiſo ortum nanciſcitur, & inde in quatuor partes diviſus diffunditur ad omnes partes terræ; ùt legimus in libro Geneſis.

Eccle. 1. *Ibid.* *S. Auguſt.* *B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 10.* *Gen. 2.*

Et benè huic paradiſi fluvio aſſimilatur Salutatio Angelica; N. 10.
quia & illa non niſi in cœlo ſuum ortum habuit, nempe ab ipſa Sanctiſſima Trinitate, quæ eam Archangelo Gabrieli dictavit, ſic quodammodò, ùt aſtruit S. Chryſoſtomus, alloquens: *Ades huc Angele, miniſter eſto myſterij gravis, & reconditi, miraculo inſervi. Vade ad Mariam Virginem, loquere in auribus Arcæ meæ, ratione præditæ, ut paret mihi auditus ingreſſum. Cave, offendas, aut turbes animum Virginis, templum iſtud Divinum modeſtè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat, dic: Ave gratiâ plena; ut ego miſerear afflictæ Evæ.* Salutatio Angelica, inſtar ſalutiferi aquæductûs, primò ad terram venit per Archangelum Gabrielem; aſt non ſolùm, ùt advertit noſter B. Albertus Magnus, ſed facta eſt cum eo, tanquam principali Nuntio, multitudo cœleſtis exercitûs laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* æquè, ac non ſolus Eliezer ad ducendam uxorem filio Abrahæ miſſus fuit, ſed multi comites cum eo. Creſcente tempore fluvius iſte cœleſtis fuit diviſus in tres partes, nempe in Roſarium gaudioſum, dolo-

S. Chryſoſt. Serm. in Annunt. *B. Albert. M. in c. 1. Luc.*

doloroſum, & glorioſum, adeóque brevî temporis intervallô per totum terrarum orbem diffuſus, ut, teſte Laurentio Beyrlinck, quo anno Beatus Dominicus in Divorum Catalogum fuit adſcriptus, paucîs annîs poſt mortem jam numerabantur in chriſtiano populo familiæ Prædicatorum, & erecti in illis cultus, & Collegia Sanctiſſimi Roſarij 4147. Neque ullus mundi angulus erat, ad quem hic Ordo unà cum præfata Mariani Pſalterij devotione non penetraret, creſcerétque fons parvus in flumen maximum.

Beyrlinck T. 5. Litt. f. in Theat. vit. human.

N. 11. Poſitô ergo, quod fons iſte ſalutis, id eſt, Angelica Salutatio revertatur ad locum, unde exivit, id eſt, ſi Roſarium crebrò, & devotè dicatur, Deóque ter Optimo Maximo offeratur in gratiarum actionem pro donis acceptis, quid niſi nova gratiarum fluenta, niſi magnam favorum ſupernorum copiam, niſi optatiſſimam roris cœleſtis fertilitatem ſecum reportabit? An non cum copioſo augmento Divinæ Benedictionis revertetur? an non de novo arva mentium uberrimo fluxu ſuo impinguabit? Indubiè, ait noſter Loppezius: *Precibûs enim Roſarij permulta poſſumus à Deo, & Beata Virgine exſpectare bona, ſi ſanctè huic devotioni rectam conjungamus vitam, ſi illius fuerimus imitatores, cujus ſumus laudatores, & ſervi.* Indubiè, ait Carthagena: *Roſarium enim gratiarum, ac cœleſtium chariſmatum fluens ſterilem peccatorum terram fœcundat.* Indubiè, ait Eſcobar: *Quàm enim ſunt florentes, & odoriferi, qui frequenti Roſarij recitationi operam navant!* Unde non abs re idipſum de fonte Salutationis Angelicæ, ſeu Mariani Pſalterij affirmare licet, quod de fonte quodam in Scotia reperto memorat Majolus. Fons iſte nedum aquîs abundat, ſed etiam certo genere olei, quod in magna quantitate aquis ſupernatare conſuevit. Oleum hoc ad multa hominis ſervitia aptiſſimum eſt, præcipuè ad præparandas varias medicinas, & diſtinctiſſimos mortalium morbos curandos. Unum autem, quòd præ cæteris in hoc fonte obſervatur, præcipuè humanam cauſat admirationem. Si nemo ex fonte aquam, & oleum hauriat, quantitas contenti nec augetur, nec minuitur, ſed permanet eadem: Si autem per quemcunque etiam in ſumma copia oleum, & aqua aſportentur, nedum in momento nova quantitas tum olei, tum aquæ refluit, ſed longè etiam major, & uberior, adeò, ut fons iſte dandô, quod in ſe continet, ſemper fiat ditior, & novum incrementum capiat. Simile quid de alio quodam fonte in Perſia ſaliente

Loppez in Feſt. Roſ.

Carthag. Hom. 7.

Eſcobar L. 2. Sect. 2. Obſerv. 5. n. 155.

Majolus.

liente refert Olearius, qui non obſtante, quòd vicini in dies oleum in ſumma copia aſportent, attamen novô, & pleniorî ſemper augmentô exuberat. Idipſum de Roſario noſtro per quotidianam edocemur experientiam. Si ex fonte hoc ſaluberrimo aquas ſalutares haurimus, eáſque in fontem, unde exiêrunt, id eſt, in Deum pro gratiarum actione beneficiorum refundimus, auctiores in dies comparent, & novîs identidem donîs abundantiſſimæ ad nos refluunt. Unde Beatus Alanus: *Pſalterium Marianum fons eſt in Eccleſia, quo lavantur ſcelerati, ſanantur infirmi, potantur ſitibundi, & qui nunquam deficit.* *Olearius in ſuo itinere Perſico.* *B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 16.* N. 12.

Et ad hunc fontem ſacratiſſimi Roſarij videtur mihi id hodiedum contingere, quod olim contigiſſe novimus. Venerat piiſſimus Salvator ex Judæa in Samariam, totus defatigatus ex itinere, & debilis viribûs: Et dum ad civitatem Sichar tranſibat, ibi pauliſper reſpirare voluit, ſedens ad fontem Jacob, qui urbi prædictæ erat finitimus. Parùm quieverat. Et ecce! venit mulier de Samaria haurire aquam, cui dixit Dominus: *Da mihi bibere.* Hoc autem dixit, non quòd ſitiêrit, aut concupiverit aquam de fonte illo, ſed potiùs, ut occaſionem nanciſceretur mulieri huic præbendi aquam vivam ſalutis, & ſalientem in vitam æternam; ùt acutè advertit S. Chryſoſtomus. Unde clementiſſimus Salvator ſuam mentem declaravit mulieri, dicens: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: Tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam - - qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum: Sed aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Fons igitur vitæ* (verba ſunt præallegati Sancti Patris) *juxta fontem ſedens bibere poſcit, volens potum dare, non verò bibere. Quaſi diceret: Da mihi bibere, ut tibi dem bibendam aquam immortalitatis. Ego enim ſalutem mortalium ſitio, non ut bibam, ſed ut potum præbeam, imitérque Patrem meum, qui petiit ab Abraham filium, non quòd ille accipere vellet, ſed ut ipſe daret, & immolaret Unigenitum ſuum pro Abraham, & univerſo mundo, ſícque acciperet occaſionem in ſemine Abrahæ benedicendi omnes gentes terræ, ùt legimus Gen. 22. Capite.* Simile quid etiamnum accidit. Sedet quodammodò miſericors Salvator ad fontem ſanctiſſimi Roſarij, ibique dulciter jucundatur, ùt teſtatur Beatus Alanus, referens, Beatam Virginem ſibi dixiſſe: *O quàm dulce, ô quàm ſuave dile-* *Joan. 4.* *S. Chryſoſt. Tom. 6. Orat. in Samarit.* *B. Alan. Serm. 1. de 15. gemm. c. 24.*

cto

ſto Sponſo meo Chriſto hoc genus orandi, & ſuper omne ſacrificium delectabile! Ad hunc fontem Roſarij ſedens fons vitæ à te, ô Frater! à te, ô Soror Mariani Pſalterij! bibere poſcit, aſt non, tam ut ipſe bibat, quàm ut tibi potum porrigat. Dicit: Da mihi bibere. Id eſt: Offer mihi preces ſanctiſſimi Roſarij, ut tibi dem aquam immortalitatis, ut te repleam de plenitudine Benedictionis Divinæ, ut in te effundam de rore cœli, & pinguedine terræ omnem abundantiam. Sic enim teſte Carthagena Beato noſtro Alano revelatum fuit à Chriſto, & Beata Virgine, quòd omnes perorantes Pſalterium in brevi erga ſe Divinam ſentirent Benedictionem.

N. 13. Quid nî igitur rivulis Mariani Pſalterij id conveniat, quod in communi omnibus fluminibus attribuit Eccleſiaſtes: *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterùm fluant,* & abundantiùs fluant? Revertuntur illi ad Deum, à quo primitùs promanârunt, in gratiarum actionem pro acceptis beneficijs, & in laudem perpetuam Divini Mecænatis; aſt, dum revertuntur, de novo exeunt donîs copioſioribûs aucti, & potioribûs gratiarum fluentîs exuberantes. *Deus enim*, ùt docet S. Chryſoſtomus, *ita eſt liberalis, ut, quando videt nos benè, & cum gratitudine uti hîs, quæ jam conceſſit, ultra nos potioribûs, majoribûsque muneribûs adimpleat, exigens à nobis gratitudinem, non quòd noſtra celebratione opùs habeat, ſed ut, quidquid eſt lucri, iterùm ad nos redeat, & dignos non faciamus majoribûs ſubſidiîs*, repetit præfatus S. Pater. Roſarium, juxta noſtrum Michovienſem, eſt quædam gratiarum actio pro immenſis Incarnationis myſterijs, & omnibus ex eo conſequentibus beneficijs; Roſarium orare eſt verbo & opere Deum laudare, benedicere, & prædicare: Gratias autem agenti debetur nova gratia, & Deum in donis ſuis benedicenti nunquam deerit, quin novîs accumuletur favoribûs.

Eccle. 1.

S. Chryſoſt. Hom. 15. & 52. in Gen. Idem Hom. 8. in Epiſt. ad Coloſſ. Michovienſ. ſuper Lytan. Diſc. 324.

N. 14. Adeſte igitur, Sodales Mariani! gratiores eſtote Benefactori cœleſti, quàm illi, qui hodie à lepra mundati ſunt, & de quibus non niſi unus rediît, qui gratias ageret. Ecce! nullus veſtrûm unquam reſpirat, quin ad quamlibet reſpirationem Dei beneficiîs fruatur, quam beneficientiam Divina Bonitas omnî momentô continuat, ac conſervat. Si præteritum conſideratis, per Dei donum vivitis; ſi futurum attenditis, Deus omnium eorum, quæ ſunt in exſpectatione, unica ſpes eſt. Quidquid habetis, ab eo accepiſtis;

ſtis; & quidquid in votis eſt, à Deo accipiendum erit. Accipite igitur Roſaria veſtra, gratias agamus Domino Deo noſtro pro acceptis, & illa ampliora munera per preces Roſarij nobis dare non ceſſabit.

Hiſtoria.

IN Feſto Annuntiationis Sancta Gertrudis omni, qua poterat, mentis recollectione, cordíſque tenerrima devotione Màtutinis intererat, ut cum reliquo Virgineo Cœtu Deo pro beneficio Incarnationis condebitas perſolveret grates. Intereà, dum cantabatur in Choro *Ave Maria*, vidit Sancta Virgo tres rivulos efficaciſſimos procedentes à Patre, Filio, & Spiritu Sancto, qui ſuaviter effuſi cor Virginis Matris amœniſſimo impetu penetrabant, & de corde ipſius rurſùs placida impetuoſitate ſuam originem repetebant. Quo fluxu, & refluxu facto à Sanctiſſima Trinitate Virgini Mariæ donatum fuit, ut ipſa eſſet potentiſſima poſt Patrem, ſapientiſſima poſt Filium, benigniſſima poſt Spiritum Sanctum. Hæc videns Sancta Gertrudis perrexit in ea, quam cœperat, gratiarum actione, ex toto corde, & ex totis viſceribus làudans eum, qui à ſinu Patris procedens deſcendit de cœlis, & pro ſalute hominum incarnari dignatus fuit; & ecce! in hac ſacra contemplatione nova recreatur viſione cœleſti. Vidit enim, quòd, quoties illa Angelica Salutatio, ſcilicet *Ave Maria*, cum devotione recitabatur à pijs Deiparæ Virginis Clientibus in terra, toties prædicti rivuli quaſi jucundiori impetu abundare, præpropero, ſuaviſſimo tamen tractu Auguſtiſſimam cœli Reginam circumfluere, & tandem ex altero latere lentè influere in cor ipſius ſanctiſſimum; aſt non aliter, niſi, ut paulò poſt copioſiores, & uberiores reeffunderentur ſuper illos, qui prædictum *Ave Maria* in terris cum demiſſa veneratione decantabant. Intuebatur enim Deo dilectiſſima Gertrudis, præfatos rivulos quaſi cum delectatione reſilientes ex corde cœleſtis Reginæ, & facta notabili redundatione, augmentóque acceptô munerum ſupernorum revertentes ad eos, qui tunc temporis in terra Salutationem Angelicam commemorabant, & per eam Deo incarnato penſum ſuæ gratitudinis perſolvere piè conabantur. Nec hîc finis erat divinæ revelationis, ſed inſuper cognovit

Sancta Gertrudis optatiſſimos effectus, quos præfati rivuli per ſuam dimanationem operabantur in animabus fidelium; vidit enim, per aquas has ſalutares in ſingulis renovari omne bonum, quod unquam per ſalutiferam Incarnationem Filij Dei ſunt adepti. Ex Lib. 4. Revelat. S. Gertrudis cap. 12. apud Michovienſem ſupra Lytan. Diſc. 238.

SERMO QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

Dominica decima quarta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Conſiderate lilia. *Matth. 6.*

Sodales Roſarij ſunt lilia, & quidem lilia perquàm virtuoſa.

N. 1. UNigenitum Dei Filium ſingularem in flores complacentiam exhibuiſſe, ex eo manifeſtum relinquitur, quòd ipſemet formam hortulani induere, & in ea Sanctæ Magdalenæ ap-
Joan. 20. parere dignatus ſit: *Illa exiſtimans, quia hortulanus eſſet.* Et certè non abs re; idipſum enim in ſe oſtenderat charitatis exemplum, quod veniente tempore Sanctus Paulinus Epiſcopus immortali laude in actis vitæ ſuæ reliquit. Paulinus erat vir omnibûs virtutibûs ornatus, præſertim autem charitate in proximum inſignis. Quodam die ad eum venerat pauper vidua, cum fletu, gemitu, & copioſis lachrymis exponens, quomodò unicus ejus filius

lius à Barbaris captus, manibûs, pedibúsque ligatus, in Africam ad duram, perpetuámque captivitatem abductus fuerit. Sanctus Epiſcopus commiſeratione interna mox tactus, utut cogitabat afflictæ matri opem ferre, media tamen ad manum non habuit, quibûs deſolatam in ſpem meliorem erigeret, captúmque filium in libertatem aſſereret. Statuit ergo ſeipſum locò captivi viduæ filij Barbaris vendere, &, ut ille ſalvus, ac liber in patriam reverteretur, ſuam perſonam in vincula dare, durúmque ſervitutis jugum, ut proximus redimeretur, ſuis humeris charitativè imponere. Dictum, factum. Paulinus in Africam proficiſcitur, ſeipſum in locum captivi ſubſtituit, & dum ille ad patriam revertitur, Vir Dei inter Barbaros remanet, quidquid ad mancipium pertinet, patientiſſimè tolerans, & præcipuè hortum, qui ei à domino ſuo demandatus fuerat, diligentiſſimè excolens, vicésque ſeduli hortulani indefeſſè exequens. Majora charitatis officia Unigenitus Dei Filius præſtitit deſolatæ naturæ humanæ. Hæc, ùt legimus, *facta eſt quaſi vidua, plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus, non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.* *Thren. 1.* Filius hujus viduæ quaſi primogenitus in manus infernalium Barbarorum incidit, libertatem filiorum Dei perdidit, in captivitatem peccati abreptus fuit, infeliciſſimum poteſtatis diabolicæ mancipium factus. Aſt Unigenitus cœleſtis Patris Filius compaſſione ductus, quia aliud Redemptionis medium non ſupererat, cœlum dereliquit, in mundum hunc deſcendit, ut redimeretur captivus homo, ſeipſum capi, in vincula conjici, & inſtar viliſſimi mancipij haberi voluit; & quidem vices hortulani in ſe ſuſcipiendô, ubi Eccleſiam ſuam, veluti hortum amœniſſimum, in hac terra plantare cœpit, colere, & omni virtutum flore infatigabiliter exornare, omnibus, qui ad Eccleſiam vocati ſunt, præcipiens: *Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate: Quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete: Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam.* *Eccli. 39.* Hîs non contentus, ut magìs ſemper homines pergerent, floribus hortorum ſe, ſuos mores, & totam vitam aſſimilare, in hodierno Evangelij contextu omnium oculis flores proponit, & ſeriam liliorum conſiderationem inculcat, hîs verbîs: *Conſiderate lilia agri, quomodò creſcunt, non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Et

hoc inter alias rationes, ſi augurari licet, haud dubiè ideò, ut homines inſtar liliorum in bonis operibus operoſè creſcere,& immarceſcibili virtutum decore mores ſuos jugiter exornare ſtudeant. Ejusmodi lilia in vobis, Fratres,& Sorores ſanctiſſimi Roſarij! intueri mihi videor, & quidem lilia perquàm virtuoſa, ad quorum conſpectum me hodie pauliſper detineam.

N. 2. *Fabula.* De ortu & progreſſu lilij, floris candidiſſimi, & venuſtiſſimi, varia pro more ſuo fabulati ſunt Poëtæ. Inter alia finxerunt, lilium ob nitidiſſimum candorem,& eximiam nobilitatem non inſtar aliorum florum de terra ſuum ortum traxiſſe, ſed potiùs ex puriſſimo Junonis Dearum Supremæ lacte primitùs pullulâſſe. Quod *Pierius L. 55.* ſi contigiſſe crediderant, ait Pierius, Juno aliarum Dearum Caput, & Regina, quodam die Herculem, Supremi Jovis filium ſuis aptatum uberibus lactabat. Inter lactandum autem accidit, ut, dum parvulus ſubitò os ab ubere retractabat, quædam materni lactis guttulæ in terram deciderent. Et ecce! virtus hujus lactis tanta erat, ut non in vanum terram tetigerit, ſed potiùs humum, quam reſperſerat, ita in inſtanti frugiferam reddidit, ut,quot guttulæ lactis effuſæ erant, tot illicò pulcherrima lilia floreſcere cœ- *Geſner. L. de Lacte.* perint. Unde Geſnerus lilia ita canentia inducit:

Dum puer Alcides Divæ ſatìs ubera ſuxit
Junonis, dulci preſſa ſopore fuit,
Ambroſióque aliò lac diſtillavit Olympo
In terris fuſum, lilia nata ſumus.

N. 3. *Applicatio* Aſt cedant hæc inania otioſæ antiquitatis deliria, & putrida ſomniantium Poëtarum figmenta Catholicæ veritati. Lilia, quæ hodie in Fratribus,& Sororibus ſanctiſſimi Roſarij contemplor,veriſſimè ex materno lacte non fictitiæ Junonis, ſed Auguſtiſſimæ cœli, terræque Reginæ ortum ſuum traxerunt. Quod ex ortu,& progreſſu ſanctiſſimi Roſarij, licèt pluribus aliunde noto, fortè tamen, ſi iterùm audiatur, non injucundo, manifeſtum relinquitur. Cùm B. P. Dominicus in regione Toloſana conſtanter concionibûs, diſputationibûs, ſcriptîs, ſignîs, & miraculîs Albigenſes hæreticos, Sacroſanctæ Matris Dei dignitati potiſſimùm infeſtos,oppugnaret, jámque triennium, & ampliùs ingenti labore,exiguo tamen fructu abſumpſiſſet, obſtinatam hæreticorum voluntatem,execranda ſcelera,horrendáſque impiorum in caſtiſſimam Deiparentem blaſphemias (hanc enim ore ſpurciſſimo ſcortum appellabant) diutiùs ferre

re non ſuſtinens, in proximam Toloſatibus ſylvam ſe recepit, ibíque Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ (cui ſingulare eſt maledicti ſerpentis caput proterere, omnémque hæreſin interimere) opem, præſidiúmque ardentibûs ſuſpiriîs, ac multo lachrymarum imbre, adjunctîs etiam duriſſimîs corporis caſtigationibûs, impenſiùs eſt deprecatus. Tertia tandem die, cùm inter verbera fractîs viribûs collaberetur, fortiſſimo Pugili adfuit benigniſſima Mater, hîs eum verbîs compellans: Fili mi Dominice! quia adverſùs fidei, meóſque hoſtes ſtrenuè depugnâſti, ecce tibi adſum, opem, auxiliúmque allatura. Dixerat: Cùm tres ſpecioſiſſimæ regio cultu ornatæ Virgines humi jacentem attollunt, & Deiparæ ſiſtunt, quem ipſa in Virgineos amplexus receptum caſtiſſimis uberibus appreſſit, largóque materni ſui lactis hauſtu refecit, dicens: *Dilecte mi Dominice! Beata certè Trinitas, ut omnia peccata deleret, arma non elegit alia, quàm Pſalterium Angelicum, quod eſt totius novi teſtamenti fundamentum.* Quocirca, ſi fructum exoptas tuæ prædicationis, commenda, & inculca Pſalterium meum, & brevi tantorum malorum erit finis. Dixit: Et beatum Dominicum de ſanctiſſimi Roſarij ritu, præſtantia, utilitate, & mira virtute pleniſſimè inſtruxit.

Hæc perpendentes, dum Sanctum Dominicum in ſinu glorioſæ Virginis reclinatum, maternis uberibus admotum, & ſuaviſſimo lacte paſtum contuemur, quid aliud cernimus, niſi Herculem à Junone Deorum prima in brachia ſuſceptum, & lactantem ubera Junonis? Hercules Chriſtianus, & plusquàm Hercules in Eccleſia eſt Sanctus Dominicus. Si Hercules adhuc in cunis duos obrepentes apprehendit ſerpentes, & forti manu contrivit: Sanctus Dominicus in utero materno à peccato originali, ùt teſtatur Loppez cum alijs, mundatus generoſè ſerpentem ſtygium ſuperavit. Si Hercules hydram cum ſeptem capitibus, omnibus alijs inſultantem, gladiô ſuô trucidavit: Sanctus Dominicus à ſeptem peccatis mortalibus lædi non potuit, utpotè in tota vita ab omni gravi peccato immunis, & eandem, quàm à nativitate habuit, puritatem tumulo inferens. Si Hercules glorioſus extitit, quòd boves, & vaccas furtô ablatas horrendo giganti Eurytioni iterùm eripuerit, & domum reduxerit: Sanctus Dominicus in ſola Lombardia, ùt coram Gregorio IX. tempore Canonizationis ejus probatum fuit, centum millia hæreticorum infernalibus faucibus ſubduxit, & Eccleſiæ Ca-

N. 4.

Loppez.

tholicæ reſtituit. Si Hercules, viribus ſuis confidens, pericula ſprevit,& quæcunque diſcrimina impavidè aggreſſus fuit: Sanctus Dominicus confidens in Deum ſuum adeò intrepidum, & fortem in omnibus periculis ſe exhibuit, ut nulla in mundo adverſa unquam timuerit, inter gladios,& fremitus hæreticorum ſecurus ſteterit, & per terras eorum, hymnos concinens, inceſſerit. Unde, cùm aliquando interrogaretur ab hæreticis; quid acturus eſſet, ſi in ipſorum manus incideret? reſpondit: Rogarem vos, ne compendiô celerem mihi mortem adferretis, ſed præciſa minutatim ſingula corporis membra meis oculis objiceretis, atque ad extremum evulsîs oculîs mutilatum corpus ſuo in ſanguine volutari ſineretis. Si Hercules ob pondus virium ſuarum paſſim à Poëtis alter Atlas dicitur, cùm æquè, ac iſte, ſufficiens fuiſſet ad portandam molem terræ: Sanctum Dominicum unà cùm Sancto Franciſco Seraphico Eccleſiam labentem ſuis humerîs ſuffulcire vidit Innocentius III. ùt refert in vita S. Patris Theodoricus.

Theodoric. de Apold. in Vit. S. P. Dominici.

N. 5. Dum igitur hic Chriſtianus Hercules in ſylva propè Toloſam materno lacte reficitur, potatur, & roboratur à celſa cœlorum Regina, veriſſimè id dicimus, quod de Hercule illo Ethnico fabuloſè commemorant Poëtæ, nempe guttulas quasdam lactis materni effuſas fuiſſe in terram, & quidem tam miræ virtutis, ut copioſiſſima, eáque pulcherrima lilia affatim produxerit, id eſt, Fratres, & Sorores Sanctiſſimi Roſarij quaſi innumeros. Vix enim Virgineo lacte refectus Sanctus Dominicus Toloſam fuit reverſus, Cathedralis Eccleſiæ campanæ ultrò conſonant ſimul omnes, concurrunt populi, Sanctus Pater Cathedram conſcendit, proponit populoſo Auditorio Roſarij præſtantiam, utilitatem, methodúmque recitandi; & ecce! non niſi amœniſſima lilia in Eccleſia videre erat; à potiori cuncti præſentes certatim Roſario adſcribi petunt, mores ſuos mutant, & inſtar candidiſſimorum liliorum innocentiâ vitæ, & puritate morum germinare cœperunt. Tot iterum lilia Roſarium Romæ protulit, teſte Flaminio, quando illud Sanctus Pater in Urbe prædicare cœpit; tantus enim erat totius civitatis concurſus, ut non ſolùm laici, ſed etiam Cardinales ipſi, & alij Eccleſiaſticis dignitatibûs inſignes paſſim devotionem Roſarij amplexi fuerint. Tot lilia hodiedum Roſarium progerminat, ubi & Pontifices, & Cardinales, & Reges, & Principes, & divites, & pauperes, ſenes, & juvenes pauciſſimos invenimus,

Flamin.

qui

qui nomina ſua Archi-Fraternitati noſtræ inſcripta non habent. Ut igitur vel maximè Roſario id conveniat, quod de lilio affirmat *Plinius.* Plinius, ſcilicet illud tantæ eſſe fæcunditatis, ut ex una radice nonnunquam quinquaginta, & ultra enaſcantur germina, & ex uno ſemine, in terram ſato, tota area liliis impleatur.

Et hæc (puta, & intellige Sodales ſanctiſſimi Roſarij) ſunt N. 6. lilia illa, quibus dilectam Sponſam vallatam, & circumdatam deprædicavit Divinus Sponſus: *Venter tuus, ſicut acervus tritici,* *Cant. 7.* *vallatus liliis.* Per triticum deſignatur Chriſtus, benedictus fructus ventris Beatæ Virginis Mariæ, qui ſeipſum grano tritici comparat. *Joan. 12.* Verè granum fertiliſsimum, ex quo ingens acervus, id eſt, Chriſtianorum, toto orbe exortus eſt, ex quo cœleſte horreum impletur! verè granum nobile, & copioſum, quo Angeli ſaginantur, populi ſatiantur, & ſpiritus jucundantur! granum imò potiùs acervus illius panis, qui de cœlo deſcendit, quo, qui paſcitur, non morietur in æternum! Per lilia verò intelligi haud abſonè poſſunt Sodales Mariani, qui, quaſi flores vernantes, Reginam Sanctiſſimi Roſarij circumdant, laudant, & venerantur in *Hieron.* terris, æquè ac Angeli in cœlis. *Angeli*, inquit Hieronymus *Laur.* Lauretus, *lilia ſunt, de quibus hodie mentio fit in Evangelio, id eſt,* *Apoc. 4.* *non laborantia, nec nentia, quia ſuam perfectionem habuerunt à* *Chron. S.* *principio, & candorem gloriæ.* Hæc lilia Mariam glorioſè val- *Franc. L.* lant in cœlis, ùt vidit Sanctus Joannes, *ſeptem* nempe *lampades* *6. c. 30.* *ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus*, id eſt, ſeptem An- *In Revel.* gelos primos aſtantes, & venerantes Auguſtiſſimam Dei Matrem, *B. Gertr.* quæ thronus Dei eſt. Ita revelatum fuit Beato Amadæo, ùt legi- *L. 4.* tur in Chronica S. Franciſci. Item Beatæ Gertrudi. Confirmant *Anton.* pervetuſtæ imagines Panormi, Neapoli, Venetijs, Romæ &c. in *Spinell. in* quibus viſitur Beata Virgo in throno ſedens à ſeptem Angelis cir- *Thron. Dei* cumdata; ùt teſtatur Antonius Spinellus. Unde Sanctus Damaſ- *par. c. 26.* cenus: *Tu es ſolium illud regium, cui aſtiterunt Angeli.* Idipſum *S. Damaſc.* quod Angeli in cœlis, id Sodales Roſariani agunt in terris; diu *Orat. 1. de* enim, noctúque ante Mariam Reginam congregantur, eam lau- *Dormit.* dant, & inſtar candentium liliorum eam circumdare, & vallare *Virg.* gaudent; ſicut ipſa cœlorum Domina revelavit Beato Alano: *Pſal-* *B. Alan. in* *tæ mei in mundo id agunt, quod Beati Spiritus in cœlo faciunt.* *Apol. c. 19.*

Fratres & Sorores Roſarij ſunt iterùm lilia illa, quibûs Rex N. 7. Salomon & templum ſuum, quod ædificârat, & decem candela-

bra

3. *Reg.* 7. bra aurea, quæ in templo ſtatuerat, exornavit. Et templum, & candelabra aurea figura erant Beatæ Virginis; ipſa enim templum futura erat magnificum, non à Salomone, ſed ab æterna Sapientia ædificandum, & inhabitandum, in quo pro ſalute hominum Deus homo eſſet immolandus, in quo Deus ipſe fieret Sacerdos, in cujus medio tuam, Deus, miſericordiam ſuſcepturi erant miſeri mortales, in quo Altare thymiamatis erat cor Mariæ, cœleſtibûs deſideriìs inflammatum, menſa propoſitionis erat mens puriſſima, ex lignis Sethim, virtutibûs præclariſsimìs conſtans, propitiatorium erant immenſa merita, in quorum intuitu Deus propitius fit peccatoribus. Non minùs Beata Virgo denotabatur per decem candelabra aurea; ipſa enim radiat tribûs virtutibûs theologicîs, & ſeptem donîs Spiritûs Sancti; ipſa oleô divinæ gratiæ plena eſt; ipſa tota lucida, tota clara cunctas illuſtrat Eccle-

S. Anaſtaſ. Nic. q. 53. in Script. ſias. Unde S. Anaſtaſius Nicenus: *Quid eſt candelabrum? S. Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materiæ expertem lucem geſtavit, Deum incarnatum, lumen de lumine. Cur autem totum aureum? Quoniam poſt partum manſit virgo.* Quæ autem in hoc templo, quæ ſuper hæc candelabra in novo teſtamento lilia? Sanè non alia, niſi Fratres, & Sorores Sanctiſsimi Roſarij; hos enim Beata Virgo jam ſæpiùs vocavit ornamentum ſuum, delicias ſuas, & coronam ſuam. Roſariô glorificari deſiderat, æquè ac liliìs hinc inde poſitîs glorificatum fuit templum Salomonis. Roſariani coronam liliìs contextam efformant, & Mariam coronant, non ſecùs, ac liliîs coronata fuerunt candelabra Salomonica. Ita te-

Alan. L. 1. c. 24. ſtatur ipſe æterni Patris, & Mariæ Virginis Filius Beato noſtro Alano: *Eſt Pſalterium corona gloriæ, conſtans gemmîs meritorum, & aurô charitatis; toties Mater mea coronatur, quoties ſalutatur.*

N. 8. Sunt autem Sodales Roſarij lilia nedum ſimpliciter, ſed etiam cum addito, nempe lilia perquàm virtuoſa, quia duplicem virtutem, quæ liliìs attribuitur, modo quodam eminenti in ſeipſis exprimunt. Prima liliorum virtus eſt quædam mira, & fortis efficacia attrahendi corda, ſenſus, & affectus hominum. Hunc in finem, ut Divina Sponſa affabilitatem, amœnitatem, & ſuaviſſimum agendi modum, quo cœleſtis Sponſus pollet rapiendi in ſuum amorem animos mortalium, aptè explicaret, comparavit labia ejus liliîs,

Cant. 5. dicens: *Labia ejus lilia.* Peregrinum dictum! Poſtquàm Sponſa venuſtiſſimam Sponſi formam à vertice usque ad pedem non minùs

nùs fuſè, quàm eleganter depinxerat, caput ejus auro puriſſimo, genas areolis, manus hyacinthis, crura columnis marmoreis comparandô, labia ejus aſſimilat liliis. Quæ comparatio labia inter, & lilia? Lilia omnem ſplendorem ſuum,& nobilitatem ſortiuntur à niveo candore, quo præ alijs floribus colorata ſunt: Econtra labia hominis omnem ſuam venuſtatem à purpura trahunt. Placet facies inſtar nivis candens, non autem labia pallida; hæc enim non niſi in purpureo colore æſtimationem habent, & grata ſunt in quadam roſea pulchritudine. Hoc Sponſum non latuit, qui in deſcriptione pulchritudinis Sponſæ diversô modô proceſſit, labia ejus non lilijs,ſed potiùs vittæ coccineæ aſſimilandô,dicens: *Sicut* *Cant. 4.*
vitta coccinea, labia tua. Aſt perbenè & Sponſam in ſua comparatione locutam fuiſſe, non eſt dubitandum, ait perdoctus Corne- *Cornel.*
lius à Lapide. Sponſæ enim mens, & intentum non erat extrin- *à Lap.*
ſecam labiorum Sponſi amœnitatem deſcribendi, ſed potiùs finis unicus erat agendi de intrinſeca,& arcana vi,& virtute, qua labia Sponſi animos omnium hominum,præcipuè autem cor,& affectum dilectæ Sponſæ ſuæ ad ſe attraxerat. Ut ergo hanc abſconditam energiam exprimeret, labia Sponſi non roſis, aut purpuræ,ſed lilijs comparavit, quibus inter cæteros flores ſpecialiſſima quædam vis, & emphaſis ineſt emolliendorum cordium, rapiendorum affectuum, & inclinandarum voluntatum.

Quod Sponſa labijs amantiſſimi Sponſi ſui attribuit, hoc ip- N. 9.
ſum inprimis labijs omnium orantium proprium eſt. Etenim *Laurent.*
magna prorſus eſt orationis virtus,divino conſpectui oblata per An- *Juſtinian.*
gelos, ſi charitate ſit ignita, fide plena, intentioni rectæ ſubnixa, *de perfect.*
humilitate ſociata, à delictorum ſordibus impolluta,boniſque operibûs *grat. c. 12.*
decorata: Verba ſunt Sancti Laurentij Juſtiniani. Per vim, & *1. Reg. 1.*
intrinſecam virtutem orationis Anna ſterilitatis malum avertit, *3. Reg. 18.*
Elias pluviam impetravit,Ezechias vitæ prolongationem obtinuit, *4. Reg. 20.*
Sara in cubiculo ſuæ domûs tribûs diebûs orans ab improperio an- *Tob.3.&9.*
cillæ liberata eſt, poſteà verò eodem medio cum Tobia à dæmonio protecta. Judith contra Holofernem pugnatura, oratorium ſuum *Judith. 8.*
ingreſſa, ciliciô induta, & cinere conſperſa, humique proſtrata, Domino priùs ſupplicavit; ſed & Oniæ, & civibus dixit: Nihil aliud fiat pro me, niſi oratio ad Deum. Eſther quoque Mardochæo *Eſther 4.*
dixit: Congrega omnes Judæos, quos reperies, & orate pro me. Sicque ſalutem ipſis peperit, malúmque paratum in hoſtium caput

Dan. 3. put convertit. Tres pueri in fornace Babylonica benedicentes,
Dan. 9. & orantes Deum ab incendio liberati ſunt. Daniel, quia etiam
contra Regis decretum ter de die orationem continuavit, à leoni-
Dan. 13. bus eſt cuſtoditus. Suſanna, quia flens ſuſpexit in cœlum, fidu-
ciámque habebat in domino, ab adulterij crimine, & morte libera
Jon. 2. declarata eſt. Jonas, in ventre ceti clamans ad Dominum, ab eo-
dem cete incolumis in terram ejectus eſt. Judas Machabæus,
1. Mach. 6. quoties oravit Dominum, viciſſe legitur; bis verò victus ab An-
9. & 11. tiocho, & Bácchide orâſſe non legitur.

N. 10. Inprimis autem ejusmodi lilia perquàm virtuoſa ſunt labia
Fratrum, & Sororum Sanctiſſimi Roſarij; illis enim mira quædam
vis, & virtus fortiſſima trahendi nedum ſenſus hominum, ſed etiam
Petr. cor, & benevolentiam divinam ineſt. Roſarium enim inter cæ-
Giorg. teras orationes, ait Petrus Giorg. ſicut Roſa inter flores, principa-
Diſc. 12. tum facilè tenet, & quaſi Regina inter omnes devotiones primum
Roſ. ſibi locum vendicat. Roſarium, ùt teſtatur Congregatio Leodi-
Congreg. enſis Annuntiatæ, omnes Sodalitates, ideò & omnes preces ſuperat
Leod. An- dignitate, & fructu impetrandi omnia. Rerum naturalium tria
nunt. in ſunt (diſcurrit noſter P. Sterni) quibus occulta, & à Philoſophis ad
Manual. p. hæc usque tempora non inveſtigata ineſt virtus trahendi quædam
1. c. 2. corpora. Electrum calefactum attrahit paleam, magnes ferrum,
P. Sterni Amphytane lapis lucidus aurum. Similî vî pollet Roſarium tra-
in ſuo ſer- hendi Deum in vota hominum, & homines ad amorem divinum.
to cæleſti Mariano Pſalterio (verba ſunt B. Alani) vim maximam ineſſe o-
Roſ. 18. portet, cùm vim hauriat ex Vita, Paſſione, & Gloria Unigeniti Dei
B. Alan. p. Filij, Deiparæ, Sanctorúmque accedentibus meritîs. Virtutem
2. c. 13. hanc Sacratiſſimi Roſarij expertus eſt Sanctus Pater Dominicus,
qui liberrimè, & veriſſimè faſſus eſt, ſe nihil unquam à Deo poſtu-
lâſſe, quod non pro voto impetrâſſet, ſe nunquam orâſſe Roſarium,
quin Deum ſibi benevolum reperiſſet, ſe nunquam pro gratia ali-
qua obtinenda inſtitiſſe apud Dominum gloriæ, quin cor Divinum
Michovi- in preces ſuas inclinaverit. Hoc idem dictitâſſe Sanctum Tho-
enſ. Diſ- mam Aquinatem, & Sanctam Catharinam Senenſem, affirmat Mi-
curs. 15. chovienſis. Nec mirum hoc videbitur ei, qui Scripturam legerit.
Si enim in Judith tanta fuit vis, & emphaſis movendi cor Holo-
fernis, & affectum totum ſibi rapiendi, adeò, ut, quidquid petiît,
Judith 10. nihil ſibi denegatum fuerit, & hoc ideò, quia coram Holoferne
comparuit in veſtimentis jucunditatis, & aſſumpſit *dextraliola*,
&

& lilia, & inaures, & annulos; quanta vis trahendi cor Divinum reſidere putanda erit in Sodalibus Roſarij, quæ non tam liliîs ſe ornant, quàm ipſi, ùt lilia moralia, à lacte Mariæ progenita, coram Deo comparent?

Secunda virtus, qua inter alios flores lilia eminent, eſt ſuavitas odoris; gratia enim, & pretium odoris in lilijs tantum eſt, ut ipſa Sacra Scriptura in exemplum proponat, & commendet hanc ſuavitatem hominibus præcitatîs verbîs: *Florete flores ſicut lilium, & date odorem, & frondete in gratiam.* In qua qualitate & Sodales Roſariani ſunt lilia perquàm virtuoſa. Quid nî enim Roſarianis aptetur illud, quod legimus? Poſtquàm diluvium jam ceſſaverat, Noéque cum ſuis juxta præceptum Domini ex arca egreſſus fuerat, Sanctus Patriarcha inprimìs Deo ſuo, qui tam miſericorditer eum ab interitu ſervaverat, gratus eſſe voluit: Unde ædificavit Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis in gratiarum actionem obtulit holocauſta. Adeò placitum hoc ſacrificium erat ante oculos Divinæ Majeſtatis, ut ſubnectat Sacer Textus: *Odoratúsque eſt Dominus odorem ſuavitatis, & dixit: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Res mira! Vix non omnes paginæ Divini Codicis plenæ ſunt ſacrificiîs, quæ varij variè obtulerunt Deo ſuo; & tamen nullibi additur, quòd inſtar odoris ſuaviſſimi aſcenderint ad thronum Divini Numinis, ſicut ſacrificium Noë in hoc deprædicatur à Spiritu Sancto. Abraham, ut Sacrificium laudis, & gratiarum actionis immolaret Deo omnipotenti, ædificavít Altare in Sichem; item in campis intermedijs in Bethel, & Hai; denuò ad convallem Mambre; item in monte Moria; & tamen nullibi legimus, quòd odoratus ſit Dominus odorem ſuavitatis horum ſacrificiorum. Iſaac ſacrificavit Deo ſuo in Berſabee; Jacob ad urbem Salem; iterùm ad juſſum ipſius Dei in Bethel; Moyſes in tranſitu deſerti; & tamen de odore ſacrificij nulla ſit mentio. Salomon in Dedicatione templi mactavit hoſtias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia; non tamen ſimile quid Scriptura memorat, ac de ſacrificio Noë. Idem dicitur de alijs ſacrificijs veteris teſtamenti, quæ ſinè numero fiebant à dilectis Deo Patriarchis. Unicum ſacrificium Noë additum habet: *Odoratúsque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Et hoc ideò, quia ſacrificium Noë peractum fuit propè arcam, quæ

N. 116

Eccli. 39. *Gen. 8.* *Gen. 12.* *Gen. 13.* *Ibid.* *Gen. 22.* *Gen. 26.* *Gen. 33.* *Gen. 35.* *Exod. 17. & 24.* *3. Reg. 8.*

Heſych. figura erat glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, ait Heſychius; Maria enim Arca eſt, arcâ Noë latior, longior, illuſtrior, quæ à perditionis æternæ diluvio nedum incolumes ſervat homines, ſed & recipit bruta animalia, id eſt, peccatores, qui brutis æquiparantur,
Pſalm. 72. juxta illud: *Ut jumentum factus ſum apud te.* Arca Noë eſt Ma-
S. Bonav. ria, teſtatur S. Bonaventura, quia, ſicut non niſi pauci illi, qui ad arcam à Noë fabricatam ſe receperunt, ab aquis diluvij demerſi non fuerunt; ita Maria Lemma habet: *Hæc tibi ſola ſalus.* Un-
Maſſen. de Jacobus Maſſenius:

Qui malè Noëticam tardus neglexerit arcam
Dicitur æquoreô merſus obiſſe ſalo.
Extra hanc nulla ſalus arcam eſt, extráque Mariam,
Illa ſalus paucis, pluribus iſta fuit.

N. 12. Si igitur ideò ſacrificium à Noë oblatum tantam odoris ſuavitatem diffudit, quia haud procul ab arca factum eſt; quid dicam de amœniſſimo, & ſuaviſſimo odore, quem diſpergunt lilia Mariana, id eſt, Sodales Sanctiſſimi Roſarij, qui ſemper Reginæ ſuæ, veluti Myſticæ Arcæ Noë, ſunt proximi, ad Arcam Mariam profundiſſimas radices agunt, ab Arca Maria totum ſuum incrementum trahunt? an non hi cum Apoſtolo gloriari poterunt:
2. Cor. 2. *Chriſti bonus odor ſumus?* an non de iſtis dicitur: *Oblatio juſti*
Eccli. 8. *impinguat Altare, & odor ſuavitatis eſt in conſpectu Altiſſimi?* an non de his locutus eſt Scriptor eximius: *Quid fragrantius, &*
Annal. *odoratius, quid omnium virtutum genere redolentius, quid pulchrius,*
1213. c. 13. *& ſuavius ſacrô Roſariô, in quod veluti effuſum eſt divinarum omnium gratiarum, & donorum pretioſiſſimum nectar?* an non, alios
Carthagen. ſilendô, laudatiſſimus Carthagena de his veriſſimè teſtatur: *Ro-*
Hom. 7. *ſarium eſt thymiama ſummæ fragrantiæ, & odoris, per quod cuncta opera noſtra Chriſto, & Mariæ offerimus in odorem ſuavitatis?*

N. 13. Participant autem lilia Roſariana ſuavitatem odoris nedum ab Arca Maria, penès quam creſcunt, & augmentum accipiunt, ſed inſuper ab ipſo Chriſto Domino, qui ſeipſum lilijs accenſet,
Cant. 2. dicens: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Quod accidit eo
Gen. 27. fermè modo, quo id annotatum legimus, ubi Jacob, ut benedictionem patris ſui Iſaac præ Eſau fratri ſuo ſeniore ſibi impetraret, hac arte uſus eſt. Mutuas accepit veſtres fratris ſui Eſau, quas Rebecca mater horum geminorum apud ſe in cuſtodia ſervabat, híſque indutus coram patre, cui præ ſenio jam oculi caligaverant, com-

comparuit, ſupplicans: *Benedicat mihi anima tua.* Et ecce! vix ad patrem acceſſerat, ſtatim Iſaac, ùt Sacer Textus loquitur, ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, & benedixit Jacob, dicens: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Idipſum hodiedum faciunt Fratres Sanctiſſimi Roſarij. Chriſtus Dominus datus eſt nobis, ùt loquitur Doctor Gentium, *ut ſit primogenitus in multis fratribus.* *Rom. 8.* Ipſius veſtimenta ſunt fragrantiſſima, id eſt, merita ipſius, ùt ſunt infinita, ita odorem ſuaviſſimum ſpirant in cœlo, & in terra. Hæc veſtimenta, ſic loquendô, cuſtodienda tradidit dilectiſſimæ Matri ſuæ in Archi-Fraternitate Pſalterij Mariani, quod eſt collectio Myſteriorum totius Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Unigeniti Dei Filij. Hîs veſtimentîs Sodales Roſariani toties quodammodò induuntur, & ornantur, quoties Roſarium devota mente recitant, & Myſteria Sanctiſſima per piam meditationem ſibi applicant. Quid mirum proinde, ſi inſtar Jacob ſuaviſſimum odorem de ſe diffundant, & ipſe Pater cœleſtis, dum ſentit horum veſtimentorum fragrantiam, dicat: Ecce odor filiorum meorum, ſicut odor agri pleni, ſicut liliorum amœniſſimè odorantium, quibus benedixit Dominus?

Florete igitur, & ſemper florete, ô Roſariani! florete, ſicuti lilium, & date odorem, & frondete in gratiam. N. 14. Eſtote, ùt Sanctus Epiphanius fatur, *lilia immaculata producentia roſas immarceſcibiles.* *S. Epiphan. Orat. de Laud. B. Virg.*

Hiſtoria.

MAgna ſæpè virtus in humili, & ſimplici homuncione latet. Annô 1350. in Britannia minori degebat vir ſimpliciſſimus, corde tamen perquàm rectus, qui in ſancta ſua abjectione placuit Deo, & multùm refulſit in facie Eccleſiæ. Nomen ipſius erat Salaum; conditio ſtatûs extrema rerum omnium penuria, ita, ut ſolâ eleemoſynâ viveret; hebetudo ingenij tanta, ut aliud addiſcere non potuerit à juventute ſua, niſi duo unica verba: *Ave Maria.* Horum autem verborum eam imbiberat æſtimationem, ac venerationem, ut ſingulìs ea diei horîs, ac momentîs ad quoslibet greſſus, & actiones, ſive divinis intererat laudibus, ſive cùm aliud quidpiam ageret, in ore habuerit, in mente devotè ruminâ-

 rit,

rit, linguâ veneratiſſimè pronuntiârit; præcipuè autem verba dulciſſima, *Ave Maria*, ad minus ſexies, vel ſepties repetebat ad ſingulas fores, quando vicos, oppida, urbes, & domos obibat, ſtipem collecturus. Habitatio ipſius fixa erat ſub dio in campis apertis, plerumque ſub arbore umbroſa: Pro lecto ei inſerviebat nuda humus, pro cervicali durus lapis, pro culcitra amœnus ceſpes. Laticem præbebat ſaliens in vicinia fons, cujus aquis panem emendicatum intingere ſolebat, ut ſapidiùs eo victitaret. Frequenter, maximè in ſummo hyemis rigore, ubi frigoris aſperitas magìs ingruebat, nix alta campos obtexerat, & gelu cuncta rigebant, ſeſe arborum ramis inflectendô hinc inde per aërem vibrabat, volutabátque, ut membra frigentia tali motu pauliſper calefierent, ſexies alta ſemper, & jucunda voce inclamandô: *O Maria!* ô Maria! Ex hac peregrina, & ſæculo adhuc incognita vivendi ratione evenit, ut pius Salaum ab alijs æſtimaretur ùt ſanctus, ab alijs rideretur ùt ſtultus, ab alijs reputaretur ùt ſtultiſſimus mortalium univerſorum. Dubium autem hoc penitùs ſuſtulit ſequens miraculum. Poſtquàm ſeniô confectus, & tot ærumnîs miſerrimæ vitæ fractus extremum clauſerat diem Salaum, mox aderant ex vicinia ruſtici, & mortuum in umbroſo, quo vixerat, habitaculo cadaver demandârunt humô. Aſt non ſinè ingenti miraculo, quo Deus ter Optimus Maximus & ſanctitatem ſervi ſui, & virtutem verborum illorum, *Ave Maria*, toti mundo declarare voluit. Ex ſepulchro enim demortui Salaum pullulabat, & progerminabat elegantiſſimum lilium, cujus folijs aureo charactere erant inſcripta duo verba illa, viventi uſitatiſſima: *Ave Maria.* Magnum Speculum Exemplorum Titulô: *Simplicitas.*

SER-

SERMO QUADRAGESIMUS TERTIUS.

Dominica decima quinta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Noli flere. *Luc.* 7.

Regina Sacratiſſimi Roſarij eſt Protectrix, & Auxiliatrix pupillorum, ac viduarum.

TRes mortuos invenimus à Salvatore noſtro fuiſſe viſibiliter N. 1.
ad vitam reſuſcitatos, Lazarum ex ſepulchro, filiam Archiſynagogi in domo patria, & hodiernum viduæ filium, dum efferretur ad tumulum. Lazarus graviter infirmabatur, mittunt ad Jeſum Martha, & Magdalena, dicentes: *Ecce, quem amas, infirmatur.* *Joan.* 11. Aſt videbatur hoc nuntio nequaquam moveri piiſſimus Redemptor, ſed potiùs quaſi non attendens manſit ulteriùs in loco, quo nuntium acceperat, donec tandem poſteà tertia die ſe itineri dedit, & venit Bethaniam, jam inveniens Lazarum ſepultum. Petiît igitur à Martha, & Magdalena ſibi oſtendi locum ſepulturæ, infremuit ſpiritu, turbavit ſeipſum, & lachrymatus eſt, ait Sacer Textus, acceſſit ad tumulum, lapidem juſſit removeri, levavit oculos ad cœlum, gratias egit Patri, oravit, & tandem mortuum vocavit: *Lazare, veni foras.* Et ſtatim *Marc.* 5. prodiît defunctus. Similiter moritur filia Archiſynagogi, mœſtus

ſtus pater adit Medicum cœleſtem, & Chriſtus filiam hanc demortuam reſuſcitaturus quanta agit? Plorantes in circuitu acriter reprehendit, ſubſannantes, ſibique illudentes patienter ſuſtinet, tibicines in domo defunctæ ludentes, & omnem turbam cum illis tumultuantem ex ædibus expellit, parentes demortuæ puellæ jubet adeſſe, diſcipulos ſecum ad domum introducit, manum defunctæ elevat, cadaver alloquitur, & tandem, quæ erat exanimis, parentibus ſuis viva reſtituitur. Hodie autem, dum venit in civitatem Naim, & vidit filium unicum matris ſuæ portari ad tumulum, multis opus non erat, ſed potiùs absque omni ambage cæremoniarum, absque ulla temporis prolongatione, absque præcedentibus precibus, aut interceſſione tertij ſtatim, ut matrem mœſtiſſimam hujus funeris vidit clementiſsimus Dominus, *miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum - - & ait: Adoleſcens, tibi dico: Surge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Cauſam, cur Magiſter cœleſtis Lazarum, & filiam Archiſynagogi non niſi præviîs variîs ritibûs, & ambagibûs, hodiernum autem defunctum ſinè mora, & absque ullo tardo molimine ad vitam reſuſcitaverit, inquirit S. Ambroſius, & tandem eleganter totam hujus celeberrimi miraculi accelerationem refundit in id, quòd filius hic defunctus fuerit pupillus absque patre, quem ei jam ante annos aliquos mors abripuerat: Mater autem, ùt ipſa Scriptura teſtatur, erat vidua, poſt mortem primi conjugis ad ſecundas nuptias non tranſiens. Ideò igitur, ait S. Ambroſius, divina miſericordia in reſuſcitando hoc mortuo non tardavit, quia viduarum, & pupillorum miſericors Deus ſpecialem curam gerit, & ijs citiùs præ omnibus alijs ſuccurrere ſolet. Ipſe enim (etſi miſericordiâ ejus plena ſit terra) ſpecialiter tamen dicitur *Pater orphanorum, & Judex viduarum. Ipſe non deſpiciet preces pupilli*, ait Eccleſiaſticus. Ipſe promiſſum dedit: *Viduam ejus benedicens benedicam*, id eſt, cumulabo continuatis benedictionibûs. Simile quid de Auguſtiſſima Roſarij Regina affirmare licet in ordine ad eos, qui in Roſario ad Mariam confugiunt; ipſa enim eſt Protectrix, & Auxiliatrix pupillorum, & viduarum.

S. Ambroſ. L. 6. in Luc.

Pſalm. 67.
Eccli. 37.
Pſalm 131.

N. 2. Totum hoc hodiernum ſiſtema innititur Authoritati Sancti Bonaventuræ, qui jam dudùm Sanctiſſimæ Dei Genitrici hoc elogium addidit: *Oculi Mariæ in pauperem reſpiciunt, & manus ejus* ſuper

S. Bonav. in Pſalt. B. Virg.

ſuper pupillum, & viduam ſunt extentæ. Ipſa enim apertìs ſemper oculìs miſerias pupillorum, & viduarum conſiderat, videt anguſtias, & in omnem ſemper partem circumſpicit, ſimilis, ait Guilielmus, illis animalibus, quæ vidit Ezechiel ante, & retro, intùs, & forìs, atque in circuitu plena oculîs, omnium labores, miſerias, calamitates, indigentias, dolores, pericula, & quæque mala intuens, acutè videns ùt aquila, fortis ût bos, humanitatem exhibens ùt homo, vigil ùt leo, qui etiam, dum dormit, oculos apertos habere dicitur: Nam & Maria de ſeipſa teſtimonium perhibet: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Aſt non ſufficit, oculos ſemper in pupillos, & viduas eſſe apertos, inſuper manus Mariæ actu ſemper, & in effectu in illos ſunt extentæ, quaſi paratæ ad elargienda munera, paratæ ad ſuccurrendum, paratæ ad ſublevandum; & hoc quàm velociſſimè. Hinc ob promptitudinem in operando, & ob celeritatem in benefaciendo dicitur: *Manus ejus tornatiles.* Sicut enim, quod tornô agitur, promptè, & velociter movetur, adeò, ut non videatur, quod taliter movetur; ita Maria tam prompta eſt præ cæteris omnibus Sanctis ad ſuccurrendum pupillis, & viduis, quàm tornandi ars cæteris artibûs in operando velocior, ac promptior exiſtit.

Guilielm. in c. 3. Cant. *Ezech. 1.* *Cant. 5.* *Ibid.*

Loquendô inprimìs de pupillis figuram legimus in libro Ruth. N. 3.
Venerat Ruth Moabitis cum ſocru ſua Noëmi in terram Bethlehem, &, quia domi erat curta ſuppellex, parciſſimè vivere compellebatur. Panem ſuum in agris Booz reſiduis ſibi parabat ex ſpicis, quas in prædictis agris abiens poſt terga meſſorum ſedulò colligebat, & domum portabat. Qui modus lucrandi panem planè erat parciſſimus. Æquè enim ac ille, qui non alio vino potatur, quàm quod ex uvis vendemiantium manus prætereuntibus expreſſit, miſerè potatur; ita & illum, qui alium victum non habet, quàm quem ſibi ex ſpicis, à meſſoribus caſu fortuito in meſſe relictis, comparat, arctiſſimo pane ſaturari neceſſe eſt. Quæri tamen poteſt, cur hoc, & non potiùs modô magìs proficuò ſibi Ruth de pane providerit? Erat tunc Ruth in florenti ætate, integrîs viribûs, ad varios alios labores aptiſſima, & domi, & forìs occaſiones non deerant, ubi opere manuum ſuarum ſibi poterat lucrari panem ſuum. Poterat domi arripere fuſum, & more aliarum fœminarum in ducendo filo, in lino, & lana ſe occupare, ſicque & ſibi, & nurui ſuæ de neceſſarijs vitæ conſulere,

Ruth. 2.

qualiter legitur de illa Matrona, quam ipſe Spiritus Sanctus ſummîs propterea laudibûs extollit, hîs verbîs: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Quæſivit linum, & lanam, & operata eſt conſiliô manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum. Facta eſt quaſi navis inſtitoris, de longè portans panem ſuum;* puta, ſibi & ſuis per inintermiſſa laboris exercitia ſufficientiſſimè neceſſaria vitæ procurans. Poterat Ruth acum ad manum ſumere, & nendô, vel texendô nedum ſe honeſtè ſuſtentare, ſed & alijs penuriam patientibus labore manuum ſuarum gratificari; ſicut hoc commemorant Acta Apoſtolorum de pia Matrona, quæ Tabitha, ſeu Dorcas vocabatur, & plena bonîs operibûs mortua irremediabilibûs lachrymîs à tota vicinia plorabatur, & Divo Apoſtolo Petro, ut eam reſuſcitare vellet, millenîs precibûs oſtendebatur: *Circumſteterunt illum* (S. Petrum) *omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Poterat Ruth operariam agere, & pro mercede conducta laborare; ſicut hodiedum variæ mulieres, non recuſantes onus æſtûs, & diei, ſibi, & domui ſuæ honeſtam ſuſtentationem comparare ſatagunt. Poterat denique Ruth ſervitium aliquod adire, ſicque cuidam dominæ ancillandô pauperem ſortem ſuam meliorare; prout mille ejusmodi ancillas omnia ſæcula produxerunt. Aſt hîs omnibûs omiſſîs in ſolis ſpicis colligendis Ruth ſe occupat. Quare hoc?

Proverb. 31. — *Act. 9.*

N. 4. Non abs re, reſpondet S. Bonaventura. Ruth figura erat Deiparæ Virginis, noſtri Roſarij Auguſtiſſimæ Reginæ: Per ſpicas autem in agro reſiduas aptè intelliguntur orphani, ſeu pupilli, quos improba mortis falce contingit manere ſuperſtites, poſtquàm ſeu ſolus pater, ſeu pater, & mater ſimul morte abripiuntur. Pater eſt, qui dat eſſe, vitámque filio, qui præbet alimenta, & tegumenta, qui curam filij agit, qui currit, ſudat, vigilat, laborat, diu, noctúque ſolicitus eſt, ne quid deſit dilectæ proli; ſi ergo filio pater deficit, illi omnis boni deficit principium. Hoc autem à potiori accidit, ſi pupillus patre ſimul, & matre orbetur; tunc enim ſunt inſtar volucrum, quæ utrâque alâ privatæ jacent, inſtar currûs, cui ambæ rotæ ſunt fractæ, inſtar pulli corvorum, qui in abrupta petra ſolo rore cœleſti paſcitur. Verè ejusmodi pupilli ſimiles ſunt ſpicis in agro derelictis: Incurij jacent, prætereun-

S. Bonav. in Spec. B. Virg. — *Similia.*

tereuntur ab univerſis, de ijs colligendis vix unus cogitat, pauciſſimi ſunt, qui illos ad ſuam domum, aut ſuum horreum recipere dignantur. Quod præcipuè tunc advertitur, ſi ejusmodi orphani ſunt ſpicæ vacuæ, id eſt, pauperes, aurô, & argentô deſtituti, nullam, aut exiguam hæreditatis portionem à parentibus nanciſcentes: His enim non raròꝰ & ipſa xenodochia occluduntur, piæ fundationes denegantur, & diſtribuendæ eleemoſynæ ſubtrahuntur. Reperiuntur hîs temporibûs plurima ejusmodi ſaxea corda, & idola, omni ſenſu miſericordiæ carentia, & inſenſibilia, quæ ſuo tempore deſcripſit Propheta Baruch: *Infirmum à potentiori non eripiunt - de neceſſitate hominem non liberabunt, viduæ non miſerebuntur, neque orphanis benefacient. Lapidibus de monte ſimiles ſunt.* Etiamnum ſuper miſeram pupillorum ſortem plorare licet, ac olim ploravit Job: *Subverterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ. Agrum non ſuum demetunt, & vineam ejus, quem oppreſſerint, vindemiant. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliaverunt. Nudis, & incedentibus absque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas.* Fruſtraneæ ſunt minæ divinæ, quæ jam olim in hujusmodi immiſericordes datæ fuerunt: *Viduæ, & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum: Et indignabitur furor meus, percutiámque vos gladiô, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.*

Baruch c.6.

Job. 24.

Exod. 22.

Aſt, confidite miſeri! ecce clementiſſima Roſarij Regina, veluti altera Ruth, circuit in agro hujus mundi, ſolicitè inveſtigat, & in colligendis ſpicis indefeſſè occupatur, id eſt, Maria, communis omnium afflictorum Conſolatrix, benignô oculô videt veſtras calamitates, materna viſcera commoventur ad miſericordiam, non ſinit vos, veluti ſpicas derelictas, perire, aut conculcari pedibûs hominum, aut in prædam cedere volucribus rapaciſſimis, id eſt, inimicis veſtris; ſed potiùs, plusquàm mater, plusquàm pater, veſtrûm omnium curam gerit. Ipſa clamitat: *Sinite parvulos venire ad me. Venite, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ipſa ſibi vendicat id, quod prodit Solinus, nempe in Æthiopia apud Macrobios eſſe locum, dictum Heliutrapezia, abundantibûs epulîs ſemper redundantem, quæ etiam divina virtute augentur continuò. Hoc, an verum ſit, nec ne? non inquiro. Veriſſimum tamen hoc aſſevero de Regina Sacratiſſimi N. 5.

Marc. 10.

Matth. 11.

Solin. cit. à Petro Berchorio L. 13.

Roſarij; ipſa ſemper abundat ferculis, gratijs, patrocinio, & protectione orphanorum, & derelictorum. Accede, ô homo! aſſociare ei per devotionem, & inſcriptionem Sanctiſſimi Roſarij, & ipſe experieris favores innumeros clementiſſimæ Matris, quæ, licèt benefaciat tam bonis, quàm diſcolis, tam juſtis, quàm peccatoribus, nunquam tamen ejus beneficia abſumuntur, citiúsque cœlum deficeret, quam prædictæ gratiæ minuerentur.

N. 6. Duplicem hujus argumenti figuram ſubminiſtrat S. Pagina; & quidem primam in Actibus Apoſtolorum, ubi Petrus, & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et ecce! miſellus quidam, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Hic miſellus, cùm vidiſſet Petrum, & Joannem, rogabat, ut eleemoſynam acciperet. Et dixit illi Petrus: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JEſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextra allevavit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Miſellus iſte imago eſt, & prototypon orphanorum; ùt de ſe patet. Templum juxta Sanctos Patres Jeroſolymitanum denotabat regnum cœlorum. Porta verò hujus templi, quæ dicitur Specioſa, ſignificabat Beatam Virginem; illam enim alloquitur Sponſus: *Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* Illa à tota Eccleſia in Lytanijs Lauretanis ſalutatur *Janua cœli;* quia, quemadmodùm Salomon in templo ſuo, per totum orbem famoſo, fecit oraculum, & in ingreſſu oraculi oſtiola de ligno olivarum, teſte ſacro eloquio, ita & Chriſtus verus Salomon in templo gloriæ ſuæ fecit januam de lignis olivarum, ſuam nimirum chariſſimam Genitricem Mariam; & quidem *januam omnibus perviam, per quam,* teſte S. Germano, *omnes tranſire debent ad regna cœlorum.* Singulariter autem Maria in Roſario comparatur portæ templi, quæ dicebatur Specioſa. Inprimìs enim in Roſario perquàm ſpecioſa comparet, utpotè floribûs circumdata, & venuſtiſſimìs roſìs tota exornata. Deinde in Roſario janua, ſeu porta cœli nominatur, quia per devotionem Sanctiſſimi Roſarij univerſis pateſcit aditus ad regnum cœlorum; ùt ipſa clementiſſima Virgo revelare dignata

Act. 3.

Cant. 2.

Eccleſ. in Lyt. Lauret.

3. Reg. 6.

S. German. Serm. de Zon. B. V.

nata

nata eſt Beato noſtro Alano. Adeſte igitur miſeri, huc currite pupilli, & orphani, ad hanc portam ſpecioſam, ad Mariam in Roſario, vos ſiſtite, & auxilium vobis non deerit; ſicut non defuit præallegato miſello ad portam templi in Jeruſalem. *Mariæ corona oſtium eſt, Roſarium oſtium, per quod tibi aditus patebit,* ait Henricus Jonghen ex Ord. Minorum. Et iterùm: *Roſarium cunctis conſtitutis in neceſſitate charitativam exhibet beneficentiam non tantùm in gratiæ donis, ſed in corporalibus quoque neceſſitatibus miſerorum, & pauperum indigentiis liberalî miſericordiâ ſuccurrendô.* *B. Alan. de Pſalt. Virg. c. 11. Henric. Jongben. Exbort. 15. Idem Exbort. 12.*

Similem figuram de Regina ſacratiſſimi Roſarij, tanquam de communi pupillorum aſylo legimus in Exodo, ubi regium edictum exiît per Ægyptum, ut omnes nati maſculi Hebræorum inter ipſa vitæ primordia interficerentur. Natus hoc tempore Moyſes duram hanc legem, etſi per tres menſes in domo materna occultatus, ultimatim haud ſubterfugere potuit. Unde, ne ipſa mater crudelis foret in filium, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, poſuítque intùs infantulum, ſícque hunc pupillum patre, & matre hoc modo orbatum commiſit præterlabenti flumini; & quidem ad proſperam fortunam pueri: Ubi enim filia Pharaonis ad ripam aquæ deambulans vidit prædictam fiſcellam, eámque ſibi afferri juſſit, mox inventum infantulum ſibi in locum filij adoptavit. Simile quid hodiedum contingit. Per puerum Moyſen intelliguntur omnes pupilli, qui in mari magno hujus mundi quotidianis exponuntur vitæ miſerijs, & periculis. Fiſcella denotat Roſarium, utpotè quodammodò ex varijs roſarum ramis compoſitum, & quaſi ſcirpeum. Filia Pharaonis prototypon eſt Beatæ Virginis Mariæ, quæ, ubi videt hominem in fiſcella ſanctiſſimi Roſarij adnatantem, mox accurrit, pupillum in ſuam tutelam ſuſcipit, eúmque ſibi adoptat in filium. Ipſa enim, teſte B. Alano, *plùs amat quemlibet in ſuo pſallentem Pſalterio, quàm poteſt facere totus mundus matrum habentium unicum filium.* N. 7. *Exod. 2.* *B. Alan. 4. p. c. 24.*

Eandem cum pupillis protectionem in Regina ſacratiſſimi Roſarij adipiſcuntur deſolatæ viduæ, ſi cum devotione ad Marianum Pſalterium recurrant. Afflictiones viduarum ſunt multiplices. Maritus, ſeu vir reſpectu mulieris eſt veluti caput reſpectu corporis, de quo Apoſtolus: *Caput mulieris eſt vir.* Caput in corpore humano eſt, ex quo, ſicut ex principio, omnes motus procedunt, N. 8. *Epheſ. 5.*

ſingulíque ſenſus in ſuis operationibus dependent: Ipſum eſt, quod corpus dirigit, & defendit, ita, ut deficiente capite totum corpus truncum maneat, & inutile. Idem obſervari licet in vidua: Cùm enim vir mulieri datus fuerit, ut eam gubernet, dirigat, defendat, protegat, amplectatur, deficiente viro viduæ deeſt omne auxilium, omnis vigor, omnis protectio. Experientia ipſa docet, viduas plerumque in ea conſtitutas eſſe conditione, ut ludibrio ſint juvenibus, opprimantur à potentibus, peripſema fiant toti mundo. De Beata Margarita referunt Annales Ordinis noſtri, quòd poſt mortem conjugis ſui Theodori, Montis ferrati Marchionis, utut ſtirpe Regia Ducum Sabaudiæ nata erat, attamen quotidianas viduitatis ſuæ calamitates magis, & magis ſemper multiplicari viderit. Aliqando Chriſtus Dominus ei apparuit data optione, ex tribus acutiſſimis lanceis, nempe calumnia, ægritudine, ac perſecutione, quam vellet, eligendi: Ubi piiſſima vidua, ut pleniſſimè Chriſto Crucifixo configuraretur, omnes tres ſibi oſtenſas lanceas ſimul ſuſtinendas elegit. Nec fefellit eventus. Hæ tres lanceæ frequentiſſimè omnium viduarum obverſantur oculis. Vix dilectus conjux reconditur in tumulo, calumniarum non eſt numerus. Iidem, qui vivente viro matremfamilias flexo propemodùm poplite venerabantur, ſocij erant in menſa, in dies ad conteſtandum cordis affectum domum frequentabant, poſt mortem nullibi comparent, domum nauſeant, mille calumnias, mille opprobria, mille ſcomata in viduam vel effutiunt, vel effingunt. Non minùs perſæpè ægritudo corporis comitatur ſtatum viduitatis. Vires in matrimonio attritæ fuerunt, curæ, & anguſtiæ mentis puſillanimes debilitant, vigor, & robur membrorum ex depreſſione ſpiritûs deficit, & ſic multiplicari morbos neceſſe eſt. Tertia quoque lancea, videlicet lancea perſecutionis, non abeſt. Innumeræ pænè ſunt perſecutiones viduarum ex omni parte. Affines legata defuncti conjugis diſputant, vicini jura proprietatis infringunt, judices judicia pervertunt, domeſtici obedientiam recuſant, ipſi quoque filij non raró in matrem viduam inſurgunt.

Añal. Ord. Prædic.

N. 9. Planè non incongruit, ſi dicamus, viduas & ſæcula vivere ferrea, & in loco verſari ferreo. Declaratur hoc in eo, quod Ovetius narrat de Inſula Ombrio, quam noſtri ferream appellârunt, quòd in ea nec pluvia, nec flumina, nec aliquod aquarum

Ovet. Hiſt. L. 2. c. 9.

rum

rum genus inveniatur. Attamen mira, & benigna Providentia Dei quandam ibi arborem eſt elargita, quæ ante ſolis ortum quotidie tum ex ſtipite, tum ex ramis, veluti fontibus quibusdam, aquam emittit ita copioſam, ut hominibus, & jumentis abunde ſufficiat. De alia ejusmodi arbore quodammodò prodigioſa memorat Joannes Ludovicus Gottfrid. Arbor hæc appellatur Magneis, & reperitur in Regno Peruano, taliſque eſt incolis emolumenti, ut exinde & aquam, & vinum, oleum, & mel, inſuper & filum, & acum habeant ad reparanda veſtimenta. Si ſtipes hujus arboris perforatur, limpidiſſimus liquor emanat, qui inſtar frigidiſſimæ, & ſapidiſſimæ, lymphæ ſitim extinguit: Si iſte liquor purificatur, & à fæcibus mundatur, ſaporem vini ſortitur: Si unà cum fæcibus ad ignem ponitur, liquor mutatur in ſuccum oleoſum: Si autem ad ignem calefit, & ſimul à fæcibus eſt deterſus, melleam dulcedinem aſſumit: Rami hujus arboris ſunt inſtar acûs acutiſſimi, quorum acuminata extremitas, ſi attrahatur, ſequitur ad illam aptiſſimum filum, quo unà cum acumine ramorum utuntur ad laceras veſtes reparandas.

Joan. Ludovic. Gottfrid. in Hiſtor. Antipodum.

Typum harum arborum in Maria, glorioſa Roſarij Regina, invenimus. In Inſula ferrea plerumque viduas vivere neceſſe eſt, ubi nec pluviam ullius favoris, nec rorem gratiæ, nec guttulam cujusdam conſolationis, nec alia ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria queunt invenire, & prætereà multis alijs infirmitatibus ſubjectæ gemunt, ſuúmque ſtatum veluti ferreum, & duriſſimum deplorant. Aſt Maria, benigniſſima Virgo, arbor eſt, quæ, ſicut olim jam fructum benedictum, produxit, ita etiamnum ſibi devotis, & in Confraternitate Sanctiſſimi Roſarij inſcriptis uberrimos fructus progerminat, citiſſiméque viduarum indigentijs, miſerijs, & oppreſſionibus ſuccurrit. Regina Roſarij (ait Michovienſis noſter) eſt arbor illa, quæ in viſu oſtenſa fuit Regi Nabuchodonoſori, & ſic deſcribitur: *Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum: Aſpectus illius erat usque ad terminos univerſæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres cœli: Et ex ea veſcebatur omnis caro.* Hæc arbor optimè Reginam ſacratiſſimi Roſarij adumbrabat: Magna quippe eſt arbor ex radice Jeſſe orta. Fortis eſt arbor, quam nulla temporis injuria, N. 10.

Michov. ſuper Lyt. Lauret. Diſc. 359. Dan. 4.

nulla

nulla ſolis, vel aëris inclementia lædere, aut nobis eripere valet. Procera eſt arbor, quia altitudine meritorum usque ad cœlos pertingit, & Angelos ſuperat. Lata eſt arbor, quia ramos ſuæ beneficentiæ usque ad terminos terræ extendit. Folia ejus ſunt pulcherrima, utpotè in Mariano Pſalterio penitùs roſea. Fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea, quia omnibus omnia facta eſt. Eſuris? Præbet panem vitæ. Sitis? Ipſa eſt puteus aquarum viventium. Æger es? Ipſa eſt Salus infirmorum. Triſtaris? Ipſa eſt Conſolatrix afflictorum. Perſecutiones pateris? Ipſa eſt Refugium peccatorum. Subtùs Mariam in Roſario animalia, & volucres cœli morantur, id eſt, viduæ, & pupilli ſe recondunt; quia ex ea veſcitur omnis caro, id eſt, oppreſſi eriguntur, mœſti exhilarantur, debiles refocillantur, indigentes ditantur, univerſi, quod deſiderant ad ſalutem, adipiſcuntur. Unde Beatus noſter Alanus inter alios fructus, quos Roſariani ex Roſario conſequuntur, hos inter alios enumerat, nempe, quòd eſurientibus, & ſitientibus ſtillet ſatietatem, alligatis adducat abſolutionem, lugentibus largiatur lætitiam, egenorum expellat egeſtatem, & tentatis tradat tranquillitatem. Ita enim ipſa Auguſtiſſima cœlorum Regina prædicto Beato Alano promiſit: *Volo, ut Pſaltæ mei in vita, in morte, & poſt mortem habeant benedictionem, illuminationem, gratiam, plenitudinem, ac libertatem, immunésque, & ſecuri degant ab inopia, & ſervitute.*

B. Alan. L. 1. de 15. Gemm. c. 17.

Idem de Laud. Pſalt. c. 9.

N. 11. *Pro malis igitur fugiendis accipite, & orate Pſalterium Virginis Mariæ,* alloquitur omnes viduas prælaudatus Beatus Alanus: Nolite ſejungi à Regina ſacratiſſimi Roſarij, & nihil vobis deerit, imò ad omnia proſpera ampliabitur ſors veſtra. Hoc ipſum Sacra Scriptura haud obſcurè denuò innuit in perſona Ruth Moabitidis, de qua ſupra in prima parte meminimus. Ruth, & Orpha duæ nurus erant viduæ cujusdam, quæ vocabatur Noëmi. Vidua hæc de Bethleem oriunda ad tempus aliquod morabatur in regione Moabitide, ubi ambos ſuos filios Machalon, & Chelion uxoribus Moabitidis, nempe Ruth, & Orphæ, deſponſavit. Contigit autem poſt decem annos utrumque filium mori, & ſic Noëmi orbari unicô ſolatiô, Ruth autem, & Orpham maritis ſuis. Igitur Noëmi, ſuis morte abreptis, terræ alienæ pertæſa, cogitavit in patriam remeare, ut in patrijs laribus dies viduitatis tranſigeret. Hac de cauſa valedixit nuribus ſuis, iisque proſpera quoque fuit

Idem de Pſalt. B. V. c. 51.

precata

precata pro futuro matrimonio. Aſt fruſtra! Nequaquam enim (eſto, poſt plurimas lachrymas Orpha reverſa ſit ad populum ſuum) Ruth à Noëmi ſeparari potuit, ſed potiùs obfirmatô animô Ruth dicit ſocrui ſuæ: *Ne adverſeris mihi, ut relinquam te, & abeam.* *Ruth 1.* *Quocunque enim perrexeris, pergam: Et ubi morata fueris, & ego pariter morabor -- Profectæq; ſunt ſimul, & venerunt in Bethleem.* Res mira! Ruth tunc temporis erat adhuc vidua juvenis, pulchra facie, moribûs integerrima, facilè in terra patria alium maritum habere poterat; & tamen fortî animô decernit cum Noëmi patrios lares deſerere, notis, & conſanguineis valedicere, & in regionem incognitam, & longinquam proficiſci. Abraham erat vir fortiſſimus; & tamen, ubi audivit juſſum divinum: *Egredere de* *Gen. 12.* *terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in* *Gen. 21.* *terram, quam monſtrabo tibi;* generoſa reſolutione opùs erat, ut obediret. Agar ſolùm ancilla erat in domo Abraham, & ubi intimatum eſt illi, ut de alieno ſervitio proſpiceret ſibi, inter millenas lachrymas à domo domini ſui diſceſſit. Rebecca ab ipſo altiſſimo cœli Domino deſtinata fuit in ſponſam Iſaac filij Abrahæ unigeniti; & tamen, ubi ad ſponſum Iſaac in regionem alienam proficiſcendum erat, ægerrimè, & non niſi poſt longa molimina à ſuis dimiſſa fuit ad populum exterum. Econtra Ruth ultrò ſe offert in comitem ſocrui ſuæ, viriliter valedicit notis, & cognatis, infractô animô relinquit patriam, & abit in terram longinquam. Planè res mira, aſt hoc ipſo non carens myſteriô! Novimus enim ex Scriptura viduam Ruth, quia à Noëmi ſe ſejungi paſſa non eſt, adeò fuiſſe benedictam à Deo, ut paulò poſt Booz vir potens, & ditiſſimus eandem ſibi uxorem delegerit, & ſic triſtis viduitatis ſtatus mutatus fuerit in optimam ſortem.

Advertite ergo myſterium, clamat S. Bonaventura, vos mœ- N. 12.
ſtiſſimæ viduæ! in Ruth convertite oculos veſtros, quæ à Noëmi *S. Bonav.* ſeparari non potuit. Noëmi figura erat Beatiſſimæ Virginis Ma- *in Spec.* riæ. Si enim Noëmi interpretatur *Pulchra;* Mariam quoque al- *B. V.* loquitur Divinus Paranymphus: *Tota pulchra es, amica mea, &* *Cant. 4.* *macula non eſt in te.* Ab hac ergo deſuper data Noëmi, à Regina ſacratiſſimi Roſarij, nolite diſcedere, quasquas viduitatis conditio conſtituit deſolatas, à Maria Dei Genitrice, ejúsque ſedulo cultu nolite ſeparari, ô viduæ! & Dei auxilium, divina benedictio, cœleſtes favores vos ubique comitabuntur. Regina cœlorum in

Roſario ſuo tres ſupra memoratas acutiſſimas lanceas benevolè à vobis avertet, aut ſaltem dolores viduitatis ita temperabit, ut lætô, & fortî animô ex illis facere valeatis proventum æternæ ſalutis. Ita enim & lanceam calumniarum, & lanceam perſecutionis dulces reddidiſſe legitur primis Chriſtianis, quibus contra perſecutorum æſtum juge erat refrigerium & verbô, & exemplô. Verbô quidem; aſſerens, ſeipſam ante Filij ſui mortem triginta tribûs annîs magnas perſecutiones, ærumnas, afflictiones, & calumnias perpeſſam fuiſſe, & ea omnia in patientia pertuliſſe. Exemplo autem: Nam gaudiô perfundebatur, cùm lædebatur, & grata erat ijs, qui ei injurias inferebant. Quod diſertîs verbîs narrat S. Ignatius: *Maria JEſu*, inquit, *in perſecutionibus eſt hilaris, injuriantibus grata.* Æquè Regina ſacratiſſimi Roſarij lanceam ægritudinis aut penitùs tollit, aut mitigat: Roſarium enim, teſte Carthagena, *eſt antidotum, quo ornantur, & reficiuntur, & ſanantur infirmi; quemadmodùm ſuccus roſarum eſt contra varios morbos remedium efficaciſſimum.*

S. Ignat. Ep. 1.

Carthag. Hom. 7.

N. 13. Concludit igitur eruditus Aloyſius Novarinus: Vidua, quæ verè vidua eſt, id eſt, quæ juxta Apoſtolum filiorum, & domeſticorum cautam curam habere ſatagit, in Deum ſperat, & inſtat obſecrationibûs, & orationibûs die, ac nocte, *non ſolùm Deum ipſum protectorem habet, ſed & Virginem dulciſſimam Dei Matrem;* quia & hæc ſcutum validiſſimum, & munimen potentiſſimum viduarum conſtituta eſt.

Aloyſ. Novarin. L. 4. Exc. 68.

1. Tim. 5.

Hiſtoria.

Vidua erat juvencula, cui filium unicum gratioſum mortuus maritus reliquerat, & quem ipſa tenerrimè diligebat, & pro ejus, ſuáque propria ſoſpitate Roſarium in dies devotiſſimè recitabat. Factum eſt autem (ùt ſolet non raròcontingere viduis) avarum quendam Tyrannum, amaram movere derelictæ viduæ perſecutionem, & ſuô patrimoniô parvulum ſpoliare. Erant pupillo quidam tutores, qui clientem ſuum defendere nitebantur: At, cùm hi non ſufficerent reſiſtere violentiæ, hinc etiam periculum augebatur, ut Tyrannus decerneret è medio tollere parvulum, quo tutiùs poſſet ipſius patrimonij poſſeſſionem aggredi. Sed cor

viduæ

viduæ matris erat fiduciam habens in Virgine Deipara, quam, ſicut devotè colebat, ita non dubitabat, parvulum per eam in omni neceſſitate fore conſervandum. Interim in tantum incruduit acerbitas animorum, ut cogerentur, qui puerum defendebant, arripere gladios, & cum invaſore pugnare. Aſt, eheu! victoriam obtinente Tyranno, defenſores fugerunt, & parvulus captivatus eſt. Non tamen omnia hæc adverſa ſufficiebant, ut fiduciam viduæ labefactarent. Unde pergens in devotione Roſarij firmiter ſibi perſuaſum habebat, nihil poſſe nocere ei, quem ſub Deiparæ patrocinio conſtituiſſet, útque magis in ſuo propoſito ſe confirmaret, ad Prædicatorum pergens Eccleſiam ſanctiſſimi Roſarij intravit Sacellum, & oratione præmiſſa tulit è ſinu imaginis Deiparæ Jeſulum ejus, & ait: *En! modò bonum habeo pignus. Tuus, ô Virgo! Filius meô propriô mihi eſt charior: Ideóque, dum tuum in pignus habuero, de amiſſione mei non anxiabor. Non hunc tibi reſtituam, niſi ſervaveris meum.* Hoc dicto recedens domum aſportat Virginis Jeſulum. Paulò poſt avarus Tyrannus, ut penitùs ſe aſſecuraret in violenta rapinæ detentione, captivum parvulum ſuſpendiô ſtrangulari juſſit. Cujus immanitatis, & mortis unigeniti rumore ad viduam delato, non illa concidit animô, dicens, ſe non timere filium perdere, pro quo bonum pignus haberet. Mirum certè! Sequenti die miraculosè reſuſcitatus puer ad domum rediît maternam, in manu laqueum geſtans, & dicens, à Matre Dei, quam genitrix devotè coluerat, ſe liberatum. Incredibilis erat fœminæ exultatio, quæ cum puero feſtinans ad templum Deo gratias egit, & Deiparæ, huic & ipſum ſuum reſtituens Jeſulum. Divulgata miraculi fama prædicti quoque Tyranni pulſavit auditum, qui minimè credidit, quoadusque certitudinaliter cognovit, non ampliùs puerum pendere in patibulo. Rediît ergo ex ſingulari Dei miſericordia & ipſe Tyrannus ad meliorem frugem, & quia audivit, hæc mirabilia virtute Roſarij contigiſſe, devotus eidem quoque effectus eſt. P. Lalaing. p. 2. cap. 10. n. 1.

(+)

SERMO QUADRAGESIMUS QUARTUS.

Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc. 14.

Roſarium dat veram humilitatem, & ſimul elevat ad magna.

N. 1. NAturalem omni homini ineſſe propenſionem ad ſublimia, & experientia, & communis docet Philoſophorum perſuaſio; aſt, ut pertingant ad alta, non omnes viam ingrediuntur rectam, ſed potiùs per fas, & nefas eò conantur aſcendere,
2. Reg. 15. quò inordinata eos impellit paſſio. Sic Abſalon, ut regnaret, nefando auſu pijſſimo genitori ſuo David inſidias ſtruxit, & cruentum adverſùs eum bellum ciere, filius ter degener, non erubuit.
Eſther. 3. Sic ambitioſus Aman, quia Mardochæus coram eo genua flectere renuit, nedum innocenti, totique genti ejus Judaicæ machinatus eſt mortem, ſed inſuper Regi Aſſuero obtulit decem millia talentorum, id eſt, ſex milliones, ſi occideretur Mardochæus. Sic Si-
Act. 8. mon Magus magnam pecuniarum ſubſtantiam præſentavit Apoſtolis, ut ab illis emeret Spiritum Sanctum, & poteſtatem patrandi miracula, ſicque magnificandi nomen ſuum ſuper terram. Sic innumeri alij non dubitant impia quæque audere in Deum, in proximum, in ſemetipſos, dum ſpes affulgeat inanis cujusdam exaltationis coram hominibus. Verùm abſit, quòd hi viam rectam

ctam teneant aſcendendi ſurſum, potiùs ſeipſos decipiunt, &,dum enituntur in altum, turpiter cadunt in profundum. Viam rectam, viam facilem, viam breviſſimam veniendi ſuperiùs Magiſter cœleſtis hodie docuit in ſuo ſermone Evangelico, hìs verbìs: *Si invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo, & veniens is, qui te, & illum invitavit, dicat tibi: Da huic locum: Et tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere. Sed, cùm invitatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco, ut, cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus; quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Doctrinam hanc propriô exemplô confirmavit Magiſter cœleſtis. Priùs enim deſcendit de cœlo, elegit ſibi locum noviſſimum, reclinatus jacuit in præſepio, exinanitus usque ad formam ſervi, in vita non habuit, ubi caput reclinaret, & inter Apoſtolos erat omnium miniſter. Poſteà autem ipſi dictum fuit: Amice, aſcende ſuperiùs, nempe reſurgendô à mortuis, aſcendendô ſuper omnes cœlos, & ſedendô à dextris virtutis Dei, tanquam in primo æterni convivij loco. Priùs humiliatus fuit usque ad mortem, mortem autem Crucis, & deinde Deus Pater exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen, & fuit illi gloria magna coram ſimul diſcumbentibus. Tunc fuit illi cum applauſu totius curiæ cœleſtis acclamatum illud: *Exaltare ſuper cœlos Deus.* Id eſt, exponit Lumen Africanum: Exaltare tu, qui fuiſti in ventre matris incluſus, tu, qui in præſepio jacuiſti, tu, qui ubera tanquam parvulus in carne ſuxiſti, tu, funibûs ligate, tu virgîs flagellate, tu ſpinîs coronate, tu in ligno ſuſpenſe, tu mortue, tu ſepulte, tu exaltare ſuper omnes cœlos. Conformiter ad hæc prælaudatus Sanctus Auguſtinus omnibus ad altum aſpirantibus conſilium ſuppeditat: Magnus eſſe vis? A minimo incipe. Sicut enim ſagitta nonniſi prævìè depreſſa conſurgit in altum; ſicut, qui vult aſcendere ad montes, priùs per valles tranſire debet; ſicut in ſtatera non niſi una parte depreſſa elevatur altera; ita in ſtatera Divinæ Juſtitiæ decretum eſt, ut non niſi ille, qui ſe humiliat in præſenti, ſurſùm elevetur de futuro. Occaſione hujus omnibus viam rectam hodie indigitabo, & ſe humiliandi, & ſe exaltandi, explicandô, quomodò Roſarium noſtrum Marianum doceat humilitatem, & ſimul elevet ad magna.

Pſalm. 56. *S. Auguſt.*

Idem Serm. 10. de Verb. Dom.

Similia.

N. 2. Humilitas juxta Angelicum noſtrum Præceptorem eſt laudabilis ſui ad ima dejectio, cujus officium eſt, ut ſicuti nullus ſe extolli cupiat ultra meritum, ita ſeſe deprimat, aut deprimi toleret infra meritum. Ratione primi verè humilis nihil ſuis adſcribit vel viribus, vel meritis, nec majoribus præferri, aut coram alijs æſtimàri affectat; rationi ſecundi verò viliter & ſeipſum tractat, & viliter ab alijs tractari nullatenùs recuſat. Hunc in finem ſequentes tres humilitatis gradus aſſignat Richardus à S. Victore. Primus gradus eſt, ſeipſum in ſemetipſo veraciter contemnere. Secundus, & altior gradus eſt, ab alijs ſe contemni haud refugere. Tertius, & altiſſimus gradus eſt, ſui contemptum nedum contemnere, ſed inſuper ardenter concupiſcere, avidè quærere, & delectabiliter admittere; & hoc non duntaxat ſecundùm quædam ſigna exteriora, & apparenter coram hominibus (ejusmodi enim humilitas eſt mera fictio, & magna ſuperbia, quia laudem humanam ſubdolè appetit) ſed veraciter, cordatè, & ſecundùm interiorem, ac candidum motum animæ, electionémque liberrimam mentis. Et hæc vera humilitas adeò omni homini eſt neceſſaria, ut ſinè illa nullus DEO poſſit placere, qui, juxta proprium teſtimonium, *ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Humilitas eſt primum fundamentum, & ſolidus fundus, ſuper quem oportet ſtructuram Chriſtianæ juſtitiæ locari: Æquè enim, ac fabricam, quæ ſuper arenam ponitur, cadere neceſſe eſt; ita virtutum ædificium, niſi in ima humilitate, & ſubjectione fuerint locata fundamenta, inſperatò corruet. Humilitas eſt virtus ita fidelibus propria, ut non niſi per eam ſeſe diſtinguant, & diſcernant à diabolo. Unde ipſe diabolus, ùt legimus in Vitis PP. hoc olim obiiciebat S. Macario hìs verbìs: Scito, nihil eſſe eorum, quæ tu exerces, quin & ego ea cum majori rigore exerceam. Si tu jejunas, ego à primo creationis meæ momento cibum non guſtavi: Si integras noctes inſomnes ducis, nec ego unquam vel per momentum ſomno indulgeo: Si tu caſtitatem ſervas, nec ego unquam quidpiam huic virtuti contrarium cogito: Si contemnis bona mundi, nec ego illis meum affectum applico: Si corpus maceras diſciplinìs, ego acerbioribus pænè ſupplicijs addictus ſum. Unicum eſt, in quo me ſuperas, quòd tu humilis ſis, & parvus in oculis tuis, ego autem me humiliare non intendam.

S. Thom. 2, 2. q. 151. *Richard. à S. Vict. L. 2, de Erud.* *Heb. 4.* *Simile.* *In Vit. PP. L. 2.*

Feli-

Felices proinde vos, ô Roſariani! quibus quotidiana ad humilitatem addiſcendam ad manum ſunt efficaciſſima media, nempe Myſteria Vitæ, & Paſſionis Chriſti in Mariano Pſalterio in dies meditanda. Ut enim veræ ſtudeatur humilitati, ut omnis ſuperbia deprimatur, nihil eſt conducibilius, ait S. Auguſtinus, quàm frequenter, & nervosè conſiderare humilitatem, quam in noſtrum exemplum Unigenitus Dei Filius & verbô docuit, & opere demonſtravit; & hoc adeò, ut, cujus ſuperbiam hæc contemplatio non corrigat, ſe neſcire aſſerat Doctorum maximus, quo alio medio talis curari valeat. In gaudioſo Roſario idipſum nobis accidit, quod legimus. Lis olim, & diſceptatio oriebatur inter Apoſtolos, & Diſcipulos Domini, quis nempe illorum olim in regno cœlorum alijs eſſet præferendus, & in prima ſede collocandus? Diu hæc diſputatio agitabatur, quia ſinguli adhuc erant infirmi, & per adventum Spiritûs Sancti nondum in vera humilitate corroborati. Ultimatim finalis deciſio fuit delata ad Magiſtrum cœleſtem, dicendô: *Quis, putas, major eſt in regno cælorum?* Non diu hæſitavit ſapientiſſimus Magiſter, quin non tam quadam ambage verborum, quàm palpabili aliquo exemplo & quæſtionem decideret, & veram humilitatem doceret, atteſtante Sacrâ Paginâ: *Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicuti parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cælorum.* Ejusmodi parvulus Roſarianis ante oculos ponitur in prima parte Mariani Pſalterij, ubi pia meditatione conſiderant æterni Patris Filium, tanquam Parvulum in utero Virginis conceptum, in ſtabulo Bethleemitico natum, in forma pauperum cum duobus turturibus in templo præſentatum. Et in hoc Parvulo ô quanta eminent humilitatis exempla, & virtuoſæ demiſſionis documenta! Ille, qui, cùm in forma Dei eſſet, nec rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus eſt, ùt homo: Ille, cujus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus, non invenit diverſorium, niſi in vili ſtabulo: Ille, cujus Pater æternus eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, fit pauperrimæ Matris Filius, quæ vix invenit pannos ad eum involvendum: Ille, qui ab Angelis adoratur in cœlo, reclinatur inter bovem, &

N. 3.

S. Auguſt. Serm. 1. in Dom. 2. Quadrag.

Math. 18.

aſinum

aſinum in præſepio: Ille, qui non peccavit, ſpontè juxta legem peccati in templo præſentari voluit: Ille, qui in cœlo ſedet ad dextram Patris, in templo non niſi in ultimo loco Doctorum inventus eſt.

N. 4. Hunc ergo Parvulum conſiderate, & docebit vos veram humilitatem. Quid enim magìs indignum, ait Sanctus Bernardus, quid deteſtandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli Parvulum factum, & ultra apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Planè intolerabilis impudentia, ut, ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat: Planè abominanda temeritas, ut, ubi Altiſſimus non niſi vilia, & abjecta elegit, homo non niſi alta, non niſi accomoda, non niſi faſtuoſa appetat: Planè inexplicabilis perverſitas, ut, ubi naſciturus Dei Filius, in cujus arbitrio omnia erant, elegit, quod moleſtius eſt, elegit, quod infimum eſt, elegit, quod deſpectius eſt, ut gloriam mundi reprobaret, argueret, & ſubverteretur, debilis creatura non niſi primos accubitus amet, non niſi honorari deſideret, ſe vilem haberi neutiquam patiatur.

S. Bernard. Serm. 1. de Nativ.

N. 5. Non minùs præclarum humiliatis prototypon in doloroſis Roſarij Myſterijs mentis noſtræ objicitur oculis, tacito quodammodò adjecto eodem mandato, quod olim injunctum fuit Moyſi. Jubebatur tunc Moyſes voce de cœlo delapſa tabernaculum ædificare Deo ſuo, propterea deductus in montem excelſum, in quo ipſi idea quædam oſtendebatur, juxta quam totius ædificij forma erat adornanda, hîsce verbîs: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Per Myſteria doloroſi Roſarij ad duplicem montem meditantes deducimur, nempe ad montem Oliveti, & ad montem Calvariæ: In utroque inſigne nobis exemplar humilitatis exhibetur. In monte Oliveti contemplamur amantiſſimum Salvatorem proditorem ſuum manſuetè reſalutantem, à ſatellitibus ſinè tergiverſatione captum, patienti humilitate funibûs ligatum; in monte Calvariæ verò à Judæis irriſum, deſpectum, inter duos latrones crucifixum, & noviſſimum virorum, cunctáque hæc, & alia infinita opprobria imperceptibili demiſſione perferentem. O! quis hîc condignè humilitatem ſui Salvatoris ruminare, demirari, & penetrare poterit? In monte Oliveti accedit ad eum Judas larvatô oſculò, eum traditurus in manus inimicorum; ſatellites quaſi rabidi canes in eum irruunt, unus lacerat veſtes, alter

Exod. 25.

evellit

evellit capillos, alius impingit colaphum, alij pedibûs calcant, alij funibûs vinciunt, alij vinculîs trahunt, alij millenîs aliîs vilipendiîs deturpant Regem æternæ gloriæ: Ille verò nec verbulum opponit, gaudet deſpici, lætatur ludibriîs. In monte Calvariæ ejus humilitatem clamant ſputa, clavi, lancea, irriſiones, & verbera: A planta pedis non erat in eo ſanitas, ſed undique dolor, cruor, & vituperia. In capite erant ſpinæ, in ore fel, & acetum, in facie alapæ, & ſpurcitiæ, in auribus ſubſannationes, & cavillationes Phariſæorum, in naribus fœtor cadaverum ibi ſepultorum, in manibus, ac pedibus clavi, in dorſo flagella, lancea in latere. Et ad hæc omnia humillimus JEſus quaſi Agnus manſuetus tacuit, inſtar ovis mitiſſimæ ad ſuam occiſionem properavit. Igitur

O Roſariane! inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Ecce! incomprehenſibilis Deus vult comprehendi, & ligari vinculîs, Summus vult humiliari, & fieri infimus, Potentiſſimus vult deſpici, & exinaniri, Pulcherrimus vult deformari, Sapientiſſimus inſtar ſtulti tractari, Immortalis mori; & tu viliſſima creatura, terra, & pulvis ſuperbire audes? tu ab univerſis æſtimari, extolli, & quodammodò adorari deſideras? tu ad minimum tui contemptum excandeſcis, in verba, & verbera inordinata prorumpis? vindictam clamas? in convitia, & contumelias effunderis? tu leviſſimè tactus exhalas fumum iræ, jurgiorum, & maledicentiæ? haud diſſimilis montibus illis elatis, de quibus dicitur: *Tange montes, & fumigabunt.* Haud diſſimilis urticæ, quæ, quamdiu non teritur, neminem lædit; at ſi vel minimum teratur, continuò aculeos exerit, & acerrimè offendit. Hoc autem non eſt inſpicere, aut facere juxta exemplar, quod nobis monſtratum eſt in monte: Hoc non eſt adimplere ſaluberrimum monitum, quod nobis cœleſtis Magiſter dare dignatus eſt: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quaſi diceret: Diſcite non ab Angelis, non ab Apoſtolis, non à Patriarchis, non à Prophetis (ad nullum enim horum, eorúmque ſcripta, & doctrinam vos mitto) ſed diſcite à me, à meo exemplo, quod dedi vobis, à meo prototypo, quod vobis monſtratum eſt in monte. Diſcite à me, non mundum fabricare, non cæcos illuminare, leproſos mundare, non mortuos ſuſcitare, non alia miracula facere, non ſubtilia de Deo, & Sanctiſſima Trinitate diſputare, non Herculeos labores, & facinora patrare, ſed *quia mitis ſum, & humiles corde,* id

N. 6.

Similia.
Pſalm 143.
Matth. 11.

id eſt, veram manſuetudinem, & humilitatem, illam ſcilicet, quæ non conſiſtit in eo, quod aliquis frequenter ſe miſerum, & peccatorem aſſerat, non in eo, quòd aliquis pannoſum, & lacerum induat veſtimentum, non in eo, quòd in ſordidis, contemptíſque officijs ſe occupet, non in eo, quòd quiſpiam fracta, tenui, & ſubmiſſa voce utatur, non in eo, quòd inclinato in terram capite, oculîs dejectîs incedat, manus, genuáque deoſculetur, ſed in eo, quòd homo de ſeipſo, de toto ſuo eſſe, de integris ſuis viribus abjectum concipiat ſenſum, ſeipſum vilipendat, & de ſui contemptu aut nullatenùs moveatur, aut, dum ſeſe recolligit, ſaltem non contriſtetur. Non enim ille verè eſt humilis, teſte D. Gregorio, qui, ſi vel levi ſermone offenſus ſit, continuò attollit ſupercilium, levat cervicem, & inſanæ repentè clamore inſonat; ſed ille, qui & adverſîs teritur, & tamen à ſpecie ſuæ rectitudinis non curvatur, juxta exemplar humilitatis Chriſti in gaudioſis, & doloroſis Myſterijs Roſarij.

S. Gregor. Hom. 7. in Evang.

N. 7. Verùm enimverò, ſicuti doctrina eſt æternæ Veritatis: *Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur;* ita nihil certius eſt, quàm Sodales Sanctiſſimi Roſarij, dum à Chriſto nato, & paſſo veram addiſcunt humiliationis viam, cum Chriſto glorioſo ſuam ſibi promereri optatiſſimam exaltationem & olim in cœlo, & hîc nonnunquam quoque in terris. Quod Magiſter cœleſtis edocuit diſcipulos ſuos, dicens: *Qui minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.* Quam divinam doctrinam hac ratione comprobat Seraphicus Doctor: *Quantò ſumus humiliores, tantò ſumus à ſuperbiæ tumore inaniores, & quantò inaniores à tumore ſuperbiæ, tantò pleniores dilectione, & quantò dilectione pleniores, tantò Chriſto, qui eſt maximus, ſimiliores, & proximiores: Quantò autem aliquis eſt maximo propinquior, tantò eſt major, tantò ad majora præmia, & majorem gloriam eſt ordinatus.* Idipſum, alia tamen ſimilitudine, declarat Dionyſius Carthuſianus, humiles comparandô vaſis vacuis ad hauriendam aquam ordinatis, Deum autem comparandô fonti, à quo omnia fluenta gratiarum, & gloriæ exeunt. Unde ſic infert Doctor prælaudatus. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, veniat non corporis greſſu duntaxat, ſed & mentis humili præparatione: Quiſquis enim hauriendæ aquæ cauſâ ad fontem accedit, vas quoque accipit, ut aquam excipiat; & quantò capacius vas illud fuerit, tantò quoque major in illo haurietur aquæ abundantia.

Luc. 14. *Luc. 9.* *S. Bonavent.* *Dionyſ. Carthuſ.*

dantia. Humiles autem præ cæteris hanc prærogativam habent, quòd, cùm ſe omni virtute, & merito vacuos eſſe exiſtimant, vaſa eorum majora, & capaciora exiſtant ad hauriendam myſticam aquam gratiæ, & gloriæ, ſublimitatis, & exaltationis.

Exemplum exaltatæ humilitatis à longè adducere neceſſe non eſt, quia in Auguſtiſſima noſtra Roſarij Regina luculentiſſimè hanc veritatem edocemur, quæ, quanto in ſe erat humilior, tantò altiùs ſublimata fuit ſuper omnes Angelos, cœlos, & Sanctos. In ſua æſtimatione Beatiſſima Virgo erat pulvis leviſſimus, quem ventus diſpergit: Aſt Deus fecit eam pulverem pigmentarium, & pulverem thuris in ſanitatem omnium gentium. In ſua æſtimatione erat fumus obſcuriſſimus, qui de camino aſcendit: Aſt converſa fuit in fumum aromaticum, qui aſcendit de altari aureo usque ad thronum Altiſſimi, & ſuavitatem Divinæ Majeſtatis. In ſua æſtimatione erat ancilla viliſſima Domini: Aſt in cœlo accepit poteſtatem ſuper omnem terram. In ſua æſtimatione infra omnes homines humiliata deſcendit: Aſt à Deo glorificata ſuper omnes creaturas aſcendit. Lucifer glorioſus, & arrogans ad ima vulneratus corruit: Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata elevatur. In quorum ad invicem comparatione fermè idipſum accidit, quod contigiſſe commemorat ſacra Scriptura. Comitia olim arbores in unum congregatæ celebrabant, ut Regem, & caput ſibi eligerent. Præmiſſis præmittendis copioſiora vota in prima electione in olivam collimârant; ſed oliva regnum in ſe ſuſcipere recuſabat, dicens: *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear?* Similis arrogantiæ erat ficus, cui ſecundô locô Regia ſuper arbores poteſtas oblata fuit. Reſpondit enim ficus: *Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructúsque ſuaviſſimus, & ire, ut inter ligna promovear?* Tertiô ergo locô devoluta eſt electio ad vitem, eique Regium ſceptrum fuit præſentatum hîs verbîs: *Veni, & impera nobis.* Aſt & vitis, ſuperbiâ tumens, retractavit delatos honores, faſtuoſè reſpondens: *Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoveri?* Ultimatim igitur votantes arbores, contubernalium ſuorum faſtum attædiantes, venerunt ad humilem rhamnum, eúmque ſuum Regem conſtituerunt, collocantes illum in throno Imperij, & deferentes inter arbores humillimo

N. 8.

Jud. 9.

primam ſedem Majeſtatis. Simile quid olim accidit in cœlo. Prima ſedes delata fuit Lucifero omnium Angelorum ſupremo, cui à Deo dictum eſt: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in delicijs paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum - - - tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.* Aſt ſuperbia dejecit Luciferum à ſede prima ad locum infimum, à ſummo cœlo ad profundum inferni, à throno gloriæ ad tenebras exteriores. Suô quoque modô prima paradiſi ſedes oblata fuit primis parentibus, ubi in ſtatu innocentiæ, decorati omnibûs gratiîs, & donîs, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſui fuerunt creati, illiſque dictum fuit: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* A regno paradiſi ad primas quoque beatitudinis æternæ ſedes expleto vitæ curſu transferendi fuiſſent Adam & Eva, niſi ſuperbiâ inflati cupiîſſent Dijs eſſe ſimiles, & comedendô de fructu vetito præceptum Dei ſui violâſſent, propterea miſerè expulſi ex paradiſo. Prima ergo ſedes devoluta fuit ad humilem rhamnum, id eſt, ad humilem Virginem, & Dei Genitricem, quæ ob ſuam humilitatem haud diſſonè à S. Gregorio Nyſſeno rubus dicitur. *Sicut enim* (verba ſunt S. Bernardini Senenſis) *nulla creatura pura tantum aſcendit in gratiæ dignitatem; ſic nec tantum deſcendit in abyſſum humilitatis profundæ, quàm Maria. Nec alicui creaturæ puræ in hoc ſæculo datum eſt tantum guſtare nihilum creaturæ, nec tantum ſe humiliare, & annihilare, ùt datum eſt Mariæ.* Quod & ipſa glorioſa Dei Mater revelare dignata fuit dilectæ filiæ ſuæ Sanctæ Brigittæ hîs verbîs: *Veni filia mea, & abſconde te ſub mantelo meo, qui, etſi exteriùs contemptibilis, intùs verò utilis eſt. Hoc mantelum humilitas mea eſt, hæc videtur à mundi amatoribus contemptibilis, & ſuperſtitioſa ad imitandum. Quid enim contemptibilius eſt, quàm vocari fatua, & non iraſci, vel verba reddere? quid doloroſius apud mundiales, quàm injuriam ſuam diſſimulare, & omnibus ſe credere, & tenere indigniorem? Talis, ô filia! erat humilitas mea, hoc gaudium meum, hæc voluptas tota, quæ nulli, niſi Filio meo, placere cogitabam.* Quia autem humillima, ideò & ſuperexaltata eſt ſuper omnes Choros Angelorum Auguſtiſſima cœli Regina, quia priùs infra omnes homines humiliata deſcendit, ſuper

Ezech. 28.
Gen. 1.
S. Gregor. Nyſſen. Excit. 3. de vit. Moyſis.
S. Bernardin. Senenſ. Tom. 2. Serm. 31. c. 3.
In Revel. S. Brigitt. L. 2. c. 23.

ſuper omnes creaturas glorificata aſcendit, quia in abyſſum humilitatis profundæ ſe dejecit, ideò, ſicut nulla alia poſt Filium Dei creatura, erigi meruit. Ideò in viſu demonſtrata fuit Sanctæ Franciſcæ Romanæ ſanctiſſima Dei Genitrix collocata in ſede modicùm inferiori ſede Dei, & Filij ſui, inſupérque triplicî coronâ ornata, primâ quidem propter ſuam virginitatem, ſecundâ propter ejus humilitatem, tertiâ ejus gloriam declarante. Ideò ſingularî illâ, & fortè nulli hucusque puræ creaturæ conceſsâ prærogativâ condecorata eſt, ut cum corpore ſimul, & anima aſſumeretur in cœlum, & locum primum, à conſtitutione mundi ſibi præparatum, occuparet; non enim decuit, ut manus, quæ nunquam erectæ fuerant, niſi ad benedicendum Deum Conditorem ſuum, verterentur in terram: Non æquum erat, ut oculi, qui nunquam aperti fuerant, niſi ad laudandum illum, qui eos formavit, in pulverem abirent: Indecens erat, ut pedes, qui nunquam greſſum fecerant, niſi ad ſervitium Dei, & utilitatem proximorum, in cineres mutarentur: Oris, quod nunquam reſerabatur niſi ad gratiarum actiones, non debuit terra particeps fieri: Indignum erat, ut caro, quæ nunquam carnem ſapuit, quinimò purior fuit omni Sanctorum ſpiritu etiam puriſſimo, terram ſaperet: Inconveniebat, ut cor, cujus converſatio ſemper in cœlis erat, in terra corrumperetur: Denique prorſùs videri poterat diſſonum, ut totum corpus, quod in vita ſemper deprimebatur ad ima, non ſtatim poſt mortem elevaretur ad ſumma, & altiſſimum thronum gloriæ occuparet. Qui enim ſe humiliat, exaltabitur.

Quorſum autem hæc omnia tendunt? Sanè non ad aliud, Sodales Mariani! niſi ad conſolationem veſtram, niſi ad cumulum gaudiorum veſtrorum, niſi ad plenitudinem deſideriorum cordis? Maria, glorioſa Roſarij noſtri Domina, quia fuit humilior univerſîs, elevata eſt ſuper omnes; aſt non ſola, ſed ut, ubi Mater eſt, ſint & filij ejus, ubi Regina humilitatis aſcendit, aſcendant & Clientes humiliati, ubi merita Dominæ demiſiſſimæ præmiantur, præmientur & merita demiſſorum famulorum, & ancillarum, ut, qui exemplô Mariæ Virginis deſcendunt in profundum ſui nihili, enitantur ad ſublimem gradum gloriæ, præſertim Sodales Sanctiſſimi Roſarij, qui ſtudent inſiſtere veſtigijs Reginæ ſuæ, quocunque iêrit, & ſimiliter non dimittuntur ab illa, quocunque ſteterit; nequaquam enim vult Clientes ſuos à ſe ſeparari, ſed potiùs illos N. 9.

 recipit,

recipit, protegit, & occultat penès ſe ſub pallio ſuo: Sicut quondam oſtenſum fuit glorioſo Patriarchæ noſtro Sancto Dominico, qui in extaſim raptus, & in cœlum introductus filios, & filias ſuas univerſas ſub pallio Beatæ Virginis vidit contectos, & glorificatos. Nec hoc in dubium revocari poteſt; eſt enim hac in parte Auguſtiſſima Dei Mater iterùm ſimilis rhamno, qui, poſtquàm
Judic. 9. ſublimatus fuit ad imperium arborum, dixit: *Si verè me Regem conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.*

N. 10. Non minùs, ſi Roſariani hìc humiliantur, ſuam quoque (ſi ita ſaluti eorum congruat) per Roſarium ſibi promerentur hìc ſuam exaltationem in terris. Expertus hoc eſt Summus Pontifex Clemens X. cùm enim Annô 1669. poſt mortem Clementis IX. diu Cardinales, in conclavi conſiſtentes, deliberarent, & conſultarent de novo Pontifice eligendo, nec ſuîs votîs concordare poſſent, tandem à Maria in Roſario pacificam ſimul, & ſubitam electionem, quemadmodùm enixîs precibûs poſtulârunt, ita incredibili omnium gaudiô impetrârunt. Unde Clemens X. poſtquàm Sedem Petri tenuit, liberè ſemper, & publicè, quamdiu vixit, profeſſus eſt, ſe non aliâ viâ, niſi per Roſarium, ad Cathedram Eccleſiæ aſcendiſſe; & hoc conformiter ad monita piiſſima Roſariophili noſtri Beati Alani, qui jam dudùm cunctos, qui exaltari cupiunt, ad devotionem Mariani Pſalterij invitavit, hîs verbîs: *O vos omnes, qui diligitis dignitates! cur non acceditis ad nobilem Virginem Mariam, principiſſam omnis dignitatis?* Et benè. Quid nî enim nos ſecuriorem promotionis noſtræ ſpem ponamus in dilectiſſima Dei Genitrice, quàm olim poſuerunt filij Zebedæi in
Matth. 20. matre ſua. Jacobus, & Joannes multa audiverant de erigendo Chriſti regno. Unde, ut ipſis quoque ejusmodi regni tempore adventuro ſpes promotionis affulgeret, libellô ſuô ſupplicî maturè comparebant; & hoc non tam in perſona propria, quia pauca ſua merita haud difficulter adverterant, ſed potiùs per interceſſionem matris ſuæ, quæ erat ſoror Matris Jeſu, eique dilectiſſima,
Abulenſ. & frequenter in illius obſequijs, ùt adnotat Abulenſis, præſertim in enutriendo parvulo Filio per obumbrationem Spiritûs Sancti concepto, & genito. Acceſſit ergo mater filiorum Zebedæi ad Salvatorem, adorans, & petens ab eo: *Dic, ut ſedeant hi duo filij mei; unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Nec dubium eſt, pergit præcitatus Doctor, quin petitionis ſuæ opta-

optatiſſimum conſecuta ſuiſſet effectum ſolicitudo hæc materna, ſi Chriſtus conſtituiſſet regnum ſuum in hoc mundo erigere, & non potiùs locutus fuiſſet de regno vitæ æternæ; haud enim Salvatoris benignitas materteræ ſuæ, etiam in ſervitijs ipſi præſtitis benè meritæ, videtur aliquid denegare potuiſſe. Si autem hoc in ordine ad materteram aſſerat Abulenſis, quid nos non ſperabimus de dilectiſſima Salvatoris Genitrice, ſi ipſa pro Clientibus ſuis Roſarianis ſupplex accedat, & pro eorum promotione, pro aliqua dignitate impetranda, pro elevatione ad gradum honoris inſtare dignabitur? An non pro voto, quod orat, impetrabit? nónne idipſum reſpondebitur ei, quod olim reſpondit Rex Salomon matri ſuæ: *Pete mater mea: Neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* *3. Reg. 2.* Unicum ex parte noſtra deſideratur, ut in humilitate quoque imitemur Auguſtiſſimam Roſarij Reginam. *Sacri enim Roſarij precibûs* (ait noſter Loppezius) *multa poſſumus ab ipſa exſpectare bona, ſi ſanctæ hujus devotioni rectam conjungamus vitam, ſi illius fuerimus imitatores, cujus ſumus laudatores, & ſervi.* *Loppez in Feſt. Roſ.*

Hiſtoria.

INter alios, qui Sancto Patre Dominico per Hiſpanias devotionem Mariani Pſalterij promulgante Sodalitati huic nomen, & totum cor ſuum Mariano cultui dederant, erat Comitiſſa quædam, quæ, ùt generis nobilitate, ita & fervore pietatis videbatur ſuper omnes eminere; aſt non aliter, quàm in adagio dicitur: *Principium fervet, medium tepet, finis languet.* Paulò poſt quippe Viro ditiſſimo, & Illuſtriſſimo nupta eò citiùs exercitiorum ſanctiſſimi Roſarij fuit oblita, quò magìs voluptatibus carnis, luxu veſtium, & ſuperbiâ vitæ abſorpta viro placere ſtuduit, quàm Deo, Deiparæque Virgini Mariæ. Interim immatura morte abripitur conjux, congregantur demortui hæredes, armata manu occupant bona derelicta, violento impetu Comitiſſam & ex domo, & ex ditione omnium bonorum ejicientes, etſi per ultimam teſtatoris voluntatem hæc non niſi uxori ſive in dominium, ſive in uſumfructum fuerant delegata. Hæc res adeò malè viduam habuit, ut injuriâ ſimul illatâ, ac penuriâ rerum urgente nedum faſtum ſuum deponere coacta fuerit, ſed inſuper furore muliebri

acta

acta eò devenerit, ut arreptô cultrô ter ſeipſam lethaliter vulneraverit, & non niſi finem vitæ ſuæ deſperabunda optaverit. Et parùm aberat à voto; ſemimortua enim in terram cecidit. Adſunt maligni ſpiritus, & deſperantis animam avidè exſpectant in prædam ſuam; quod & in brevi factum fuiſſet, niſi Regina ſacratiſſimi Roſarij miſericordiâ mota in tempore adfuiſſet deſperanti, diſpulſis, qui adſtiterant, dæmonibûs, ſic in præſentia trium Virginum cœleſtium, Sanctique Patris Dominici agonizantem allocuta: Etſi tu mei, ego tamen tui non ſum oblita: In juventute tua, ad exemplum meum humillima, & vilis in oculis tuis, me ſæpiùs in Pſalterio meo ſalutabas; paulò poſt autem, ſuperbiâ tumens, longiùs & à veſtigiîs demiſſionis meæ, & à cultu Roſarij mei receſſiſti. Quia tamen filius meus Dominicus pro te oravit, in priſtinam ſanitatem, & præteritam fortunam bonorum tuorum collocaberis, ſi tamen promittas, te in poſterum, ùt humilitatis meæ profundæ fore imitatricem, ita & cultum Roſarij ſinè intermiſſione reaſſumpturam. Annuente Comitiſſa, & ſeſe humiliter inclinante, acceſſit Sanctus Patriarcha Dominicus, vulnera curat, curatam reintroducit in domum defuncti Comitis, ita intereà per divinam ordinationem commotîs,& diſpoſitîs animîs famulorum, & ſubditorum, ut omnes turmatim ad pedes redeuntis Comitiſſæ ſe dejecerint, eíque, veluti legitimæ Dominæ ſuæ, homagium fidelitatis præſtiterint, imò junctîs inſuper viribûs injuſtos bonorum invaſores aggreſſi fuerint, & à poſſeſſione iniqua armata manu exturbârint. Comitiſſa igitur tam ſtupendô miraculô æquè humiliata, ac ad ſtatum priſtinum nobilitatis, & dignitatis ſuæ ſuperexaltata devotioni ſanctiſſimi Roſarij & ſe totam quantam dedit, & univerſis ſuis ſubditis incordiare non deſiît, donec ſanctè aſſiſtente glorioſa Dei Genitrice, & Sancto Patre Dominico in pace quievit. B. Alanus de Rupe. 5. p. Operis rediv. cap. 67.

SER-

SERMO QUADRAGESIMUS QUINTUS.

Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Matth. 22.

Per Roſarium Diabolus, caro, & mundus ponuntur ſcabella pedum noſtrorum.

NUllus, qui vel leviter Annales Veterum pervolvit, ignorat, quàm ſolemnes victîs hoſtibûs ſuîs ſemper inſtituerint triumphos Romani. Inter alias Solemnitates, quicunque ex captivis erant nobiliores, & præcipui, triumphantis Belliducis currum, manibûs, pedibúsque ligati, antecedere compellabantur, ut toti populo Romano fieret manifeſtum, quibuscum hoſtibus certandum fuerit, & quantis cum Viris Victor probârit robur virium ſuarum. Sic triumphavit cum Juguritha Romanorum Dux Marius, ſecum ducens ſexaginta millia Germanorum; ſic triumphavit cum Hiſerba Catulus; ſic Pompejus, & alij, quos hîc recenſere tædioſum foret. Romanîs tamen in ſuo triumpho longè arrogantior fuit Tygranes Rex Armeniæ. Poſtquàm enim Tygranes quatuor ſibi finitimos Reges bellô fuderat, & certamine, ſimúlque, eorum provinciis ſuæ ditioni ſubactîs, regni ſui fines dilatavit, adeò ſuperbiît, ut victîs præcitatîs quatuor Regibûs non niſi N. 1. *Añal. Vet.*

ſervorum locò uſus fuerit. Quocunque pergebat, præfati quatuor Reges inſtar apparitorum, & ſatellitum eum comitari cogebantur: Si equô vehebatur, quatuor Reges levibûs, & attritìs induti tunicîs pedites cum equo currebant: Si in ſolio ſuo conſidens reſponſa genti ſuæ dabat, quatuor Reges complicatîs, & colligatîs manibûs circumſtabant, ut ſic eorum ſervitus probroſior, Majeſtas autem Regis appareret glorioſior. Altiùs adhuc accrevit faſtus, & crudelitas alterius Tyranni, qui Rege, quem devicerat, pro ſcabello pedum ſuorum uti non erubuit, dorſum illius ſcamni locò adhibens, quoties aut equum, aut currum ſuum conſcendit. *Applicatio* Meliori, & æquiori jure id homini cuique licet, ſi tres ſuos potentiſſimos hoſtes, cum quibus ei continuò confliƈtandum eſt, profligatos fuiſſe gloriari poterit. Fortiſſimi hi tres inimici ſunt diabolus, caro, & mundus, qui nunc junƈtîs viribûs, nunc mutatîs viribûs hominem debellant, priùs arma non deponentes, antequàm vel ipſi deviƈti in fugam aguntur, vel ipſi viƈtores in morte hominis palmam reportant. Hi tres confœderati ſunt, & in perpetuo fœdere adeò conjunƈti, ut auxiliares ad invicem conferre manus jugiter parati exiſtant, ſi quiſpiam uni ex illis ſeſe opponere auſus fuerit: Unito mox robore aggrediuntur fortalitium illud, in quo non ad primum ſtatim inſultum recipiuntur: Vigilias inter ſe diu, noƈtúque dividunt, donec deditio fiat hominis, quem ſibi ſubjicere moliuntur. Diabolus principalem portam, ſeu partem, nempe animam, quam ut occupet, aggreditur tentationibûs peccatorum internorum, quæ ſunt v. g. ſuperbia, invidia, vana gloria, odium, & rancor clandeſtinus, aliáque ſimilia, quæ non niſi in corde, & internis animæ potentijs, nempe in intelleƈtu, & voluntate committuntur. Caro caſtra ſua metatur ad alteram hominis partem, nimirum penès corpus, & per tot ad internum hominem veluti portas irrumpere, ac ingredi ſtudet, quot ſunt hominis ſenſus, tum externi, tum interni, quos ſuîs tentationibûs, ſuîs blandimentîs, ſuîs illecebrîs occupare ſemper caro allaborat. Mundus vigilias ſuas quaſi à longè agit, circuiens ab extrinſeco, & quaſi per ambages eminùs appropinquans, ut ex improviſo, & quodammodò per promiſſa homini deditionem ſuadeat, oſtendens ei divitias ſuas, honores ſuos, pompam, & faſtum ſuum; ſicque dementat avaros, & ambitioſos, quò citiùs ſibi, & ſocijs ſuis ingreſſum paret, & fortalitij humani traditionem procuret. Et quis eſt, qui tribus hic validiſ-

ſimis

ſimis hoſtibus reſiſtet? Patulum eſt in Fabulis Poëtarum, Herculem Heroëm fuiſſe generoſiſſimum, fortitudine nulli ſecundum, animô, & audaciâ inter omnes præcipuum; & tamen proloquium eſt: *Ne Hercules contra duos.* Quis ergo contra tres? Vos, Sodales Mariani! vobis hodie arma ſuppeditabo, ut ponantur inimici ſcabellum pedum noſtrorum.

Commiſeratione digniſſimus erat dæmoniacus ille apud Marcum. N. 2. Nedum enim variîs modîs vexabatur à diabolo, ſed adeò *Marc. 5.* ſubinde, tartarea violentus rabie, fremebat, ut ne catenîs quidem à quopiam ligari potuerit, quia, utcunque manibûs, pedibúsque vinctus erat, facili motu vincula, quaſi fila, rumpebat, & neminem ſibi dominari paſſus eſt. Habitatio ejus non erat, niſi in monumentis, in montibus, & deſertis locis, ubi diſcurrendô, clamandô, furendô ſe ipſum lapidibûs concidit, ad petras allidit, miſerrimè laceravit. Quadam die accidit, ut pijſſimus Salvator de navi exiret, & in primo ſtatim intuitu hunc dæmoniacum ſibi obvium haberet, qui miſericordiâ motus obſidentem dæmonem mox verbô potentî aggreſſus eſt, dicens: *Quod tibi eſt nomen?* Qui reſpondit: *Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus*, id eſt, ſex millia, ſexcenti, & ſexaginta ſex, qui hoc domicilium occupant. Idem fermè hodiernum in diem inviſibiliter contingit, ubi diabolus animæ hominis appropinquat, eámque obſidione cingens in ſuam ditionem cogere nititur. Sinè mora quæcunque excogitabilia obſidionis machinamenta circumponuntur, nulli armorum apparatui parcitur, inſtatur tentationum inſultibûs, &, ſi protinùs anima deditionem non offerat, tota legio dæmonum in auxilium vocatur; ſicut jam olim in figura nobis præfigurabatur, ait Origines, *Origen.* ubi populus Iſraël ab innumera hoſtium ſuorum multitudine im- *Hom. 14.* pugnatus fuit, teſte S. Textu: *Egreſsíque ſunt omnes cum turmis* *de Temp.* *ſuis, populus multus nimis, ſicut arena, quæ eſt in littore maris,* *Joſuë 11.* *equi quoque, & currus immenſæ multitudinis, convenerúntque in unum - - ut pugnarent contra Iſraël.* Et quid tot contra unum hominem? Viribûs ita pollet quilibet dæmonum, ut, teſte Job, *Job. 41.* quaſi paleas, & quaſi lignum putridum æſtimet fortiſſimos mortalium. Pertinacia infernalis adverſarij tanta eſt, ut non ſolùm uno menſe, vel anno, ſed etiam toto vitæ noſtræ tempore bellum continuet. Ubi vi, & virtute non prævalet, ad fraudes, & fallacias, ad mille artes, & ſtratagemata ſe vertit. Nunc ſimulat ſe amicum;

Gen. 4. veluti impius Cain amicè dixit ad fratrem: *Egrediamur foras;* ut in aperto campo adverſùs hominem conſurgat, ejúsque animam occidat: Nunc blandum ſe fingit hoſpitem, non tam ut ad hoſpitium recipiatur, quàm ut dominium ſibi rapiat; veluti olim echinus in Fabulis Poëtarum pro hoſpite rogavit admitti in foveam vulpis, poſteà autem admiſſus explicare cœpit aculeos ſuos, dominiúmque foveæ, ejecta vulpe, ſibi vendicavit: Nunc conatur hominem altô faſcinare ſomnô, ut eo dormitante triticum virtutis ſuffocetur; ſicut inimicus homo in Evangelio, qui, dum dormirent homines, ſuperſeminavit zizania: Nunc promiſſìs, & donîs ſolicitat mentem hominis; qualiter olim parentibus noſtris *Gen. 3.* pomum porrexit, dicens: *Nequaquam moriemini, ſed eritis, ſicuti Dij, ſcientes bonum, & malum.* Nunc mille aliîs artibûs, & ma- *Pſalm. 37.* chinamentîs adeſt juxta illud Regij Pſaltis: *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* In corde ponit cogitationes malas, in ore locutiones falſas, in membris operationes iniquas: In comeſtione ponit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in convictu invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præſulatu ſuperbiam: In vigilia movet ad prava opera, in ſomno excitat turpia phantaſmata, herì, & hodie, cras, & in omni tempore, in omni loco, in omni occaſione homini nocere ſtudet, eúmque deſpiciendô ad duellum provocat.

N. 3. Figuram hujus legimus, ubi Goliath, gigantea non minùs corporis mole, quàm armorum robore ferox, omni die ex caſtris Philiſtinorum egrediebatur, & truculenta voce, faſtúque barbaro ad duellum provocabat, quiscunque ex Iſraëlitis ſecum ad certamen deſcendere auſus fuerit. Gigantis hujus ſtatura ita deſcri- *1. Reg. 17.* bitur à Sacra Pagina: *Erat altitudinis ſex cubitorum, & palmi, & caſſis ærea ſuper caput ejus, & loricâ hamatâ induebatur. Porrò pondus loricæ ejus quinque millia ſiclorum æris erat, & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros ejus. Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium. Ipſum autem ferrum haſtæ ejus ſexcentos ſiclos habebat ferri.* Viva effigies hoſtis infernalis, qui & truculentia, & robore ferox quotidie hominem provocat ad certamen, omníque armorum genere, apparatúque bellico munitus apparet, ut congrediatur nobiſcum. Quid nî ergo idipſum nobis accidat, quod Iſraëlitis accidiſſe legimus

loc. cit. ad conſpectum terribilis gigantis Goliath, hîs verbîs: *Audiens autem Saul, & omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſtæi hujuscemodi ſtupebant, & metuebant nimis.*

Adverſarius non minùs viribûs potens ex altera parte inſtat, nempe rebellis caro, hoſtis ſanè blandus, & domeſticus, qui, dum videtur auxiliator, & adjutor animæ, velut improba ancilla impugnat herum ſuum, videlicet ſpiritum, eum bellô premendô, excruciandô, diu, noctúque infeſtandô. *Caro enim concupiſcit adversùm ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem.* Unde quippe ruina Adæ, Eſau pernicies, Iſraëlitarum interitus, Noë turpitudo, Sodomorum, & Gomorrhæorum conflagratio, crimen Loth, Davidis lapſus, niſi à carne, gula, & concupiſcentijs ejus? Aptè proinde à nonnullis caro comparatur uxori Putipharis, quæ, ùt legimus, injecit oculos ſuos in Joſeph, *& per ſingulos dies moleſta erat adoleſcenti: Dormi mecum.* Quod proſtibulum, famæ, honoris, & thori ſui conjugalis immemor, viva imago eſt carnis humanæ, utpotè diu, noctúque moleſtans hominem, ejúsque innocentiæ inſidias ſtruens. Quam ſic vivîs coloribûs depingit Petrus Cellenſis: Nulla peſtis efficacior eſt ad nocendum, quàm familiaris, & domeſticus inimicus noſter: Hic eſt ignis in gremio, ſerpens in ſinu, hæc eſt uxor hominis litigioſi, peſſima caro noſtra, quæ, licèt ſit vexata doloribûs, repleta illuſionibûs, impleta ſordibûs, afflicta infirmitatibûs, licèt ſit obnoxia paſſionibus, flagellîs trita, plagîs cæſa, morti denique deputata, attamen adhuc aculeîs contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, queruloſa, contumax, inquieta in ſuum, & animæ conjurat exitium, nec poſſe ſibi ſatisfieri putat, donec ſe, & animam præcipitet in æternæ damnationis abyſſum. Ita præallegatus laudatiſſimus Aſceta. Et benè. Vim enim hujus hoſtis expertus Sanctus Paulus, aliàs athleta fortiſſimus, exinde vix non ulterioris vitæ pertæſus, exclamare cœpit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Planè res admiratione digniſſima! Non intermiſit S. Paulus carnem ſuam mortificare, deprimere, debellare, eámque cum concupiſcentijs ſuis crucifigere, & tamen ſibi diffidens ingemiſcit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Si ergo Apoſtolus, ait S. Hieronymus, vas electionis, ſegregatus in Evangelium, Chriſti nuditatem, jejunia, famem, rigorem vin-

N. 4.

Gal. 5.

Gen. 39.

Petr. Cellenſ. in Epiſt. ad Cleric.

1. Cor. 9.

S. Hieron. Ep. 22.

culorum, ſqualorem carcerum, fatigationem viarum, tolerantiam perſecutionum, pericula maris, & fluminum, flagella, & tormenta mortis non ſemel perpeſſus, adeò ab hoſte carnis ſibi timuit; quid nos debiles faciemus? *Ego*, fatetur de ſeipſo eremicola Bethleemus, *ſedebam ſolus: Horrebant ſub ſacco membra deformia: Squalida cutis duritiem Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nudâ humô vix oſſa hærentia collidebam. De ſiti arida, & eſurie cruciante taceo. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, ſcorpionum tantùm ſocius, & ferarum, ſæpè choris per objectionem diabolicam intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis; & mens deſideriis æſtuabat. In frigido corpore, jam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant.* Si ergo tanta hoſtilitas carnis in Heroës exercitatiſſimos; quanta erit in nos imbecilles, & pavidos tyrones?

Bethleem. Ep. 22. ad Euſtoch. Tom. 1.

N. 5. Haud dubiè multa vigilantia, generoſo auſu, validis viribus opùs erit, ut illis annumeremur, de quibus Apoſtolus hæc ſcribit: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Crucifigenda erit caro inſtar duorum illorum latronum, qui cum Chriſto Salvatore noſtro digna factis ſuis receperunt. His enim ſimillima eſt nequiſſima caro noſtra, ait Hugo Cardinalis; latroni quidem à ſiniſtra parte pendenti, quia inſtar hujus non deſinit inſultare, illudere, irritare morientem ſpiritum: Latroni verò à dextris appenſo, quia à nequitia ſua nunquam convertetur, nec ad meliorem frugem redibit inſtar latronis hujus, usquedum clavis perforata compellatur ſe ſpiritui ſubjicere.

Gal. 5.

Hugo Card in c. 15. Marc.

N. 6. Tertius animæ hoſtis eſt mundus, qui in obſidione hominis quaſi ab extrinſeco latitat, & verſutias Holofernis æmulatur, quas allegat Sacra Pagina. Decretum erat, fixúmque Aſſyrijs, urbem Bethuliam omnî, qua poterant, armorum vî expugnare, & inde non recedere, antequàm tota gens Judæorum deleta fuiſſet. Hunc in finem Holofernes primus Dux exercitûs urbem cinxit centum viginti millibûs peditum, & viginti millibûs equitum, quotidie circumiens ad mœnia civitatis, & cuncta cautô oculô obſervans, qua via citiùs irruptionem faceret. Quadam die haud procul ab urbe reperit fontem, cujus aquîs potari cives Bethuliæ facilè adver-

Judic. 7.

adverterat Holofernes, proinde haud cunctatus, fontem hunc, ejúsque canales incidi jubet, ſpe fretus, penuriâ aquæ inter cives ingruente, in brevi deditionem Bethuliæ fore ſecuturam. Eodem dolo verſipellis mundus utitur in obſidione hominis. Quotidie à longè vagatur, & aſtutè ad cuncta attendit. Ex una parte minas multiplicat, ſeſe inciſurum fore fontes divitiarum, ac bonorum temporalium, ut anima rerum terrenarum penuriâ, paupertate, & inopiâ preſſa traditionem ſui non retardet; ex altera verò parte manu oſtentat poculum aureum, promittit honores, offert delicias, porrigit voluptates, Quid enim mundus eſt, niſi mulier illa Babylonica, quam vidit Joannes, & ipſe deſcribit hîs verbîs: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibûs blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem: Et mulier circumdata erat purpurâ, & coccinô, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia, & inebriati ſunt, qui inhabitabant terram, de vino proſtitutionis ejus.* Mulier hæc jam tunc typum mundi hujus geſſit; ſiquidem mundus iſte aurô, & argentô circumdatus ubique divitias ſuas jactat, purpurâ, & coccinô indutus in faſtu ſuo gloriatur, gemmîs, & unionibûs ornatus gerit in manu ſua poculum, ùt apparet, aureum gaudiorum, jucunditatum, ac deliciarum ſuarum, eúmque blandè offerendô dementat, ac intoxicat plurimam partem filiorum hominum. Unde S. Auguſtinus: *O munde immunde, qui homines illaqueare non deſinis, quieſcere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris! væ, qui tibi credit, beatus, qui tibi reſiſtit!* Habet & capita ſeptem, & cornua decem, id eſt, dominantem tyrannidem in eos, quos incantat, faſcinat, decipit, illudit, & perdit. Quàm multa enim, & dura his imperat! Ambitioſo tyrannicè imperat, ut honores, ut dignitates, ut gradus eminentiæ ſibi adipiſcatur. Et, bone Deus! quas talis adulationes, quæ obſequia, quas demiſſiones, quas ſupplicationes reiterare debet, ut ſursùm ſublevetur: Avaro tyrannicè imperat, ut opes, divitiáſque ſibi per fas & nefas procuret. Et quàm grave juſſum! quas enim vigilias, quos labores, quas curas, quos metus, quas fraudes, quas uſuras talem ſubire neceſſe eſt. Guloſo tyrannicè imperat, ut ingurgitationem cibi, & potûs amplectatur. Et quæ hujus imperij ſpurcitia! talis enim vomitus, putredi-

Applicatio

Apoc. 17.

S. Auguſt. Serm. 31. ad Frat. in erem.

tredines, febres, diſſenterias, luem veneream, podagras, chiragras, alióſque pænè innumeros ſibi morbos conciliat. Mitto deceptiones, fraudes, inconſtantiam, confuſiones, & mille ejusmodi alia, quæ experiuntur illi, qui mundum diligunt. Neque enim, qui pecuniam diligit, ſatiatur, neque, qui luxuriam diligit, ſatiatur, neque, qui gloriam diligit, ſatiatur, ſed potiùs hinc, & inde habet, ut ſibi caveat, hinc, quia mundus blanditur, ut decipiat, inde, quia mundus terret, ut frangat, ait S. Auguſtinus.

S. Auguſt. Serm. 1. de S. Vinc. M.

N. 7. Abſit autem, ô Roſariani! abſit à vobis omnis timor; ſi adverſùs vos conſtiterint caſtra, nolite terreri. Oportet hæc primùm fieri, & nondum ſtatim eſt finis, quouſque corpus hoc aggravat animam, eſtote fortes in bello, & reportabitis palmam. Roſarium veſtrum (verba ſunt Beati Alani) *cunctis diaboli, carnis, & mundi machinamentis adverſatur, & inquinamentis. Mundus clamat* quidem, ait S. Bernardus: *Ego deficiam: Caro clamat: Ego inficiam: Diabolus clamat: Ego decipiam: Chriſtus* verò, quem in Pſalterio colitis, *clamat ad vos: Ego reficiam.* Roſarium præbet ſufficientiſſima arma, ut ſuperentur adverſarij noſtri, & ponantur ſcabellum pedum noſtrorum. Egrediatur diabolus, integram legionem dæmonum ſibi aſſocians, glorietur in viribus ſuis, utatur fraudibûs, tumeat ſuperbiâ, clamet cum Goliath nos provocandô ad duellum: *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen. Si quieverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi; ſi autem ego prævaluero, & percuſſero eum, vos ſervi eritis, & ſervietis nobis - - Date mihi virum, & ineat mecum ſingulare certamen.* Nolite cadere animô, Sodales Mariani! ſed potiùs cum forti David vires ſumite, & dicite: *Non concidat cor cujusquam in eo. Ego ſervus tuus* (ô Maria!) *vadam, & pugnabo adversùs Philiſtæum;* & quidem eadem facilitate, iîsdem armîs, tam levi occurſu proſternam eum, ac olim Goliath proſtratus jacuit à Davide. Proceſſit quidem Goliath in certamen cum gladio, haſta, & clypeo, deſpexitque adverſarium in corde ſuo, dicens: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli, & beſtiis terræ.* De Davide autem progrediente ad duellum ſic memorat Scriptura: *Et tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit - - & miſit manum ſuam in peram, tunítque unum lapidem, & fundâ jecit, - - prævaluítque David*

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 8.
S. Bernard.
1. Reg. 17.

David adversùm Philiſtæum in fundo, & lapide, percuſsúmque Philiſtæum interfecit. Notate verba, ſignate Myſteria, Sodales Roſariani! In ſola funda, in unico lapide David victor evaſit de Philiſtæo. Unde autem huic fundæ tanta virtus? unde uni lapidi tanta efficacia? Non ex ſe, reſpondent S. Auguſtinus, S. Ambroſius, Sanctus Gregorius, & alij, ſed à myſterijs, quæ continebant & funda, & lapis. Funda ab ijs, quæ ſignificabat, erat planè admirabilis, & ſanctiſſima figura eorum, quæ olim in novo teſtamento erant futura: Lapidi verò, quo percuſſio facta eſt, teſte noſtro Hugone inſcriptum fuerat Nomen Domini. *S. Auguſt.* *S. Ambroſ.* *S. Gregor.*

Apprehendite jam, Sodales dilectiſſimi! apprehendite virtutem, figuram, & Myſteria Mariani Pſalterij. Funda eſt Roſarium, ait B. Alanus: Quinque limpidiſſimi lapides, quos elegit David, ſunt quinque Myſteria meditanda, quæ in unaquaque parte noſtri Pſalterij continentur: Lapis, quo percuſſus occubuit Goliath, eſt Chriſtus Dominus, maximè autem Chriſtus in Myſterijs gaudioſi Roſarij repræſentatus, quia in his conſideratus adeſt, ùt abſciſſus de ſinu æterni Patris, ùt de gremio matris quaſi de funda ſolutus in Nativitate, ùt percutiens diabolum, quando in templo oblatus peccatum primitùs delere cœpit: David denique eſt Symbolum omnium Fratrum, & Sororum Sanctiſſimi Roſarij, qui toties in funda, & lapide deijciunt infernalem Goliath, quoties ſuîs ſignîs Roſarij in prælium deſcendunt cum dæmone. Unde perdoctus Marchantius: *Deus per lapillos ſacrati Roſarij potens eſt avertere dæmonis potentiam, quando cum pietate vertuntur in caput ejus ſuperbum.* Et ipſa Beata Virgo olim ad Clientem ſuum dilectiſſimum, Beatum noſtrum Alanum, dum fortiſſimæ tentationi diabolicæ vix non ſuccumbens periiſſet: *Quid, ô miſer! quid agis? tu meam ſi orâſſès opem in Roſario, ùt aliàs feciſti, in tantum iſtud periculum nequaquam incurriſſes.* Imò David non duntaxat eſt Symbolum Fratrum & Sororum Roſarij, dum in funda, & lapide deijciunt infernalem Goliath, ſed vel maximè etiam in eo, quòd diabolum ponant ſcabellum pedum ſuorum. Poſtquàm enim David proſtravit hoſtem, addit Sacer Textus, *cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſtæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præcidítque caput ejus.* Idipſum de Roſarianis affirmare licet, ſuperatîs enim ope Roſarij tentationibûs diaboli, nedum pedibûs eundem conculcant, ſed & propriîs illum ſuîs in- N. 8. *B. Alan.* *Marchant. Opuſc. 11. Lect. 9.*

terficiunt armîs, ubi ex tentationibus faciunt proventum, & plura commoda, augmentum meritorum, laudiſque cumulum reportant ex iniquitate tentatoris.

N. 9. *Hugo Card.* Haud diſſimilis armatura fortium recondita latet in Mariano Pſalterio contra inimicitias carnis, quàm, ùt ſuprà diximus, Hugo noſter à S. Charo comparat latronibus illis, qui cum Salvatore noſtro crucifixi fuerunt in monte Calvariæ, & quidem non ſolummodò vinculîs, & funibûs ad crucem ligati, ùt paſſim pictores effigiant illos, ſed verè manibûs, & pedibûs, æquè ac Salvator noſter, clavîs ferreîs cruci affixi. Si enim ſola Crux Chriſti in locis manuum, & pedum fuiſſet clavîs perforata, & non etiam cruces latronum, planè in inventione ſalutiferæ Crucis, poſtquàm ſub terra tres erutæ ſunt cruces, Crux Chriſti facilè dignoſci potuiſſet ab alijs, utpotè ſola foraminibûs, fixurâ, & locîs clavorum notata. Conſtat autem ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, inventîs tribûs crucibûs diu dubitatum fuiſſe, quænam eſſet genuina Crux Redemptoris? donec ventum eſt ad miraculum, & ad contactum Crucis Chriſti, non autem ad contactum alternæ crucis, reſuſcitatus fuit mortuus. Probabile ergo eſt, ſicut Chriſtum Dominum, ita & duos latrones clavîs ferreîs cruci fuiſſe annexos, & cum ipſis & carnem noſtram rebellem, nequiſſimam, & nobis inimiciſſimam acutîs clavîs eſſe crucifigendam, ſi victoriam ab ea reportare concupiſcimus. Clavos autem hos nobis ſuppeditat Roſarium noſtrum doloroſum in ſuis Myſterijs de Paſſione Domini. Primum Myſterium eſt agonia Chriſti, & planè clavus peraccomodus ad crucifigendam carnem. Quis enim contemplatur Filium Dei ſudâſſe Sanguinem, fuiſſe triſtatum usque ad mortem, cecidiſſe ter in horto in faciem ſuam ob onus peccatorum noſtrorum, & carni ſuæ abblanditur? An non enim Sanguis Chriſti fratris noſtri clamat ad nos, ut ſaltem demus aquam lachrymarum, ubi ille dedit guttas ſanguineas? ut reſtringamus affectus titillantis carnis, ubi æterni Patris Filius triſtis factus fuit, & cœpit tædere, & pavere? ut ſupprimamus inſurgentes concupiſcentias, ubi Rex Regum humi jacet, ſceleribûs noſtrîs depreſſus? Secundus clavus eſt flagellatio Salvatoris, ubi conſideratur à Sancto noſtro Vincentio Ferrerio inprimìs violenter veſtibûs ſuîs nudatus, deìn à duobus ſucceſſivè militibus inprimìs duriter ſpinîs, & vepribûs, mox duriùs flagellìs aculeatîs, tertiò duriſſimè catenîs, & uncîs ferreîs dilaceratus. Hiant vulnera, patent coſtæ, *S. Vincent. Ferrer.*

hæret

hæret cutis, oſſa poſſunt dinumerari, ſqualet livor, & tumor. Et hæc omnia propter nos, ait S. Auguſtinus: Peccaverat caro noſtra, flagella peccatori debebantur, & multa in ſe ſuſcipit Chriſtus: Peccat iniquus, & punitur juſtus: Delinquit reus, & vapulat innocens: Quod commiſit homo, ſuſtinet Deus. Et tu adhuc demulces carnem tuam? tu ſequeris concupiſcentias tuas? Tolle, tolle, crucifige illas. Tertius clavus eſt ſpinea Corona, quæ habuiſſe memoratur ſeptuaginta duos fortiſſimos aculeos, qui, ut altiùs penetrarent, vî, & baculis adeò ad Sanctiſſimum Caput fuerunt adacti, usque ad teneritudinem cerebri, ait S. Damaſcenus. Obſervat inſuper S. Bonaventura, ex vehementia impreſſionis ita omnes nervos, arterias & venas fuiſſe commotas, ut magna Sanguinis copia per nares, aures, & oculos proruperit. Et tu homo, qui ne unius ſpinæ puncturam tolerare vales, tu carni tuæ abblandiaris? tu ſenſibus tuis, viſui, auditui, & guſtui omnia præbeas delectamenta? Tolle, tolle clavum hunc, & crucifigi latronem hunc. Quartum clavum invenimus in bajulatione Crucis. Crux hæc, ut piè meditantur Aſcetæ, in longitudine habebat pedes quindecim, octo verò in transverſum. Iter à domo Pilati usque ad montem Calvariæ complectebatur trecentos paſſus. Ubique concurſus erat populorum, præſertim autem puerorum notabatur protervia, jacientium lutum, ligna, & lapides in faciem mitiſſimi JEſu. Milites trahunt, & retrahunt, cædunt, & percutiunt, ita, ut cujus pars nulla illæſa fuerat in corpore, niſi plantæ pedum, & hæ lacerandæ forent aſperitate itineris. Et caro noſtra adeò rebellis ſit Cruci, adeò deliciari cupiat in delicijs ſuis? Quintus denique clavus eſt Crucifixio, ubi per detractionem veſtium refricabantur vulnera, &, ut dolor augeretur, clavi non acuti, ſed obtuſi, ùt advertit S. Bernardus, adhibebantur. Membra ſingula violenter extenſa, oſſa quodammodò diſrupta, Crux in altum elata, & cum impetu in profundam foſſam demiſſa, fel & acetum pro potu porrectum cruciatus quaſi in infinitum multiplicabant. Et tu! homo delicate! tu ita tenerè foves, ita molliter enutris carnem tuam, hoſtem tuum, adverſarium tuum? En clavum quintum! Tolle, tolle, crucifige, crucifige hunc latronem.

S. Auguſt.

S. Damaſc. de Exalt. Cruc.

S. Bonav. de Paſſ. Chriſti.

S. Bernard. de Paſſ.

Denique copioſiſſimum quoque armamentarium eſt Roſarium glorioſum, unde depromuntur arma abundantia, quibùs mundus, & ſub forma meretricis Babylonicæ, & ſub ſpecie aſtuti Holofer- N. 10.

nis nos aggrediens, ſubjicitur pedibus noſtris. Non diu magna illa meretrix jactabat poculum ſuum aureum, non diu in purpura ſua gloriabundè incedebat, non diu de vino fornicationis ſuæ propinaverat amatoribus ſuis, & mox dilectus Chriſti Diſcipulus ſubjungit: *Vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria ejus. Et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna - - - Et ſuſtulit unus Angelus lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur.* Quem autem iſte Angelus præfiguráſſe credendus eſt, niſi Chriſtum Dominum? Iſte deſcendit de cœlo, habens poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria ejus, nóxque prima nativitatis ejus, ſicut dies, reſplenduit. Suſtulit Divinus hic Angelus lapidem in primo Myſterio glorioſi Roſarij, ubi nempe lapidem ſepulchri quaſi nihili habens, eóque minimè impeditus ſurrexit à mortuis, apparuítque Diſcipulis ſuis penès mare Tyberiadis, docendô eos & verbô, & exemplô ſuô, quo impetu contemnendus eſſet mundus, & foras mittendus, ne ampliùs inveniretur in cordibus eorum, quaſi dicens: Hoc impetu, hoc meo exemplo mittetur mundus, id eſt, ſuperabitur, vilipendetur, & annihilabitur, ſi nempe Reſurrectionem à mortuis ſæpiùs devota mente recogitabitis. Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur in reſurrectione mortuorum? quid proderunt divitiæ? quid honorum tituli? quid deliciæ carnis, quæ momentaneè tranſituræ ſunt, & poſt hoc quilibet judicandus erit, prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum, vel ad vitam, vel ad ignem æternum? Econtra quanta gloria, quanta remuneratio præparata manet in cœlis illos, qui mundum ſpernunt, mundum conculcant, mundum abijciunt, ſuam converſationem unicè cum Chriſto aſcendente in cœlos (ùt contemplamur in ſecundo glorioſo Myſterio) habent in ſupernis?

Apoc. 18.

N. 11. Æquè facilì negotiô in glorioſo Roſario invenimus id, quo de mundo ſub ſpecie, & figura Holofernis nobis inſultante triumphamus. In glorioſis Myſterijs meditamur Beatiſſimam Virginem Mariam ita triumphâſſe de mundo hoc, ut cum corpore ſimul, & anima tranſiêrit in cœlum, nihil penitùs ſui terræ relinquens in ſpolium. Et benè: Quia manus, quæ nunquam erectæ fuerant,

niſi

niſi ad benedicendum Creatorem ſuum, non æquum erat, ut verterentur in terram: Oculi, qui nunquam aperti fuerant, niſi ad laudandum illum, qui eos formavit, indecens erat, ut mundo in prædam cederent: Pedes, qui nunquam greſſum fecerunt, niſi ad ſervitium Dei, & utilitatem proximorum, non decuit, ut eorum particeps fieret humus: Os, quod uſum non habuit, niſi ad gratiarum actiones, cur in cineres mutaretur? Caro, quæ nunquam carnem ſapuit, quinimò purior fuit omni Sanctorum ſpiritu etiam puriſſimo, non æquum erat, ut terram ſaperet: Totum corpus, quod poſt concupiſcentiam mundi non abiît, planè decuit, in ſignum completæ victoriæ integrum aſſumi in cœlum. De ipſa, ô munde immunde! ſcriptum legimus: *Ipſa conteret caput tuum.* *Gen. 3.* Illa erat fortiſſima Judith, quæ amore populi ſui te in figura Holofernis glorioſè devicit: Illi cœlos victorioſè ingredienti Spiritus Angelici idipſum acclamârunt, quod olim cives Bethuliæ accinere auditi ſunt ovanti liberatrici ſuæ: *Tu gloria Jeruſalem, tu* *Judith 15.* *lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum.* Ipſa nos protegente, & pro nobis adverſùs mundum hunc pugnante non habemus, cur timeamus Holofernem hunc ambitioſum. Unde totum hoc ſiſtema ſic concludit eruditus Lovvetius hîs verbîs: *Roſarium eſt felix illud ſe-* *Loppez.* *men mulieris Mariæ, quod caput ſerpentis tartarei conterit, ſuper vitia carnis ambulat, & leonem furentis mundi hujus pedibûs conculcat.*

Hiſtoria.

SI vita hominis militia eſt ſuper terram, à fortiori vita animarum Deo dicatarum, utpotè triplici communi hominum hoſti magìs infeſtarum, continuum bellum eſt cum diabolo, carne, & mundo. Teſtes ſunt duo fœdifragi, Sacerdos quidam, & Monialis, qui conſentientes peccato ea perpetrârunt, quæ ſanctitas conditionis ſuæ utrique nec cogitare, nec ſomniare permiſit. Non diu tamen turpitudo hæc deliteſcere potuit, ſed potiùs, Deo ſic ordinante, ociùs in apricum venit, ita, ut ambo deprehenſi, ambo ad luendam pœnam flagitiorum rapti, ambo deterrimo carceri mancipati fuerint. Neutrum tamen divina miſericordia de-

ſeruit, quin, gravitate peccati oculis objecta, amborum corda ita commoverit, ut contritô animô, lachrymantibûs oculîs, percutientes pectora ſua, ſeſe ad Matrem divinæ gratiæ converterint, ſpémque firmiſſimam in Roſario, quod ante peccatum multùm cordi habebant, collocârint, veniam enormis ſceleris ſui benignè impetrandi. Et haud inaniter, haud ad inſipientiam ſibi! Pauci enim menſes abiêrant, ubi ſeſe patrocinio Sanctiſſimi Roſarij commiſerant, utrumque miſericordiſſima Dei Genitrix in ſuo carcere ſeparato inviſit, utrumque conſolatur, deprehenſáque manu ita ambos ſucceſſivè in tutum educit, ut ipſi paulò poſt in eo ſitu corporis, prout uterque tunc genuflexus orabat Roſarium in carcere, collocatos ſe conſpicerent ante Altare in Eccleſia, compulſis intereà per Beatam Virginem dæmonibûs, ut locum captivorum tamdiu implerent, usquedum ipſis facultas abeundi danda foret. Altera die Præfectus ſucceſſivè utrumque carcerem accedit, ſuos captivos inveſtigat, nullum tamen invenit; videns econtra duos horrendos dæmones vinculîs alligatos, & locum captivorum adimplentes ita terretur, ut animi impos alta voce clamare, & ejulare cœperit. Concurrunt vicini, adſunt lictores, confluunt judices, obmuteſcunt ad horrendum hoc ſpectaculum, usquedum tandem ſeſe recolligentes decreverunt, per adjurationem dæmonum punctum facti expiſcandum eſſe. Adjurati igitur infernales Spiritus id faſſi ſunt, quod erat in re, nempe, ſe quidem, adjuvantibûs mundo, & carne, olim triumphâſſe de Sacerdote, & Moniali; aſt vice verſa nunc demùm eò turpiùs ab illis, qui priùs victi erant, triumphatos fuiſſe, quò ſtrictiùs vinculîs hîs ligati, & loco huic conſtricti adeſſent, totam cauſam hujus metamorphoſis eſſe Roſarium, quod recitantes ambo captivi nedum veniam peccatorum obtinuiſſent, ſed inſuper ope Virginis Mariæ ambo in tutum collocati inveniendi eſſent in Eccleſia ante Altare dictæ Virginis Deiparæ. Hunc in finem, ut rei veritas indagaretur, ad Eccleſiam totus populus abit, & cum ſtupore & Sacerdotem, & Monialem ante Altare genuflexos inveniunt, gratias agentes illi, cujus auxiliô & diabolum, & carnem, & mundum poſuerunt ſcabellum pedum ſuorum, inſupérque ita mutatos in moribus, ut vitam in poſterum ſanctiſſimam duxerint. Beatus Alanus de Rupe 4. p. Operis rediv. cap. 25.

SER-

SERMO QUADRAGESIMUS SEXTUS.

Dominica decima octava poſt Pentecoſten.

THEMA.

Venit in civitatem ſuam. Matth. 9.

Regina Sacratiſſimi Roſarij eſt Civitas refugij, & in malis corporis, & in culpis animæ.

DUo hodie beneficia miſericors Salvator contulit paralytico. N. 1.
Primò: Dimiſit ei peccata, dicens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Secundò: Integrum ei reſtituit uſum membrorum, inquiens: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Petentis votum unicum erat pro ſanitate corporis, benigniſſimus Salvator ad ſanitatem corporis addidit & ſanitatem animæ. Nec fruſtra, eleganter advertit Lyranus; ad *Lyran.*
artem enim periti medici pertinet, primitùs removere radicem morbi, poſteà autem intendere curationi infirmi. Cùm ergo hodierno paralytico paralyſis acciderit in pœnam peccati, rectè priùs peccatum, ceu radix morbi tollitur, & poſteà plena ſanitas reſtituitur. Sciendum quippe eſt, cauſas, cur morbi immittantur homini, aſſignari varias, & inter eas primum non rarò locum ſibi vendicare peccata ab homine commiſſa, à quibus, ut reſipiſcat

pecca-

peccator, ſubinde variîs exagitatur malîs corporis. Primam
B. Albert. morborum cauſam noſter B. Albertus Magnus ponit in eo, ut ju-
M. in c. 9. ſtis per patientiam meritum augeatur, & gloria. Ita Scriptura
Matth. refert de patientia Job. Secunda cauſa morborum tendit ad cu-
1. Cor. 12. ſtodiam virtutis, ne ſuperbia tentet hominem. Ita Paulo accidiſ-
ſe legimus. Tertia cauſa datur ad gloriam Dei manifeſtandam;
Joan. 9. prout de cæco nato teſtatur increata Veritas. Quarta cauſa mi-
nitatur pœnam æternam ſecuturam, ut hîc homo, doloribûs preſ-
Jerem. 7. ſus, incipiat advertere ad pœnas inferni. Unde dicitur: *Duplici
contritione* (& hîc, & ibi) *contere eos.* Quinta denique cauſa
Num. 11. morborum pro fine habet correctionem peccatoris; ob quam
cauſam leprâ percuſſam novimus Mariam ſororem Moyſis, item
hodiernum paralyticum paralyſî fuiſſe correptum. Primitùs igi-
tur cœleſtis Medicus per remiſſionem peccatorum ſuſtulit cauſam
morbi, & deinde infirmo reſtituit integram incolumitatem corpo-
ris, & quidem ea miraculi novitate, ut, qui priùs ſe movere non
poterat, ſed à quatuor viris portabatur, mox & ambulandi, &
ſtandi, & portandi lectum adeptus fuerit plenam facultatem, &
vires in inſtanti reconvaleſcentiæ robuſtiſſimas. Cujus ſtupendi
miraculi duplex allegatur ratio à Sanctis Patribus. Prima cauſa
erat firmiſſima fides, quam paralyticus habebat de Chriſto, nec
non & illi, qui hunc paralyticum portabant, utpotè qui, ùt refert
Luc. 5. S. Lucas, *non invenientes, qua parte paralyticum inferrent præ
turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum
cum lecto in medio ante JEſum.* Unde addit Sacer Textus: *Et
videns JEſus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittun-
tur tibi peccata tua.* Secundam cauſam patrati miraculi eruunt
ex eo Sancti Patres, quod illud ideò patrare voluerit Unigenitus
Dei Filius, quia, adnotante Sacro Textu, *venit in civitatem.*
Tres enim legimus civitates Chriſti, quas ortu, perſona, & mira-
culis ſuis nobilitavit. In civitate Bethleem naſci dignatus eſt:
In civitate Nazareth adolevit usque ad annum ætatis ſuæ trigeſi-
mum, in Capharnaum tempore prædicationis ſuæ diutiùs ſubinde
morari conſueverat; unde civitatem ſuam appellare ſolebat, ubi
& hodiernum miraculum applaudente omni populo peractum fuit.
S. Damaſc. Sodales Mariani! ad aliam civitatem Chriſti vos hodie deducam.
de Dormit. In ſenſu morali Auguſtiſſima cœlorum Regina, civitas Dei, civitas
B. V. vivens, civitas Regis exercituum, civitas refugij appellatur à S.
Dama-

Damaſceno. In hac civitate Roſariani refugium inveniunt & in malis corporis, & in culpis animæ.

Infinita Dei bonitas populo ſuo in veteri teſtamento de triplici refugio providit, de arca videlicet, de monte, & de civitatibus refugij. In arca tempore diluvij ſervatus eſt Noë cum octo animabus hominum: In monte ſervatus eſt Lot tempore incendij Sodomæ, & Gomorrhæ. In civitatibus refugij, quæ ex juſſu Dei in terra promiſſionis ædificatæ fuerunt, omnes, qui rei erant cujusdam homicidij aut caſualis, aut ſufficienter non præmeditati, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ commiſſi, aſylum tutaminis invenerunt à perſecutionibus amicorum, vel conſanguineorum occiſi. Tria ejusmodi refugij loca & in novo teſtamento clementia Salvatoris mortalibus aſſignavit. Arca Noë ſunt merita, Humanitas, & Paſſio Chriſti, ad quæ, quicunque recurrit, à diluvio, & ab interitu tum corporis, tum animæ ſervatur. Montes ſunt Sancti in gloria Dei juxta illud S. Ambroſij: *Mons tuus Paulus eſt, mons Petrus, mons alij Apoſtoli.* Ad hos montes quicunque fugit, à neceſſitatibus ſuis ſalvatur. Hinc in periculo naufragij confugimus ad S. Nicolaum, in peſte ad S. Sebaſtianum, & Rochum, in febribus ad S. Petrum Apoſtolum, S. Petrum Martyrem, & S. Nicolaum de Tolentino, in dolore oculorum ad S. Ottiliam, in dolore dentium ad S. Apolloniam, in dolore gutturis ad S. Blaſium, pro rerum perditarum recuperatione ad S. Antonium, in incendio ad S. Florianum, & pro alijs cauſis ad alios Sanctos. Denique civitas refugij eſt Beata Virgo Maria, maximè in Roſario, ad quam non duntaxat in particulari quodam mali genere, ſed in quavis neceſſitate, in quibusvis periculis, in quacunque anguſtia, & tribulatione ſive juſti, ſive peccatores refugiunt. N. 2.

S. Ambroſ. L. 8. in Luc. c. 17.

Et benè. Quidquid enim Sacra Scriptura antiquis refugij civitatibus attribuit, id quoque glorioſæ Virgini Mariæ, præcipuè in Roſario, jure merito convenit. Inprimìs: Ad civitates refugij, ùt colligit ex monumentis Hebræorum noſter Oleaſter, viæ erant planæ, & absque ullo offendiculo, aut impedimento rectæ, ut fugitivus ad eam nullatenùs retardaretur, aut retraheretur. Ad eundem modum in via, quæ ad Virginem tanquam ad Urbem refugij ducit, nullum eſt obſtaculum, nullum impedimentum, nullum offendiculum; nihil námque in Virgine auſterum eſt, nihil ter- N. 3.

Oleaſter in c. 35. Num.

terribile, tota ſuavis eſt, tota mellita, tota materna, nihil eſt, quod incedentem remoretur. Unde illud uſurpare licet: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis: Quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Secundò: In via ad civitates refugij, teſtatur præcitatus Author, in omni bivio, aut trivio ſtipes erat erectus, in quo ſcriptum erat: *Miklat;* ut fugiens directè pergere, non à via vera declinare poſſet. Ad eundem modum currentibus ad Beatam Virginem occurrunt tot ſigna, tot miracula, tot tabellæ, tot votiva dona, in templis, & in Altaribus appenſa, quæ liquidò monſtrant, Beatam Virginem eſſe Civitatem refugij, & ad eam viam oſtendunt cuilibet afflicto, ſeu in quacunque neceſſitate poſito. Tertiò: Portæ civitatum refugij omnibus promiſcuè fugitivis patebant, & nulli unquam claudebantur. Ad eundem modum viſcera materna Virginis Mariæ omnibus indiſcriminatim, & quidem omni tempore, omni momento aperta ſunt, & nulli unquam ſinus miſericordiæ clauditur. Etenim *ſileat miſericordiam Matris Mariæ, qui eandem invocatam ſibi unquam meminerit defuiſſe*, verba ſunt S. Bernardi. Quarto denique: Civitates refugij eo privilegio donatæ fuerant, ut, qui, homicidiô præter intentionem perpetratô, ad eas confugerat, ſecurus eſſet à perſequentibus, & tumultuantibus amicis occiſi. At longè majorî privilegiô Maria gaudet: Per ſuæ miſericordiæ immenſitatem eſt Civitas ampliſſima, quæ omnibus ſive malîs corporis preſſis, ſive ſceleribûs oneratis jucundum aſylum præbet.

Proverb.4. — *S.Bernard. Serm. 4. de Aſſumpt.*

N. 4. Ante omnia autem Maria in Roſario titulô Civitatis refugij condecoranda venit. Ad hujus acceſſum viarum nulla obſtant impedimenta, ſed ubique tutiſſimus, & facillimus aditus, quia in omni fermè oppido, in omni civitate, & Parochia Archi-Fraternitas Sanctiſſimi Roſarij erecta eſt, ubique ſigna, quæ viam rectam indicant, poſita deprehendimus, ubique miracula per Roſarium patrata videre licet, ubique tabellas ex cera, ex auro, ex argento, ubique imagines invenies, quæ virtutem Roſarij ſignificantes ad Mariam te dirigunt, ad Archi-Fraternitatem accipiendam te movent. Porta ad Marianum Pſalterium ſemper eſt aperta, univerſis advenientibus patula; ſola enim voluntate poteſt haberi, & gratuitum cunctis ingreſſum præbet, eſt omni ætati, omni ſexui, omni ſtatui accomoda, omnes admittit, ut in ea adſcripti laudent

Nomen Domini, ejúsque intemeratæ Matris laudes decantent, quoniam ad hunc finem Archi-Fraternitas inſtituta eſt, & ordinata, non verò ad humanum quæſtum. Denique Maria in Roſario aſylum, & immunitatem præbet univerſis ad eam confugientibus, quia, ipſa teſte, Roſarium contra omnia adverſa eſt certum præſidium; ùt revelare dignata fuit Sancto Patri Dominico, & Beato Alano.

Quid nî ergo ad hanc Civitatem recurramus miſeri, quos N. 5.
millena corporis mala premunt, tot commiſſa peccata in periculo mortis æternæ terrent? Maria in Roſario inprimìs eſt Civitas refugij contra adverſa quæque, quæ corpus noſtrum innumera circumſtant; vix enim homo naſcitur, & repletur multîs miſeriîs, *Job. 14.* quaſi flos egreditur, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Omnes ſumus exules filij Evæ, & plangendô naſcimur, ita, ut ipſe Salomon, quamvìs potentiſſimi Regis filius, faſſus ſit de ſeipſo: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* *Sap. 7.* Miſeriîs pleni ſunt omnium hominum ſtatus, ſtatus cælibatûs, ſtatus matrimonij, ſtatus pauperum, ſtatus divitum, ſtatus dominorum, ſtatus ſervorum, ita, ut perſæpè mortui feliciores videantur viventibûs, & mors præ vita in votis ſit. Infantia calamitoſa, & amara eſt. Pueri verbîs, minîs, & ferulâ compelluntur ad diſcendum, nihil moleſtius eſt ſchola, & labore, quisquis de his loquitur, hoſtis eſt. Juventus, utut flos ætatis dicitur, turbulenta tamen eſt, continuîs agitatur paſſionibûs, inordinatîs ardet affectibûs, & in millena ſe præcipitat pericula, nunc læta, nunc triſtis, nunc quieta, nunc turbata, nunc dubia, nunc certa, nunc timida, nunc audax, nunc ridet, nunc plorat, nunc vult, nunc non vult. In virili ætate homo defatigatur curîs publicìs, & domeſticîs, maceratur multitudine negotiorum, & commerciorum, atteritur moleſtiîs officiorum, & laborum. Senectus ipſa eſt morbus, catharri defluunt, abundant humores phlegmatici, dentes ſpontè ſeſe eruunt, vires deficiunt, pedes vacillant, cæcutiunt oculi, tremunt brachia, alij laborant capite, alij pedibûs, multi in auribus, multi in pectore, multi in ſtomacho, in renibus, in tibijs, toto corpore ſunt defectuoſiſſimi, adeò, ut etiam ſolus oculus corporis teſte Galeno centum, & duodecim defectibus, & morbis ſit ſubjectus. Qui ſoluti ſunt, quærunt uxorem, & ſtatum conjugalem exiſtimant deſideratiſſimum: Viduæ ſe reputant planè infortunatas, & unicè

 anhe-

anhelant ad adjutorem ſimilem ſibi. Si conjugati interrogentur ad ſtatu ſuo, liberè fatentur, eum in orbe terrarum eſſe moleſtiſſimum. Si prolibûs carent, continua vota hæredem depoſcunt: Si proles adſint, augentur curæ, faſtidia, & afflictiones. Paupertas ô quàm acerba eſt! ô quàm dura inopum conditio! Frigent, eſuriunt, ſitiunt, ubique deſpiciuntur, vagantur deſolati, & de neceſſarijs vitæ jugiter anxiantur. Status divitum prima fronte æſtimatur perquàm felix; ſed quis inquietudinem mentis, quis ſolicitudines, quis noctes inſomnes, quis omnes eorum moleſtias enarrabit? *Suſpirat dives*, ait S. Cyprianus, *in convivio, vigilat, & inſomnis jacet in pluma, nec intelligit miſer, ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia pecunias, aurô ſe illigari, & poſſideri potiùs, quàm poſſidere divitias.* Subditorum, ſervorum, & ancillarum conditio ſcatet querelîs, lamentationibûs, murmurationibûs, & turbationibûs, onus ſuum grave dicunt, jugum ſuum importabile. Prælatorum, & dominorum ſtatus in vulgi æſtimatione eſt eminentiſſimus, in ſe tamen, teſte noſtro Angelico, omnium reputari debet infimus, utpotè quotidianîs difficultatibûs, & tædiîs refertus. Prælati ſunt ſuorum ſubditorum ſervi, portant in ſuis humeris onus univerſorum, & continuò pervigilant, quaſi de ſingulis olim rationem reddituri. In his ergo miſerijs ubi refugium? ubi quies? ubi aſylum?

S. Cyprian. Epiſt. ad Donat.

S. Thomas L. 1. de Erud. Princip.

N. 6. In Regina Sacratiſſimi Roſarij. Ipſa enim eſt Civitas refugij in omnibus preſſuris corporis; ipſa, ſi non ſtatim ex integro adverſitates avertit, pœnas aufert, tribulationes amovet, ſaltem in cunctis ærumnis ſolamen, & refrigerium præbet; ipſa mœſtos conſolatur, morbos dimovet, oppreſſos tuetur, labores dulcorat, tædia diminuit, puſillanimes erigit, imbecilles confortat. Hujus rei locupletiſſimus teſtis ſit Sanctiſſimus ejus Sponſus Joſeph, qui in ſuæ artis operibus, cùm laboraret cum Virgine in connubio manens, ſub ejus patrocinio laborem non ſentiebat. Multa ipſi, & perincommoda itinera ſubeunda fuerunt, omnibûs pænè rebûs deſtituto. In Bethleem diverſorium non invenit cum Sponſa prægnante: Herodis rabiem fugiens nocte intempeſta cum Virgine, & Puero JEſu in Ægyptum diſceſſit: In Ægypto per ſeptem annos moratus multos labores, & ærumnas pertulit: In reditu ex Ægypto quot moleſtias, quot pericula, quod incommoda paſſus fuerit, quiſque conjicere poteſt; & tamen nullibi legitur, Sanctiſſi-

ctiſſimum Patriarcham moviſſe aliquas querelas, tædiô fuiſſe affectum, aut ullam oſtentâſſe in tot afflictionibus puſillanimitatem. Et ſanè non aliam ob cauſam, niſi quia Mariam Virginem ſibi habebat comitem, cujus conſortiô opportunum laborum ſuorum expertus eſt ſolamen, labores non ſentiebat, incommodîs non premebatur, periculîs non commovebatur, neque aliquid ſibi oneroſum exiſtimabat. In Virginis conſortio labores in requiem, preſſuræ in dulcedinem, anguſtiæ in refrigerium commutabantur.

Id hodiedum experiuntur Sodales Roſariani, qui in ſuis afflictionibus ad Pſalterium confugiunt, & à JEſu, ejúsque Matre ſe avelli non patiuntur. Ex conſortio enim Virginis Roſarianæ omnia onera humana ipſis fiunt levia; labor tranſit in otium, paupertas, perſecutiones, hoſtium oppreſſiones, captivitates, diverſa morborum genera, quævis corporis mala lenimen habent. Quis enim enumerare ſufficiat gratias, & favores, quos omnes miſeri, per Roſarium ad Mariam veluti Civitatem refugij recurrentes, adepti fuerunt? Ingens volumen conſcribendum foret, ſi ea, quæ ſparſim in probatis Authoribus in hoc genere miracula Roſarij inveniuntur, colligere vellem. Sed ab hoc labore me jam liberârunt Abraham Bzovius, Caſtillus, Schnekius, noſter Diſcipulus, Lalaing, Loppez, Carthagena, Michovienſis, Romanius, Razzius, Cantipratenſis, & alij, qui hoc argumentum fuſè pertractârunt, & quaſi innumera exempla congeſſerunt, in quibus beneficia per Mariam in Roſario miſeris hominibus præſtita legentibus pateſcunt, ut proinde nullibi veriùs, quàm ſub titulo Sanctiſſimi Roſarij de Maria Virgine verificentur verba S. Bernardi: *Nam Maria omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam.* Si eſuris, cibum dabit; ſi ſitis, potum propinabit; ſi morbus te cruciat, illa ſanabit; ſi ignorantia, vel malitia, vel paſſio aliqua te obcæcat, illa illuminabit; ſi timores, ſi ſcrupuli, ſi anxietates te angunt, illa cordis latitudinem, & lætitiam tribuet; ſi cholera infeſtat, illa melle dulcedinis ſuæ te dulcorabit; ſi paupertas premit, illa ditabit; ſi tribulationes vexant, illa juvabit; ſi hoſtes invadunt, illa tuebitur; omnibus optatiſſima refugij Civitas in ærumnis corporeis effecta eſt. N. 7.

S.Bernard. ſuper ſign. magn.

Et quidem Civitas refugij, quæ eîsdem prærogativîs gaudet, quæ olim apud gentiles templo Athenienſi, in Sacra Scriptura verò N. 8.

templo Salomónis conceſſas fuiſſe legimus. Athenis, ùt teſtatur *Popin. Stat. L. 12.* Popinius Statius, templum erat, quod communî vocabulô vocabatur templum miſerorum. In hoc templo portæ diu, noctúque patebant, concurſus populorum ad illud erat continuus, nullus inde revertebatur, qui ſe in petitionibus ſuis exauditum fuiſſe dubitabat: Non illic offerebantur ſacrificia, ſed ſolæ lachrymæ, & pij gemitus ſufficiebant. Paucos ibi divites, & fortunatos videre erat, pauperes verò, miſeros, & afflictos ſinè numero. Templo *2. Paralip. 1.* autem Salomonis Deus ipſe promiſſum dedit: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit. Elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctîs diebûs.* Tanta erat templi hujus dignitas, ut ſtaret ibi Deus attentus, & paratus ad exaudiendas cunctorum orationes. Has easdem prærogativas ſibi vendicat Roſariana Civitas refugij, glorioſa Virgo Maria. Hæc enim veriſſima eſt Civitas miſerorum, quæ ſemper patet afflictis, & anguſtiatis, in qua nullus petitiones ſuas explicat, & non exauditur, ſufficiunt lachrymæ cordis, & pij gemitus absque omni dono, & ſacrificio, turmatim ad eam confluunt miſeri, & pauperes. Similiter Numen benigniſſimum non minora præſtat in hac animata refugij Civitate, quàm olim præſtitit in templo Salomonis. In hoc oculos ſemper apertos, & aures erectas ad orationem eorum, qui in loco illo oraverunt, habuit: Illic non ſolùm oculos apertos habet, ſed etiam tam promptus, & paratus eſt ad ferendam opem illis, qui ad Mariam in Roſario, tanquam ad Civitatem refugij, veniunt, ut etiam arrectîs auribûs adſtare videatur, ut eorum orationem exaudiat. De templo Salomonis Deus dixit: *Et permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctîs diebûs.* Ut diſceres, non perfunctoriè, ſicut ſolent plerique Reges, Principéſque Viri, Deum ſuorum preces in templo exaudire, ſed etiam ex corde, & ex animo, ita, ut non nudè audiat, ſed etiam exaudiat. Quod potiori jure ad Virginem Roſarianam transferendum eſt. Quisquis enim ad ejus patrocinium recurrit, quisquis ejus opem implorat, præſentiſſimum Dei auxilium in neceſſitatibus corporis, & mundi hujus conſequitur, in Roſariana Civitate refugij à miſerijs humanis tutè conquieſcet.

N. 9. Inſuper & in culpis animæ tutum aſylum adinveniet. Hoc jam dudùm in ſpiritu præoſtenſum fuit coronato Prophetæ, ubi de

de civitate Dei ſic loquitur: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob: Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei.* Per hanc civitatem communiter Sancti Patres intelligunt glorioſam Dei Matrem; ipſius enim fundamenta ſunt in montibus altis, id eſt, in Patriarchis, & Regibus, ex quibus originem traxit, ſeu cujus fundamenta gratiarum, & donorum cœleſtium inde ſurgunt poſita, ubi in aliis Sanctis, veluti montibus, omnia divina chariſmata finem ſuum ſortiuntur. Murus fuit conſtantia, cæmentum temperantia, propugnaculum fortitudo, vallum prudentia, fundatio integra ſuper humilitatem, caſtitatem, charitatem, & virtutes omnium aliorum Sanctorum, in monte innocentiæ, & puritatis, in monte juſtitiæ originalis, in monte gratiæ perſeverantis. Ipſius portas Deus diligebat ſuper omnia tabernacula Jacob, id eſt, ſuper omnes creaturas, quia Spiritûs Sancti artificiô fabricatæ erant: Porta orientalis fuit Fides, per quam Sol Juſtitiæ in ea illuxit: Porta meridiana fuit Charitas, per quam in ea ſanctus pii Spiritûs calor incaluit: Porta ſeptentrionalis fuit Virginitas, per quam in ea concupiſcentia carnalis extincta eſt: Porta occidentalis fuit humilitas, per quam in ea mundanæ tentationes propulſatæ ſunt, ait Alanus Inſulanus. Maria verè dicitur Civitas Dei, quia tota fuit Dei, & nullius niſi Dei, parte adverſa nihil quippiam in ea habente, ſemper à Deo poſſeſſa, & poſſidenda, in qua magnus Dominus, & laudabilis nimìs corporaliter per novem menſes inhabitare dignatus eſt. Et ideò glorioſa dicta ſunt de ea non ſolùm ab hodiernis, ſed etiam antiquis, glorioſa de ortu fundationis, glorioſa de perfectione ædifici, glorioſa de conſummatione operis.

Pſalm. 86. — *Alan. Inſul. de Annunt. B. V.*

N. 10. Jam ſi quærere fas eſt, edic nobis, coronate Propheta! Quid vidiſti in hac civitate Dei? qui illius cives? qui incolæ? qui populi? *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Reſpondet David. Aſt quæ convenientia infamiſſimi inquilini ad glorioſam Civitatem Dei? Per alienigenas Euthymius intelligit Philiſtæos, qui erant populus impijſſimus, rixoſus, bellorum, & rapinarum amans, Judæis, & cultui divino adeò infenſus, ut nihil aliud intenderint, niſi unitîs viribûs ſtirpem Judaicam extirpare, & cum illo Dei veri Nomen, & gloriam in terris abolere. Tyrij teſte Dionyſio Carthuſiano maximè uſuræ, avaritiæ, & fraudibus erant dediti, utpotè mercaturam exercentes, & de Mammo-

Pſalm. 86. — *Euthym.* — *Dionyſ. Carthuſ.*

na

na iniquitatis eò magìs ditati, quò mari magìs finitimi opportuniùs merces ſuas in diverſas mundi partes divendere poterant. Denique Æthiopes & ipſi erant homines perquàm ſcelerati, maximè voluptates, & delicias carnis ſectantes, quorum Deus venter dicitur, & impura Venus Idolum adorationis. Et ejusmodi infames incolas in Mariana Civitate Davidem conſpexiſſe credamus? Indubiè, & quidem non absque veritate, & myſterio. Inprimìs enim ſecundùm ſenſum litteralem & Philiſtæi, utut gens impia, & Tyrij, utut avaritiâ, & injuſtitiâ turpes, & Æthiopes impuri, ac molles Marianam civitatem inhabitâſſe meritò dicuntur, quia Maria pro harum gentium converſione, ſalute, & correctione potiſſimùm contribuit, adhuc degens in hac vita. Ipſa enim poſt Aſcenſionem Filij ſuperſtes in hoc mundo, vel annîs novem, ùt vult Hippolytus, vel annîs duodecim, ùt putat Vincentius, vel annîs quatuordecim, ùt ſentit Euſebius, vel annîs quindecim, ùt communior fert opinio, continuas ad Deum preces fundebat pro converſione gentilium. Ipſa dirigebat, & excitabat Apoſtolos ad prædicationem Evangelij, quorum verba dum exibant in omnem terram, præcitati populi inter primos Chriſti fidem amplexi fuerunt. Et ideò in viſu hoc demonſtratum fuit Davidi: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

Hippolyt. *Vincent.* *Euſeb.*

N. 11. Loquendô autem in ſenſu morali alienigenis, Tyrijs, & Æthiopibus incolatus Marianæ civitatis denegari nec hodiedum poteſt. Quid enim nos peccatores ſumus, niſi alienigenæ, & exules filij Evæ? Et benè exules filij Evæ, non verò Adami. Etſi enim aliàs filius à patre, & non à matre nomen trahat (Titius enim non Bertæ, ſed Caij dicitur filius. Unde etiam S. Lucas in Genealogia Chriſti non ait: Qui fuit Bethſabeæ, qui fuit Evæ, ſed qui fuit David, qui fuit Adam) attamen in recognitione peccatorum noſtrorum congruè exules filij Evæ, non verò Adæ dicimur, quia ſicut Eva debilior, ad peccatum pronior, & prima cauſa extitit in transgreſſione divini præcepti, & conſecuti exinde exilij; ita & nos hodiedum debiles, ad peccatum proni, & divinorum præceptorum ſcelerati transgreſſores alienigenæ dicimur, & filij exules Evæ. Quid nos peccatores ſumus, niſi avari, & turpis lucri cupidi Tyrij, qui non niſi terrenis inhiant? niſi iniqui illi mercatores, qui de virtute deliciarum magnæ illius Babylon divites fieri cogitamus? Denique, quid nos peccatores ſumus, niſi populus Æthiopum, fuli-

Luc. 1.

Apoc. 18. *S. Hieron.*

fuligine peccatorum, & vitiorum nigri? ait S. Hieronymus. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis*, plorat Jeremias. Ubi autem nobis peccatoribus tutior habitatio? ubi certius refugium? ubi ſecurius aſylum, quàm in civitate Mariana? quàm ſub patrocinio Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ? Maria in Roſario eſt Civitas refugij, ſalvos faciens peccatores, qui ad eam confugiunt; Civitas refugij ſuſcipiens nos errantes, cuſtodiens nos trementes, ſalvans nos ad eam venientes; Civitas refugij fortiſſima, & inexpugnabilis, terribilis hoſtibus noſtris, veluti acies caſtrorum ordinata, in qua à perſequentibus hoſtibus infernalibus ſecuri degimus, & irato Numini facilè reconciliamur. Planè dies me deficeret, ſi recenſere vellem hujusmodi alienigenas, Tyros, & populos Æthiopum, qui ad Mariam in Roſario, tanquam ad Civitatem refugij recurrentes, ab alto cupiditatum, ac ſcelerum barathro erepti, & ab ipſis pænè tartari faucibus, ad limina vitæ reſtituti, & in tutiſſimo innocentiæ ſinu collocati ſunt. Nihil eſt in Chriſtianorum Hiſtorijs uberius, vel certius, nihil in omnium luce, & conſuetudine frequentius, quàm ejusmodi exempla, quæ ſi enarrare vellem, ipſa copia me inopem faceret. *Thren. 4.*

Nec mirum hoc videri debet; non minora enim privilegia clementiſſimus Deus civitati Roſarianæ dedit, quàm olim Romulus dedit templo Pythiæ. Poſtquàm Romulus, teſte Plutarcho, urbem à ſe Romam dictam magnificentiſſimè exſtruxerat, eam inquilinîs vacuam ut civibûs repleret, hoc ſtratagemate uſus eſt. Juſſit ampliſſimum templum ædificari, quod, quia noverat, Deam Pythiam omnibus gentibus eſſe venerandiſſimam, honori prædictæ Deæ conſecravit, publicô Decretô concedens quibuscunque reis veniam, & indulgentiam delictorum, qui ad præfatum templum ex quocunque loco confugerint. Qua promulgatione celeriter effectum eſt, ait Plutarchus, ut urbs in dies magìs, & magìs in numero civium excreſceret, & brevi temporis Caput orbis, & urbium omnium diceretur. Idipſum ſuô modô benigniſſimo Deo placuit. Exſtructa erat urbs cœleſtis Jeruſalem, aſt evacuata ſuîs inquilinîs per ruinam Angelorum, ubi nimirum Lucifer tertiam partem Angelorum ſecum ad interitum traxit. Ut ergo ruinas in cœlo vacuas repleret, Mariam Unigeniti Filij Matrem, veluti templum magnificum, veluti locum miſericordiæ, & Civitatem refugij, adornavit, ut, quicunque rei, & ſcelerati ad eam ſe reciperent, N. 12. *Plutarch.*

veniam, & plenam remiſſionem peccatorum ſuorum conſequentur. Unde de hac Civitate refugij, ſeu templo magnifico miſericordiæ ita exclamat S. Bernardus. *Quis miſericordiæ tuæ, ô Benedicta! longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum inveſtigare queat? Nam longitudo ejus usque ad diem noviſſimum invocantibus eam ſubvenit univerſis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut eâ plena ſit omnis terra. Sublimitas ejus invenit reſtaurationem in cœlo: Et profundum ſedentibus in umbra mortis, & tenebris obtinuit redemptionem.* Maximè autem hoc convenit Mariæ in Roſario, ùt olim revelatum fuit Beato noſtro Alano hîs verbîs: *Omnis mundus per Ave Angelicum fuit redemptus, & Rex cœlorum incarnatus, & reparatæ ſunt ruinæ Angelorum.*

S.Bernard. Serm. 2. de Aſſumpt.

B. Alan. de Laud. Pſalt p. 1. c. 8.

N. 13. Nolite ergo, quotquot etiam millenîs peccatîs fœdati adeſtis, nolite diffidere de ſalute veſtra, nolite immanitate criminum turbari, barathrô triſtitiæ abſorberi, deſperationis abyſſô demergi, ſed potiùs ad Mariam in Roſario confugite, Mariam invocate, Mariam cogitate. Ipſa eſt Civitas refugij ab ipſo Deo conſtituta, ut in ea, & per eam veniam obtineatis delictorum omnium. Ipſa eſt Refugium omnium peccatorum, dummodò à via ſua pesſima deſiſtant, & miſericordiâ ejus non abutantur in poſterum. Secùs enim fallitur, quicunque in Mariam confidere auderet, & ex hac confidentia in peccatis ſuis pergeret. Nequaquam eſt Refugium blaſphemis, perjuris, ſortilegis, & maleficis, quamdiu obſtinatè in malo perſeverant: Nequaquam eſt Refugium hominibus ſeipſos amantibus, cupidis, elatis, ſuperbis, & ambitioſis, quamdiu improbitatem non exuunt: Nequaquam eſt Refugium ingratis, incontinentibus, impuris, & adulteris, quamdiu pravæ vitæ mores non corrigunt: Nequaquam eſt Refugium avaris divitibus, immiſericordibus, epulonibus, fraudulentis, & raptoribus, quamdiu ad meliorem mentem non redeunt, & aliena non reſtituunt: Non eſt Refugium ebrioſis, helluonibus, aliorum caſtitati inſidiantibus, rixoſis, detractoribus, & criminatoribus, quamdiu vitam in melius mutare negligunt. Hi enim, & his ſimiles, etſi millies Roſarium dicant, millies Mariam cogitent, & invocent, in pane & aqua omnî Sabbatô abſtineant &c. apud Mariam refugium nullum invenient; quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Hiſto-

Hiſtoria.

QUædam filia ex Bohemia oriunda, longo tempore à juvene quodam ad ſtuprum ſolicitata, tandem conſenſit ei. Aſt poſt nefandum ſcelus, ubi ſenſit ſe gravidam, centenîs motibûs & in corpore, & in anima agitari cœpit, vix non ad deſperationem. Publica infamia, opprobrium conſanguineorum, puerperij dolores, infantis alimentatio ex una parte oculis obverſabantur: Ex altera verò parte gravitas delicti, ira Dei, & pœnæ æternæ timor terrebant miſeram. Contigit quodam die, ut concioni intereſſet in templo PP. Prædicatorum, in qua Concionator populo encomia, eminentiam, & utilitatem Sanctiſſimi Roſarij proponebat, affirmans, quòd omnes, qui curarent nomen ſuum in Pſalterij Mariani Sodalitate inſcribi, illúdque quotidie devotè perſolverent, immunes eſſent à damnis, anguſtijs, & infamia, & poſt hanc vitam ab æterna damnatione. Hæc ipſa percipiens, ac conſiderans extremam neceſſitatem, ſtatim dedit nomen ſuum Angelici Pſalterij Sodalitati addendum, Roſariúmque poſteà quotidie devotè perſolvit. Et ecce! tempore partûs adveniente ſinè alicujus notitia prolem peperit, & ſic infamiam evaſit. Sed cernens illa infelix omnia ex voto ſuccedere, conſultum judicavit pro ulteriori famæ cuſtodia, & multis alijs malis avertendis prolem è medio tollere; quod & fecit. Aſt juſtus Deus, ut magìs Sanctiſſimi Roſarij virtutem publicaret, neque tantum ſcelus impunitum relinqueret, produxit illud in publicum. Mala ſuſpicio, quæ occulta indagat, cauſabat inprimìs apud plures contra hanc filiam oblocutionem, ita, ut judex tandem eam apprehendi juſſerit, ac cuſtodiæ mancipari. Illa poſteà à judice interrogata de tanto ſcelere conſtanter negavit, faſſa tamen in fine torturæ totam rei ſeriem, & inde condemnata, ut viva ſepeliretur. Sed mira res! Altera die tranſeuntes viatores tertiò vocem audiunt, dicentem: *Ex puteo me liberate, quia adhuc vivo.* Advocatur Paſtor, qui ſtatim cum multitudine diverſi ſexûs hominum illuc advolat. Illo præſente aperitur ſepulchrum (ô ſtupendum miraculum!) & filia ſalva, & incolumis ad ſtuporem omnium ex illo egreditur, gratias agens Deo, ejúſque Matri ob magnam miſericordiam ipſi exhibitam. Interrogata, quomodò adhuc viveret? inquiebat: Fui devota erga Deiparam,

eique ſæpiùs preces Roſarij obtuli: In æternum debebam damnari, quia non integrè confeſſa ſum; ſed hæc benigniſſima Mater pro me apud Filium interceſſit, ne indebitè confeſſa morerer. Nullus enarrare ſufficiens eſſet horribilia tormenta, quæ in æternum pati debuiſſem, ſi erga Marianum Pſalterium devota non extitiſſem. Et pro certo habeatis, facilè fieri non poſſe (nam Maria illud non permittet) aliquem quotidie in Roſarij cultu devotè perſeverantem damnari. Hìs dictìs (remiſſione delicti à Magiſtratu impetrata) domum reverſa eſt, ac poſteà multìs annìs ſupervixit in omni erga Deiparam pietate, multóque & corporis, & animæ ſolamine. Caſtellanus fol. 249. & Alphonſus Fern. L. 4. cap. 7.

SERMO QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

Dominica decima nona poſt Pentecoſten.

THEMA.

Fecit nuptias filio ſuo. Matth. 22.

Roſarium eſt medium peridoneum ad ſervandam caſtitatem, & removenda ea, quæ caſtitati contrariantur.

N. 1. INtelligentia hodierni Evangelij ijs, quibus expoſitiones Sanctorum Patrum innotuerunt, facilè eſt patula. Rex eſt Deus Pater omnipotens, Sponſus eſt Unigenitus æterni Patris Filius, cui jam olim nuptiæ factæ ſunt, tunc ſcilicet, quando ei in una hypo-

hypoſtaſi ita natura humana copulata fuit, ut ex natura humana, & divina unus in unitate perſonæ evaſerit homo. Ad has nuptias Deus Pater vocavit multos, quia incarnationem Filij omnibus, nullô demptô, voluit eſſe communem, & proficuam. Servi ad invitandos hoſpites dimiſſi erant Prophetæ, Apoſtoli, ſingulique verbi divini Præcones, per quos ſinguli citabantur ad participationem bonorum eorum, quæ incarnatus Dei Filius diſpenſanda ſuſcepit credentibus, & præparavit diligentibus ſe. Aſt invitati neglexerunt venire, & abiêrunt, ùt dicit S. Scriptura, *alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam, reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliîs affectos occiderunt;* in hoc ſanè eò minùs excuſabiles, quo non ad quid tædioſum, non ad labores, non ad moleſtias, ſed ad favores, ad nuptias, ad feſtivitatem vocati fuerunt. Aliàs, ùt experientia docet, mundus vocat ad labores, ad ærumnas, ad amaritudines; & pauci ſunt, qui gravantur comparere, à potiori omnes accurrunt, properant, feſtinant, ne tardè adveniant: Deus Pater invitavit ad ſolemnia nuptiarum Filij ſui, obtulit gratias, dona, theſauros; & tamen adeſſe recuſârunt inhumani convivæ. Hodiedum haud diſſimiliter Deus Pater non ceſſat Filio ſuo nuptias facere, dum ſcilicet illis, qui virginitatem ſervant, tanquam ſponſis electis, deſponſare dignatur Filium ſuum. De quibus nuptijs meminit S. Joannes in ſua Apocalypſi hîs verbîs: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus* (puta, virgines) *præparavit ſe, & datum eſt ei, ut cooperiat ſe byſſinô ſplendentî, & candidô*, id eſt, ùt Expoſitores loquuntur, caſtitate ſua. Comparativè quippe ad caſtas virgines Unigenitus Dei Filius non alio nomine, nec alio titulo gloriatur, quàm nomine, & titulo Sponſi, ùt ſubtiliter advertit S. Chryſoſtomus, & quidem ex ipſo textu S. Evangelij. Obſervat enim Sanctus Doctor, in varijs locis ſub varijs metaphoris æterni Patris Filium nobis exhiberi, nunc in ſimilitudine patrisfamilias, nunc in paritate leonis, nunc in comparatione vitis, nunc ſub figura ſeminantis; aſt, ubi de decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, quinque verò prudentes, fit mentio, non alio nobis, niſi ſub nomine Sponſi proponitur, referente Evangeliſta: *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce Sponſus venit, exite obviàm ei.* Et iterùm: *Venit Sponſus, &, quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Inter ſervos ad nuptias has, & ad convocandos

Apoc. 19.

S. Chryſoſt. Hom. 19. in Matth.

Matth. 25.

convivas delegatos præcipuus eſt Divus Apoſtolus Paulus, qui ſic
1. Cor. 7. invitat omnes virgines: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.* Et iterùm: *Dico autem non nuptis, & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Aſt non* Matth. 19. *omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*, affirmat incarnata Veritas. Alij ſe excuſant, dicentes: Non poſſum venire, quia uxorem duxi, & virginitatem ſervare non valeo; alij verò per varias carnis ſpurcitias ſeipſos multimodè impeditos reddunt, ne compareant ad nuptias Virginei Sponſi. His utrisque hodie Roſarium porrigo, primis tanquam medium peridoneum, & facilè ad ſervandam caſtitatem, ſecundis verò tanquam remedium efficaciſſimum ad removenda ea, quæ caſtitati contrariantur.

N. 2. Ingentis ſemper æſtimationis fuit Virginitas & apud Deum, & apud homines. Apud Perſas, ùt atteſtatur Strabo, tantus fuit valor, tantum pretium virginei candoris, ut communis ſingulorum eſſet perſuaſio, Virgines Dianæ conſecratas ea virtute ſuperemi- *Strabo.* nuiſſe, ut ſuper prunas ardentes innoxiè ambulare, flammáſque ignis ſibi ſubjectas habere poſſent. Romani ſuas Virgines Veſtales eo proſequebantur honore, ut, aliqua illarum procedente per plateas, omnes currus obvij aut ſubſtiterint, aut locum advenienti ceſſerint, primum ſemper occurrenti detulerint tranſitum. Imò, teſte Cœlio Chadignio, ſi quiſpiam mortis reus ad locum ſupplicij ducebatur, eique obviàm venit quædam Virgo Veſtalis, intuitu hujus condonabatur veniâ delicti, & abſolvebatur à pœna mortis. *Cœl. Chadign.* Apud Deum valor Virginitatis videri poteſt ſuô modô æquivalens Angelicis Spiritibus, imò in aliquo gradu æqualis ipſi Divino Numini. Angelis videtur æquivalens; quia S. Ambroſij teſtimonium eſt: *Caſtitas Angelos facit, & , qui eam ſervat, Angelus eſt.* *S. Ambroſ. L. de Virg.* Cui conformatur illud, quod legimus. Aderat olim Joanni dilecto Chriſti Diſcipulo Angelus Dei, qui ei diverſa revelaverat di- *Apoc. 22.* vina arcana, quæ Joannes & avida aure audivit, & jucundô oculô in ſpiritu contemplabatur, in fine, ut gratus eſſet revelanti Legato cœleſti, cadens in genua ſua, ut adoraret Angelum: *Cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli*, verba ſunt Diſcipuli, quem præ cæteris, quia Virgo erat, diligebat JEſus. Aſt longè abfuit ab Angelo, ùt hanc ſibi delatam admitteret venerationem, quandámque à Joanne acciperet adorationem, hîs verbîs: *Vide, ne feceris;*

feceris; conſervus enim tuus ſum. Quaſi diceret: Omitte, quod paras, tolle adorationem; hæc enim inter æquales, & conſervos, quales nos ſumus, non eſt uſitata. Non ſum ego altioris conditionis, quàm tu: Ego Angelus naturâ, tu Angelus virginitate; ego Angelus officiô, tu Angelus innocentiâ: Uterque conſervi ſumus ejusdem Domini, qui regit cœlum & terram. Unde Divus Petrus Damianus: *Refugit Angelus obſequium à Joanne ſuſcipere, noluítque habere adoratorem, quem noverat ſibi æqualem. Fratrem recognovit, ſocium judicavit, ſubjectionis obedientiam non accepit, quia in omnibus Sanctis ſemper eſt Angelicæ munditiei contubernalis, & cognata virginitas.* *S. Pet. Damian. L. 1. de S. Joan.* Divino autem Numini videtur æqualis eſſe Virginitas; quia effatum eſt S. Baſilij: *Virginitas hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* *S. Baſil. Tr. 1. de Virg.* Id denuò in Sancto Joanne Evangeliſta, qui caſtitatem ſuam illibatam cuſtodivit, adumbrat, & ſignificat nobis teſtimonium SS. Patrum, qui idipſum Apoſtolo huic Virgineo attribuunt, quod de Moyſe commemorat S. Pagina, hoc modo: *Mortuus eſt ibi Moyſes, & ſepelivit eum, & non cognovit homo ſepulchrum ejus.* *Deut. 34.* Utut enim poſt mortem Ducis ſui inveſtigârint locum ſepulturæ, monumenti veſtigia, & locum pretioſi cadaveris; attamen omnis labor erat irritus, omnis inquiſitio inutilis, nullibi foſſa, cui demandatum erat ſacrum pignus, inveniri poterat. Ratio hujus erat, ait noſter Oleaſter; *Oleaſter.* quia Judæi valdè proclives erant ad idololatriam. Si ergo corpus Moyſis adinveniſſent, memores ſanctitatis, & mirabilium, quæ geſſit, fortè illum Deo æqualem æſtimâſſent, cultúque latriæ adorâſſent. Idem contigit cum ſacris oſſibus S. Joannis Evangeliſtæ. Legi, qua ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & ipſe ſubjectus, in provecta ætate mortuus eſt, ejúsque ſanctiſſima oſſa terræ fuerunt demandata. Aſt, ubi paulò poſt convenerunt Diſcipuli Domini, affirmat S. Thomas à Villa nova, tumulúmque *Thom. de* demortui confratris inviſerunt, evacuatum repererunt antrum *Villa nova.* ſepulchri, neſcientibûs hucusque hominibûs, quorſum Sacræ Reliquiæ fuerint translatæ. Hinc potior eſt opinio Sanctorum Patrum, Joannem æquè ac Beatam Virginem Mariam ob meritum virginatis cum corpore ſimul, & anima fuiſſe aſſumptum ad cœlum; & hoc ob duplicem rationem. Primò, ne corpus ejus virgineum propter omnimodam cum Chriſto in caſtitate ſympathiam per errorem cultu latriæ honoretur in terris. Secundò verò, ut,

qui

qui ſimili cum Salvatore Virginitatis donabatur prærogativâ in mundo, haud diſpari quoque præmiô frueretur in cœlo, corpore ſimul, & animâ glorificatus. Unde haud immeritò exclamat
Sap. 4. Sapiens: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines.*

N. 3. Duo autem ad ſervandam Virginitatem maximè conducunt, nempe frequens, & devota oratio, & deìn ſalubris Vitæ, ac Paſſionis Chriſti meditatio. Ad orationem confugit S. Paulus, ùt ipſe fatetur, ubi graviſſimas, & prolixas contra virginitatem tentatio-
2. Cor. 12. nes ſuſtinuit: *Datus eſt mihi*, inquit, *ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me.* Hoc eodem clypeo uſus eſt S. Hieronymus, qui
S. Hieron. de ſeipſo ſcribit: *Pallebant ora jejuniîs, & mens æſtuabat in frigi-*
Epiſt. 22. *do corpore - - - itaque omnî auxiliô deſtitutus ad JEſu jacebam pedes - - Memini me clamantem diem crebrò junxiſſe cum nocte, nec priùs à pectoris ceſsâſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas.* Nec mirum; utrique enim perſpectiſſi-
Sap. 8. ma erat doctrina Sapientis: *Scivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Uterque optimè noverat, in prælijs caſtitatis, ne quis ſuccumbat, opùs eſſe devotîs precibûs, crebrîs ſuſpiriîs, iteratîs cordis affectibûs, ardentibúsque deſideriîs à Deo
Simile. auxilium efflagitare. Sicut enim Bellidux, cui caſtrum aliquod commiſſum eſt, videns illud ab hoſtibus, quibus imparem ſe credit, obſidione cingendum, mox ad caſtri Dominum litteras mittit, ſuppetiáſque implorat; ita in ſimili caſu nobis agendum, dicen-
S. Auguſt. dúmque cum Sancto Auguſtino: *O amor, qui ſemper ardes, &*
L. 10. Confeſſ. *nunquam extingueris! Charitas Deus meus accende me. Continentiam jubes: Da, quod jubes, & jube, quod vis.* Æquali virtute pollet devota Paſſionis Chriſti meditatio, cujus efficaciam expertus
Idem in Manual. c. 32. eſt præcitatus Hipponenſis Præſul, ita diſſerens: *Nullum tam potens eſt, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, ſicut mors Redemptoris mei.* Tunc enim occurrit illud Bernardi:
S. Bernard. *Deus meus pendet in patibulo; & ego voluptati operam dabo?*
2. Reg. 11. Tunc dicitur cum fideli Uria: *Arca Dei, & Iſraël, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & ſervi domini mei ſuper faciem terræ manent: Et ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per ſalutem tuam, &*

per

per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Et benè. Romæ enim quidam civis, eò quòd lugente patria domi roſis coronatus fuiſſet, legitur capitis fuiſſe condemnatus; & Chriſtianus in ſummo luctu Ducis, & Dei ſui cupiet roſis coronari, & voluptatibus indulgere?

Utrumque hoc Virginitatis tutamen Roſarium circumplectitur, orationem ſcilicet, & meditationem Paſſionis Chriſti; & quidem non aliam orationem, quàm eam, qua jugitur coliter puriſſima Virgo, & Dei Genitrix Maria, quæ oratio ad ſervandam caſtitatem ſemper æſtimata fuit potentiſſima. Si enim, ùt D. Bonaventura teſtatur, ex venerando Mariæ vultu, & corpore prodibat divinum aliquid, & virgineus, frigidúsque ros, qui ad impuritatem omnem arcendam, & extinguendam mirificè conferebat, & quaſi virgines germinabat, aut ad majorem vitæ honeſtatem provocabat; quantò magìs ab ea nunc glorioſa in cœlis ſimile auxilium exſpectari poterit? Unde Doctor mellifluus quemlibet carnalis concupiſcentiæ undìs jactatum ſic alloquitur: *O! quisquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio magìs inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare: Ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellìs. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam: Si carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Ipſam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipſa tenente non corruis; ipſa protegente non metuis.* Imò, ſuperaddit Doctor Seraphicus, *ſicut cognovi, quòd nemo poſſit eſſe pudicus, niſi dante Deo, & Maria interveniente; ita explorata mihi res eſt, animas turpium cogitationum inquieto motu perturbatas ſola Mariæ recordatione ſedari.* Quod ſingulari quadam ratione contingit tunc, quando in Roſario Sanctiſſimum Mariæ Nomen pronuntiatur. Bone Deus (exclamat Roſarianus Seraphici Ordinis Præco Carthagena) *quot Roſa myſtica Mariæ improbos peccatorum humores ad nihilum reduxit? Teſtes hujus veritatis non alios produco, quàm Virginis Alumnos, & alios ejus auxilium implorantes, miram ejus potentiam, & virtutem frequenter experientes, qui aliàs in peccati ſordibus computreſcerent, niſi myſticæ hujus Roſæ Mariæ cœlitùs inclyta virtus eos reficeret, & ſolidaret. Bone Deus! Quot Roſa myſtica Mariæ effrænatos potenter compeſcuit affectus, quot caninis peccati morſibus, ac diaboli* im-

N. 4.

S. Bonav.

S. Bernard. Hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

S. Bonav.

Carthag. Hom. 2.

impoſturis luceratis præſtantiſſimum antidotum exhibuit? Expertus eſt hoc juvenis ille, Corradinus Brixianus, cui fideliter ſibi in Roſario famulanti, & in maxima tentatione carnis poſito præſtò fuit B. Virgo Maria, eum ſacro quodam unguento perungens, & dicens: Jam pridem agnovi, fili! quo erga me ſis animo, & quanta cum diligentia illibatum ſervare nitaris Virginitatis florem. Noveris ergo, te à Filio meo omnia fore impetraturum; in cujus ſignum, en! confero tibi donum caſtitatis, cujus deſideriô tantoperè ſemper arſiſti. Hoc expertus fuit S. Franciſcus de Paula, qui ab infantia inter cæteras virtutes erga B. Virginem cum lacte illam devotionem imbibit, ut ne dies ulla præterièrit ejus vitæ, quin eam in Roſario piîs affectibûs honorârit, virginitatis hinc lauream cœlo inferens, & baptismalem innocentiam. Hoc expertus eſt adoleſcens alius, cui dæmon in ſpecie formoſæ puellæ apparens, & ſolicitans ad turpia, ubi nihil effecit, mutata muliebri ſpecie in formam horribilis monſtri dixit: *Gratias age Roſario tuo; nam aliàs difficulter è manibus meis evaſiſſes.*

Diar. Sanct. die 1. Novemb.

Gravina vox turt. p. 2.

N. 5. Æquè mirificam habet vim ad domandas carnis illecebras, ejúsque voluptatum ſenſualitates reprimendas frequens, & devota memoria Vitæ, & Mortis Chriſti, quam unà cum oratione vocali continet Marianum Pſalterium. Hæc enim, ait noſter Angelicus, eſt ſummum augmentum charitatis, inflaminat corda noſtra amore divino, accendit dilectionem Dei igne quodam pio: Augmentum autem charitatis eſt diminutio cupiditatis. Hinc S. Auguſtinus: *Cùm me pulſat turpis cogitatio, recurro ad Vulnera Chriſti: Cùm me reprimit caro mea, recordatione Vulnerum Domini reſurgo: Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me: Si ardor libidinis foveat membra mea, recordatione dolorum Filij Dei extinguitur: In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm Vulnera Chriſti: In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.* Per meditationem Vitæ, Mortis, & Gloriæ Chriſti Roſariani imitantur agnum immaculatum, & aſſociantur illis centum quadraginta quatuor millibus virginum, de quibus legitur in Apocalypſi: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum, quocunque ièrit*, puta, per omnia totius vitæ myſteria, & actorum veſtigia perpenſa. Per meditationem Roſariani quodammodò cum caſta Suſanna in cœlum ſuſpiciunt,

S. Thom. Opuſc. 58. c. 2. in med.

S. Auguſt. in Manual. 22.

Apoc. 14.

ſpiciunt, & in ſuis tentationibus ingemiſcunt: *Anguſtiæ mihi ſunt undique. Si enim hoc egero, mors mihi eſt: Si autem non egero, non effugiam manus veſtras.* Per meditationem Roſariani armaturam Dei induunt, & victorioſè roborantur adverſùs rebellionem concupiſcentiæ, juxta illud Apoſtoli Petri: *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Id eſt: Cogitatio veſtra, dum carnis illecebra inſultum tentat ad vos debellandos, dirigatur ad JEſum paſſum; & victoria erit veſtra. Per meditationem Roſariani Ulyſſen ſequuntur, qui in Fabulis Poëtarum, ne ab illecebroſis Syrenarum cantibus (quæ voluptates carnales præfigurabant) incantatus deciperetur, ad navis malum arctiſſimè ſe alligari fecit. Hoc ipſum faciunt Roſariani, per meditationem Chriſto, ejúsque Cruci ſeſe alligantes, & inde titillantis carnis motus non timentes, juxta illud S. Maximi: *Quisquis arbori Crucis ſe religaverit, dulcem procellam luxuriæ non timebit, Syrenarum quædam ſuavis figura, & mollis quædam concupiſcentia voluptatum non prævalebit.* Quod aliìs verbìs confirmat Paſſionis Chriſti indefeſſus contemplator, Abbas Clarævallenſis, inquiens: *Tanta eſt virtus Crucis Chriſti, ut, ſi in mente fideliter habeatur, nulla concupiſcentia, nulla libido prævalere poſſit, ſed continuò ad memoriam ejus totius peccati, & mortis ſpiritualis fugatur exercitus.* Ultimatim ſic concludit noſter Goswinus: *Si luxuria inquinet, Chriſti Paſſio in Roſario cogitata flammam extinguit.*

Dan. 13. *1. Pet. 4.* *Fabula.* *Applicatio* *S. Maxim. Hom. de Cruc.* *S. Bernard.* *Goswin. Hom. 13. poſt Trin.*

Sicut autem virtus Sanctiſſimi Roſarij potentiſſima eſt ad immaculatè ſervandum florem Virginitatis, ita & peridonea eſt ad removenda ea, qua Virginitati obſtant, nec non ad retrahendos illos, qui penitùs in luto impuritatis videntur abſorpti, quæ gratia eò eſt major, quò difficiliùs, & rariùs vitio luxuriæ dediti emergunt ad meliorem frugem. Ideò enim, teſte noſtro Angelico, diabolus maximè ſibi complacet in peccato luxuriæ, non quod maximum ſit peccatum, ſed quia maximæ eſt adhærentiæ, & difficulter poteſt homo ab eo abripi. Concupiſcentia carnis limus eſt, ait Bleſenſis, id eſt, aliquid ſummè viſcoſum, eum, quem arripit, quodamodò inſeparabiliter ſibi agglutinans; propterea homo, ſeu caro noſtra non dicitur formata de luto, ſed *de limo terræ*, utpotè terræ quaſi quodam glutino conjuncta. Luxuria hydrops eſt, ait Venerabilis Beda, qui morbus proprium habet, quantò magìs abundat humore inordinato, tantò ardentiorem ſitim cauſat; & ideò hydro-

N. 6. *S. Thom. 1. 2. q. 73. a. 5.* *Pet. Bleſenſ. Serm. 26. in Feſt. S. Pet. ad Vinc.* *Gen. 2.* *Ven. Beda in 14. Luc.*

hydropico comparatur ille, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. Luxuria ignis eſt, qui nunquam dicit: Sufficit. Cujus animum ſemel occupavit, in eo ſemper accenditur, & rarò
Cornel. à extinguitur. Hinc à Cornelio à Lapide dicitur delictum inceſſa-
Lap. in bile: *Ignis eſt usque ad perditionem animæ devorans*, ait Job, per
2. Epiſt. expulſionem gratiæ, usque ad conſumptionem vitæ per honoris
D. Pet. reſolutionem, usque ad conſumptionem temporalis ſubſtantiæ per
Job. 31. divitiarum effuſionem. Luxuria infernus quidam eſt, ait S. Lau-
S. Laurent. rentius Juſtinianus, & quidem infernus inferior, ex quo ægrè inve-
Juſtin. O- nitur liberatio. Unde David commiſſô adulteriô denuò reviviſ-
puſc. de in- cens ad gratiam non ſat potuit gratum animum ſuum declarare
ter. conſol. Deo Auxiliatori ſuo, hîs verbîs: *Glorificabo nomen tuum in æter-*
c. 3. *num, quia miſericordia tua magna facta eſt ſuper me.* In quo? *Ex*
Pſalm. 85. *inferno inferiori eruiſti animam meam.* Quodlibet quidem peccatum mortale æquiparatur inferno, quia, ſicut ex inferno non datur regreſſus, ita ex carcere peccati mortalis nullus egreditur, niſi Deus per ſuam miſericordiam aperiat fores, & educat captivum; inter infernos autem peccatorum profundior eſt infernus peccati carnalis, quia ex eo vix datur egreſſus, eò quòd luxurioſi omnes cogitationes ſuas vertant in malum, & omnis caro corrumpat vias
Gen. 6. ſuas, quemadmodùm legimus in Geneſi. Fruſtraneæ ſunt omnes inſpirationes, irritæ cunctæ admonitiones, conſilia, conatus, ora-
Oſe. 5. tiones, & opera, juxta illud Oſee: *Fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſraël, non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum.*

N. 7. In alia ſimilitudine tenacitas, inhærentia, & immobilitas mollitiei comparatur cuſtodi cujusdam carceris, cui ſuper captivum nobilem cura commiſſa eſt, ut cautè cuſtodiatur, juxta conditionem tamen nobilitatis ſuæ honorabiliter tractetur. Ejusmodi cuſtos in mandatis habet, ut captivo ſuo in omnibus ſit ad obſequia, ejus voluntati, & deſiderijs non contrarietur, cum eo deambulet, comedat, bibat, ludat, in nulla re eum turbet, ut captivitas non nimìs dura accidat ei, quem ex conditione illuſtrioris familiæ convenit honorari. Solummodò eò tendit cuſtodis officium, ut captivum ſuum vigilantî obſervet oculô, à latere ejus non recedat, libertatis non reſeret repagula, per quæ inveniri poſſet clabendi occaſio. Ejusmodi cuſtos eſt vitium carnis, quem diabolus adjungit homini, ne ejus evadat manus, aut ſuæ eripiatur poteſtati. Manet concu-

piſcen-

piſcentia cum homine diu, noctúque, condormit, convigilat, coambulat, coaccumbit menſæ, combibit ex eodem calice, connutritur eodem cibo, idem congeſtat veſtimentum, eodem coutitur lecto; ſolummodò eò contendit indefeſſa ſolicitudo, ne captivus vincula diſfringat, ne evadendi pateat locus, ne clam auffugiat. Quamdiu homo in delicijs vivit, caro eidem abblanditur, conjocatur, conridet, ſua ei defert ſervitia; aſt, ſi cupiat ſeſe in libertatem aſſerere, mox manus, & pedes conſtringit, fugere parantem retardat, & ad priſtinam peccandi conſuetudinem retrahit volentem nolentem, ita, ut inter hominem, & carnem vix non idipſum contingat, quod contigiſſe legimus, ubi Rebecca duos in utero gerebat geminos, Eſau ſcilicet, & Jacob, qui, ùt Sacer Textus memorat, in utero materno collidebantur ad invicem, id eſt, exponunt Interpretes, exultabant quaſi pueriliter colludentes, & mutuò jocantes: Aſt, ubi tempus nativitatis advenit, uterque prior de utero egredi tentabat, alter alterius pedes tenens, ne ipſi prærogativa primogenituræ demeretur. Eodem modo, quando homo in vitio carnis abſorptus per contritionem, & confeſſionem de carcere peccati exire connititur, mox adeſt concupiſcentia, &, quem priùs colludendô delectaverat, nunc retinendô violentat, ne colluſore ſuo privetur, ita, ut quaſi quoddam miraculum reputetur, ſi ex decem ejusmodi luxurioſis unus evadat ſalvus. Miraculum hoc toti orbi divulgandum ipſe Salvator innuit, ubi de Magdalena anteà peccatrice, poſteà verò glorioſa pœnitente edixit: *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit.* Quaſi pro prodigio per univerſum mundum proclamandô, quòd fœmina libidini aſſueta reſipuerit, ſpurcitias carnis penitùs dereliquerit, & corde puro ad Deum ſuum ſinè relapſu converſa fuerit.

Gen. 25. *Matth. 26.*

N. 8. Verùm enimverò miraculum hoc non adeò inſuetum eſt ijs, qui ad piiſſimæ Dei Genitricis patrocinium confugiunt. Ipſa ſiquidem, quemadmodùm eſt communè peccatorum Refugium, ita vel maximè homines molles extrahit ex viſcoſo limo carnis, exſiccat exuberantes voluptatum fluxus, extinguit ignem libidinis, effringit carcerem peccati, eruit ex inferno inferiori, ſuósque cultores conſtituit in libertate filiorum Dei. Propriâ enim experientiâ doctus vidi (teſtatur Magnus ſpiritualis vitæ Magiſter Joannes Avila) varios effectus, & notabiles fructus multorum, qui,

Joan. Avila.

cùm in tentationibus carnis infeſtarentur, Virginis Deiparæ ope ab illa mirabiliter liberati ſunt, vinculáque pravæ conſuetudinis generosè ruperunt, non niſi quotidie aliquas preces recitandô in ejus memoriam. In teſtem omni exceptione majorem ſufficere poteſt ſola Maria Ægyptiaca, quæ, etſi jam impuritatum ſuarum pœnitens, attamen, occultâ ſemper vi impedita, tamdiu templum Hieroſolymitanum ingredi non potuit, quamdiu non ad imaginem glorioſæ Virginis Mariæ in atrio poſitam ſeſe convertit, & à divinæ miſericordiæ Matre obtinuit, ut placatô Filiô in templo comparere meruerit.

In Vita.

N. 9. Tale autem Beatiſſimæ Virginis patrocinium non aliîs citiùs, quàm piîs Mariani Pſalterij exercitiîs obtinetur. Ope enim Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ejusdémque Roſarij, affirmat B. Alanus, novi inſignem meretricem tantam accepiſſe gratiam, ut ciliciô, catenâ ferreâ carnem enecans, in pane, & aqua jejunans, humi frequenter proſtrata, & lachrymîs madida ad eum pervenerit ſanctitatis gradum, ut poſteà etiam prophetiæ donô fuerit decorata. Per Roſarium Sanctus Pater Dominicus tantam conſecutus fuit Virginitatis prærogativam, ut impuriſſimi lenones etiam ſolâ, quæ de corpore ejus manabat, fragrantiâ perceptâ impoſterùm ab omni impuritate, imò etiam ab omni ſtimulo peccati fuerint liberati. Per Roſarij devotionem, conteſtatur perdoctus Michovienſis, tanquam per caſtimoniæ vinculum ſæpiùs perpendi meretrices de novo fuiſſe ſanctificatas, alióſque peccatores publicos quàm plurimos ad meliorem rediiſſe fructum. Roſa myſtica noſtra (ait Henricus de Ros.) ſcarabæos, homines, dico, luxurioſos, in ſuam minimè Sodalitatem admittit. Puros quærit Sodales, & caſtos Virgo illa, quæ tali enituit puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi: Non benè enim conveniunt luxuriæ fœtor, & hujus roſæ fragrantia. Unde ille, quicunque pinxit, convenienter pinxit Roſam expanſam, & in medio ejus ſcarabæum cum Lemmate: *Turpibus exitium.* Quia nempe, quemadmodùm ſcarabæus fœtido equorum ſtercore delectatur, at in media Roſa emoritur; ſic molles, & voluptarij, nequitiæ ſordibus immorantes, infragrantis Roſæ conſortium, in Societatem, dico, Mariæ venire non poſſunt.

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 45.

Michov. in Comp. c. 15.

Henric. de Roſ. Exh. 4.

N. 10. Imò plus aſſerere audeo, nempe Mariam in Roſario ſpecialiſſimam gerere curam, & apertiſſimum eſſe aſylum illis, qui in carnis

...ERT'S COLLEGE LIBR...

nis vitium lapſi ſunt. Hoc meum aſſertum fundatur in ipſa Sacra Scriptura, ubi Auguſtiſſima Dei Genitrix in Pſalmo 86. (quem Pſalmum communiter de B. Virgine interpretantur Sancti Patres) comparatur civitati, cujus fundamenta dicuntur eſſe in montibus ſanctis, cujus portas diligit Dominus, & de qua glorioſa ubique deprædicantur: *Fundamenta ejus* (verba ſunt Scripturæ) *in montibus ſanctis: Diligit Dominus portas Sion - - Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* Potiſſimùm autem huic civitati aſſimilatur Maria in ſuo Pſalterio Roſariano. In hoc quippe fundamenta ejus ſunt in montibus ſanctis, id eſt, in Myſterijs Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti, quæ, utcunque contemplantur Sodales noſtri, attamen ea ſuîs contemplationibûs nec attingere, minùs transſcendere valent. Portas hujus Sion diligit Dominus; per portas enim noſter Albertus Magnus apud B. Alanum intelligit Salutationes Angelicas, quæ veluti januæ cœli ſalvandis hominibus conſtitutæ ſunt, & adeò diliguntur à Deo, ut ipſa Dei Mater clementiſſima hoc modo id indicârit ſæpiùs laudato Clienti ſuo Alano: *O quàm dulce, ô quàm ſuave dilecto Sponſo meo Chriſto hoc genus orandi, & ſuper omne ſacrificium delectabile!* De Roſario ſemper glorioſa ubique & dicta ſunt, & adhuc dicuntur, & in poſterum dicentur, quia, teſte Carthagena, *Fraternitas Roſarij eſt incompàrabilis, immortalis, florénsque ſemper futura.* Aſt cui hæc Mariana civitas potiſſimùm patet? quibus præ cæteris aſylum ſuum ſpondet, niſi in peccatum carnis lapſis? Ita enim ipſa promittit loc. cit. hîs verbîs: *Memor ero Rahab, & Babylonis.* Quæ ambæ, ùt turpiſſima proſtibula, notantur in Sacra Pagina. Rahab famoſiſſima erat meretrix in civitate Jericho, prout fusè legere eſt in libro Joſue. Babylon vocatur *magna mater fornicationum, & abominationum terræ.* Quo tamen non obſtante, benigniſſimè promittit Auguſtiſſima cœlorum Regina: *Memor ero Rahab, & Babylonis*, id eſt, annectit noſter Hugo, *ad miſerendum.* Huc, huc igitur, ô peccatores! ad civitatem ſanctiſſimi Roſarij vos recipite, ad Mariam veluti ad tutiſſimum aſylum recurrite, Maria in ſuo Pſalterio memor eſt veſtri, Maria vobis veniam impetrabit, Maria gratiam, & fortitudinem contribuet, ut generosè ex cœno vitiorum, utut immerſi eſtis, enitamini. Tradunt experti Medici, ipsáque docet experientia, præſentiſſimum remedium eſſe contra quamcunque combuſtionis læſionem, ut pars affecta per oleum

Pſalm. 86.

B. Albert. M. apud B. Alan.

B. Alan. Serm. 1. de gemm. c. 24

Carthag. Hom. 7.

Joſue 6.

Apoc. 17.

Hugo Card

um roſaceum inungatur: Eſt enim hoc ſummè linitivum ardoris, & mira ſuavitate reducit carnem ad convenientis refrigerij temperaturam. Hoc ipſum moraliter præſtat, & excellentiùs recitatio devota Roſarij: Hæc ipſum Roſaceum oleum eſt ardoris carnalis concupiſcentiæ mitigativum, & expulſivum, ad hanc ceſſant omnes impuritatis ſtimuli; ſicuti plurimi Doctorum aſſerunt, Sanctiſſimum Joſephum à tempore, quo Beatæ Virgini fuit conjunctus in Sponſum, nec ulla ampliùs impugnatum fuiſſe turpi cogitatione.

N. 11. Matri haud diſſimilis eſt Filius. Quemadmodùm enim illa in Roſario ſingulariter propitia eſt ijs, qui antecedenter poſt carnis deſideria abiêrunt; ita & Chriſtus Dominus peculiari quadam ratione in Roſario videtur fovere illos, quos anteà fornicationis barathrum devoraverat. Figuram hujus legimus apud Oſeam, *Oſee. 1.* ubi Prophetæ fuit injunctum, ut mulierem adulteram ex juſſu divino ſibi copularet in uxorem, & quodammodò eam, ſicuti tunc mos erat, ſibi emeret certô pretiô in conjugem. *Vade* (præceptum *Ibid. 3.* erat Domini) *ſume tibi uxorem fornicationum.* Et quidem additur: *Fodi*, id eſt, eme *eam mihi quindecim argenteis.* Per mulierem adulteram nihil aliud intelligitur, quàm quælibet anima peccatrix, quia hæc frangit fidem Sponſo ſuo cœleſti, cui in Baptiſmo in Sponſam datur; in ſenſu tamen litterali per adulteram potiſſimùm, & apertiſſimè intelliguntur omnes impuri, ùt de ſe patet. Oſeas Propheta figuravit Chriſtum Dominum, cui à Patre cœleſti mandatum factum eſt, aſſumere carnem humanam corruptam, & animam peccatricem ſibi in fide, & funiculis charitatis deſponſare. Per quindecim argenteos, qui erant pretium emptionis, aptiſſimè ſignificantur quindecim Myſteria Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Redemptoris, de *1. Cor. 6.* quibus Apoſtolus loquitur. *Empti eſtis pretiô magnô.* Et in his quindecim argenteis, ô quoties (exclamat jam ſæpè prælaudatus *Carthag. de Roſ. B. Virg.* Carthagena) ô quoties elegit, & emit ſibi Divinus Oſeas populum acceptabilem, & ſectatorem bonorum operum, qui priùs erat vitæ turpiſſimæ! ô quoties in Roſario perditiſſimas per quindecim Pſalterij Decades ſibi copulavit animas! ô quoties eos ſibi præcipuè arctiſſimô amoris vinculô conjunxit peccatores, qui anteà in ſpurcitijs carnis demerſi erant adulteri, & fornicatores! Roſarium quippe eſt hortus æternitatis, ex quo flores omnis generis virtutum, præſertim illibati candoris, colligit ille, qui paſcitur inter lilia.

Hiſtoria.

Hiſtoria.

DOctrina eſt Magni Auguſtini: Inter omnia certamina chriſtianorum duriora ſunt prælia caſtitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Rara enim concordia formæ, atque pudicitiæ. Rara avis in terris, nigróque ſimillima corvo. Hoc propriô didicit experimentô miles quidam juvenis, qui, operante diabolo, captus forma, & amore uxoris Ducis ſui, à ſpiritu ſenſualitatis ita diu, noctúque agitabatur, ut, etſi variîs jugiter mediîs conaretur diabolicæ tentationi reſiſtere, de diem in diem magìs angariaretur. Acceſſit igitur ad quendam Eremitam, cui paſſionem ſuam cum lachrymis confeſſus eſt. Cui Vir Sanctus ſuaſit, ut centies ad proximam Eccleſiam accederet, centiéſque in qualibet die Salutationem Angelicam devotè perſolveret, genibúsque flexîs centies in eadem Eccleſia imaginem Beatiſſimæ Virginis ſalutaret. Cúmque juvenis in multa ſimplicitate Dominæ noſtræ injunctum obſequium impenderet, die quadam ſedens in menſa domini ſui recordatus eſt, quòd dies illa ultima eſſet devotionis ſuæ. Quare ſtatim ſurgens aſcendit equum ſuum, & ad Eccleſiam accedens ibi orationes ſolitas explevit. Qui, cùm exiret de Eccleſia, vidit Matronam pulcherrimam equum ſuum per frænum tenentem. Miranti, quænam eſſet? reſpondit illa: Placétne tibi ſpecies mea? Reponente milite: Nunquam pulchriorem te vidi; illa ſubjunxit: Sufficerétne tibi, ſi me poſſes habere in uxorem? Qui, cùm diceret, quid nî? vel enim & cuilibet Regi ſufficeret ſpecies tua, & beatus judicaretur, quicunque Illuſtriſſimus tuô beandus foret conſortiô. Subjecit illa: Ego in poſterum ero uxor tua, accede ad me, & da mihi oſculum. Et coëgit eum, dicens: Modò initiatæ ſunt inter me, & te nuptiæ, & in tali die coram Filio meo perficientur. Ex quo verbo miles tandem cognovit, Dominam hanc pulcherrimam, quæ ei loquebatur, eſſe glorioſam Dei Genitricem, quæ apprehendens ſtapedem equi, ut aſcenderet miles, præcepit; cujus authoritate preſſus obedivit, & ab omni in poſterum libidinis tentatione liber remanſit. Quæ cuncta, cùm poſteà Eremitæ narrâſſet, ille Genitricis pietatem ſimul, & humilitatem ſat admirari haud potuit, unicè hoc reſpondens: Et ego volo intereſſe diei nuptiarum tuarum, interim de *S. Auguſt.*

rebus tuis diſpone. Quod cùm feciſſet, & Eremita veniſſet ad diem præfixum, dixit juveni militi: Sentisne quid doloris? Reſpondente illo: Non. Eundem poſt horam ſecundò cùm ſciſcitaretur, reſpondit: Modò ſentio. Qui poſt paululum agonizans ſpiritum exhalavit, & cœleſtem thalamum, promiſſas nuptias celebraturus, intravit. Cæſarius in ſuis Dialogis L. 7. cap. 33.

SERMO QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joan. 4.

Parentes ſolicitam curam gerunt filiorum ſuorum, ſi eos à juventute aſſuefaciant ad preces, & geſtationem Roſarij.

N. 1. NOn errat, qui hodierni Evangelij Regulum ſimillimum dixerit regulo volucri. Avis hæc toto æſtatis tempore nullibi ad domos, aut urbes cernitur, potiùs amœnîs hîs feriîs jure libertatis ſuæ gaudet, ſe detinet in vireſcentibus collîbus, & montibus, deliciatur in ſylvis, & campis florigeris. Ubi autem rigor hyemis appropinquat, regulus quoque urbibus, & ædibus advolat, ut, ubi prærupta montium, & ſaltuum opaca, nive

nive obducta, ei alimenta denegant, ſuum nutrimentum inveniat in plano. Similî modô hodiernus Regulus. Plurima ei de miraculis à Chriſto patratis antecedenter innotuerant (fixerat enim ſuum domicilium in Capharnaum, ubi pijſſimus Salvator potiſſima divinitatis miracula manifeſtaverat, & paucîs ante diebûs ad totius urbis admirationem puerum Centurionis ſanitati reſtituerat) non erat ignota huic Regulo communis fama de ſanctitate Chriſti, quòd eſſet Vir potens in verbo, & opere, & promiſcuè crederetur promiſſus Meſſias. Indubiè ipſemet ſubinde interfuit prædicationibus publicè à Redemptore in Capharnaum habitis, quibûs edocuerat populum, & aperuit ignorantibus regnum cœlorum. Aſt Regulus iſte, quamdiu æſtas erat ſuæ felicitatis, longè aberat à Chriſto, longè à doctrina ejus, longè à ſequela, & acceſſu cœleſtis Magiſtri. Interim accidit, ut gaudijs intermiſceretur ſubita triſtitia, & ex inſperato graviter infirmaretur filius ejus. Et ecce! Vix audiêrat, JEſum à Judæa adveniſſe in Galilæam, mox abiît,& rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus; incipiebat enim jam mori. Unde acutè advertit Lactantius: *Si quæ neceſſitas gravis preſſerit, tunc homines Dei recordantur: Tunc autem maximè Deus ex memoria dilabitur, cùm beneficiīs divinīs fruentes divinæ indulgentiæ honorem dare deberent.* Videtur igitur pijſſimus Deus idipſum agere cum homine, quod Abſalonem egiſſe legimus cum Joab. Cupiebat Abſalon in domo ſua loqui Joab; unde miſit ad illum, ut veniret, *qui noluit venire.* Miſit Abſalon ſecundò; aſt denuò Joab comparere renuit. Dixit ergo Abſalon ſervis ſuis: *Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem meſſem hordei. Ite, & ſuccendite eum igni.* Et ecce! Vix ignis exarduit, mox Joab aderat in domo Abſalonis, & adimplevit voluntatem filij Regis. Eodem modo, cùm hodiernus Regulus noluiſſet antecedenter audire ſuavem, & amicam vocatiònem Divini Præceptoris, morbum immiſit ſuper filium ejus; & mox aderat refractarius demiſsîs precibûs, ut JEſus dignaretur ſanare filium ejus. In qua petitione iterùm alium defectum annotant Expoſitores. Filius hujus Reguli, ùt corpore erat infirmus, ita & in anima erat infidelis, nondum credens in Chriſtum Salvatorem; & tamen incautus pater ſolummodò ſolicitus eſt pro ſalute corporis filij ſui, de ſalute autem, & pia fidelitate ejus nec mentionem facit. In quo puncto hodiedum non pauci parentes

Lactant. L. 2. Inſtit.

2. Reg. 14.

ſimiles ſunt huic Regulo. Tribulationes corporales prolium compellunt illos ire ad Deum ſuum, pro ſalute animæ filiorum multi vix cogitant. Ut infirmitati corporis fortè obvenienti ſuccurratur, non parcitur ſumptibus, non intermittitur labor, Peregrinationes promittuntur, oblationes fiunt, omnes Sancti invocantur: Ut verò animæ conſulatur, ut ſaluti æternæ prolium provideatur, ut virtutibûs exornentur proles, vix ulla, aut nulla cura adhibetur. Hujusmodi ergo parentes hodie ſuam obligationem edocebo, cui optimè ſatisfacient, ſi filios, & filias ſuas à juventute aſſueſcant ad recitationem, & geſtationem Sanctiſſimi Roſarij.

N. 2. Parentes ſub peccato mortali obligari, ut proles ſuas ad pie-
Eccli. 7. tatem, & bonos mores educent, ſatìs indicat S. Scriptura: *Filij*
Eccli. 30. *tibi ſunt, erudi illos, & curva eos à pueritia eorum.* Et iterùm:
Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem ejus offendas. Rationem hujus præcepti ipſa denuò S. Scriptura adſtruit:
Proverb. Quia nempe *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam, cùm ſenuerit, non*
22. *recedet ab ea.* Adoleſcentia enim tanquam ſubacta, & mollis cera eſt, quæ ipſa impreſſas in ſe formas quascunque facilè recipit, & tenaciter retinet: Ætas rudis, priusquàm durior facta, non admittat fingentis manum, ſtatim fingenda eſt timore Dei, & moribus; ſicut gypſô madidô celerrimè utendum eſt, ne citiſſimè ſiccetur: Juventus tenera in utramque partem flexibilis eſt, &, quocunque
Simile. duxeris, trahitur, æquè ac aqua in areola digitum præcedentem ſequitur, & alibi non derivari ſe ſinit: Homo in ijsdem moribus, indole, & conſuetudinibus, quibus à principio aſſuevit, in totius
Simile. reliquæ vitæ decurſu ſemper continuat; ſicut arbor ſemper ejusdem qualitatis fructus producere pergit, cujus producendi virtutem primitùs, priusquàm alteri inſita, in ſe habuit, nec unquam ab
S. Auguſt. illis degenerat. Unde S. Auguſtinus: *Eſt nativitas quaſi arbor, quæ inſeritur, quæ, ſi bono ſurculo inſeritur, melior fiet, ſi malo, deterior: Ita & nativitas, ſi bona accedat doctrina, bonos faciet fructus, ſi mala, malos.* Mortalium inclinationes, mores, virtutes, omniáque alia bona, quæ in tota vita habentur, fructus ſunt bonæ diſciplinæ, & educationis, qua homo in adoleſcentia ſua coërcetur, aut imbuitur; ſicut vires corporis, & integra ſanitas eſt effectus lactis, quod à nutricis ubere ſugitur. Proles juxta eruditionem,
Simile. qua à primis annis inſtituuntur, plenas, vel vacuas ariſtas edunt; ſicut terra juxta ſemen, quod ei injicitur, utilem, vel inutilem ſegetem progerminat.

Hujus

Hujus præcepti gravitatem, veſtrûm eſt, ô parentes! ut ſæpiùs recogitetis, altè memoriæ veſtræ imprimatis, vobis diu, noctúque incordietis; ſecùs enim, ſi filij veſtri à juventute ad timorem Dei, ad bonos mores, ad pietatis Catholicæ exercitia non erudiantur, duriſſimum vobis judicium fiet. Tales negligentes parentes Apoſtolus paganis, & infidelibus pejores eſſe aſſerit: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Sanctus Chryſoſtomus comparat eos parricidis, imò parricidîs pejores eſſe indubitanter affirmat, hîs verbîs: Hos ego parentes, quod nemo tamen me commotiùs, quàm veriùs dicere exiſtimet, parricidîs ipſîs immaniores, ſceleratiorésque dixerim. Illi enim corpus ab anima diſſeparant; iſti per negligentiam eruditionis & animam, & corpus ignibus æternis tradunt. Ille, qui corpore occiditur, etſi occiſus non fuiſſet, naturali tamen lege moriturus erat; hic verò ſempiternam mortem vitare potuiſſet, niſi hanc illi conſciviſſet paterna negligentia. Corporis mortem ſuperveniens reſurrectionis gloria excipit; animæ verò interitum nihil ſalvare poteſt, cùm ſibi jam nulla alia reliqua ſit ſalutis ſpes, verùm immortales olim cruciatus luere debeat. Alij hujusmodi parentes brutîs animantibûs ſtolidiores nominant. Urſa catulos ſuos, veluti informem quandam carnis maſſam, in lucem edit, quam poſteà, velut embryonem, linguâ ſuâ lambendô ad perfectam formam per omnium membrorum diſtinctionem reducit: Parentes autem intimorati proles ſuas diligentì aliquâ devotionis curâ expoliri turpiter omittunt. N. 3. *1. Timoth. 5.* *S. Chryſoſt. L. 3. adverſ. vitup. vit. Mon.* *Simile.*

Hoc benè perpenderunt Sancti & Sanctæ patres & matresfamilias. Unde inprimìs non ceſsârunt pro educatione pia prolium continuò divinam aſſiſtentiam implorare, haud ignari, quòd ſicuti, etſi agricola aret, & ſeminet agrum, nihil tamen efficiet, niſi ſolis influxus accedat; ita, niſi Deus per gratiæ ſuæ radios cooperetur, omnis inſtitutio fruſtranda eſſet ſuo effectu. Secundò: Non intermiſerunt filijs ſuis omnì virtutum exemplô prælucere, ſcientes proloquium: *Parentis vitium eſt prolis exitium.* Cui conformiter juxta notam Fabulam interrogatus cancer, quare ſic retrorſum iret? reſpondit, quòd ſic à patre didicerit. Tertiò: Unica eorum erat cura, labor, & vigilantia, ut à primis annis filios, & filias edocerent timorem Dei, amorem virtutis, innocentiam cordis. Talis paterfamilias erat Job, qui, teſte S. Chry- N. 4. *Fabula.* *S. Chryſoſt. Hom. 27.*

Chryſoſtomo, nedum laudatur à Scriptura, quòd fuerit juſtus, verax, religioſus, ſed ex eo maximè, quòd filiorum optimè educandorum habuerit ſummam diligentiam; non enim eâ utebatur, ut aurum illis copioſum acquireret, non ut humanâ gloriâ verendos, & illuſtres cerneret, ſed annotat Scriptura ſequentia: *Cùm conſummati eſſent dies convivii illorum, mittebat Job, & purificabat eos, conſurgénsque diluculô offerebat pro eis ſacrificia ad numerum ipſorum - - Dicebat enim in corde ſuo: Ne fortè filij mei in mente ſua mala cogitaverint.* Talis materfamilias erat, teſte S. Ambroſio, mater Machabæorum, quæ maternum affectum in hoc unico ponebat, ut filijs ſuis rectam agnitionem Dei, legis eruditionem, & magìs vitam perpetuam, quàm temporalem ſuaderet. Talis paterfamilias, teſte S. Gregorio Nazianzeno, erat pater S. Cæſarij, qui ſciens, quòd recens teſta diu & ſaporem retineat, & odorem, quo imbuta eſt, à prima pueritia filium ſuum non niſi in pijs exercitijs, in lectione ſpirituali, & precibus occupari voluit. Talis materfamilias erat Blanca S. Ludovici Francorum Regis mater, ut in vita hujus Sancti legitur, quæ peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet leprâ infici, quàm unicô peccatô fœdari. Sed & illa dicere ei ſolebat: Malo te videre vitâ privatum, quàm ullum lethale peccatum perpetrantem. Inter alia autem Chriſtianæ juſtitiæ opera Blanca filium ſuum Ludovicum à primis annis aſſuefecit pio exercitio in dies dicendi Roſarium, utpotè quem Blanca, diu ante ſterilis, unicè per preces Roſarij, & interceſſionem Sancti Patris noſtri Dominici à Deo receperat.

S. Ambroſ. L. 2. de Jacob.
S. Gregor. Nazianz. in Orat. 10. de S. Cæſar.
In Vit. S. Ludov. Reg.

N. 5. Horum patrum, & matrum laudabilia exempla, utinam moderni quoque ſequerentur parentes, & præcipuè exemplum Blancæ Galliarum Reginæ! utinam & ipſi filijs ſuis à primo uſu rationis ingererent ſalubrem horrorem peccati! utinam eos erudirent in lege Domini, & aſſuefacerent ad cultum glorioſæ Dei Genitricis Mariæ, maximè ad devotionem Sanctiſſimi Roſarij, quæ ex omnibus orationibus eſt facillima, & captui juventutis peraccomoda! & quam hujusmodi parentes cum tempore ſibi promittere poſſent de prolibus conſolationem! Dicunt cum Ariſtotele non pauci Scriptores, quòd fœtus ovium, an maculoſi, an verò immaculati, & puriſſimi candidi velleris ſint futuri, ex vena quadam ſub lingua hærente ovis parientis dignoſci poſſint. Si vena

na hæc atra priùs, obſcura, vel maculoſa fuerit, agnus naſciturus quoque talis erit: Si autem vena canduerit, agnus candidus erit, & immaculatus. Idem de lingua non quidem parentum, ſed prolium conjecturare licet. Parvuli veſtri, ô parentes! ſunt fœtus quidam pertinentes ad ovile Chriſti, qui, quamdiu ſub veſtra cura, & protectione degunt, tamdiu quodammodò in ſinu, & gremio veſtro reconduntur. Vultis ergo cognoſcere, an fœtus hi cum tempore maculoſi, an verò immaculati futuri ſint (non enim ſemper verificatur illud Poëtæ: *Nec imbellem generant aquilæ columbam;* ſed potiùs non raro contingit, ex optimis parentibus generari peſſimos filios, econtra ex ſpecioſo dumeto enaſci pulcherrimam virtutis roſam) arteriam linguæ filiorum, & filiarum veſtrarum inſpicite. Si vena linguæ canduerit, non dubitate, agnus candidus, & immaculatus erit, id eſt, proles ſancta, & innocens: Si econtra prædicta vena ſubobſcura, atra, & obfuſca fuerit, jam res acta eſt, jam non filius lucis, neque agnus immaculatus erit, ſed potius ovis atra, & peccatorum maculîs fœdiſſima, imò potiùs hœdus nefandus olim in die judicij à ſiniſtris collocandus; nullatenùs verò inter oves Chriſti ad dextram collocatas computandus, ùt legimus in Scriptura. *Matth. 25. N. 6.*

Tunc autem noveritis venas linguarum candeſcere, quando linguæ filiorum veſtrorum à primis annis didicerint, & in uſum deduxerint proferre illud Ave Angelicum, quo candor lucis æternæ huic mundo illuxit, quando linguæ ſuccum roſarum ſæpiùs lambendô, id eſt, frequenter Roſarium orandô mundæ ſervabuntur, & illibatæ, quando tenebras malorum operum fugere, econtra ad lucem, ad publicas Roſarij preces, ad ſolemnes Proceſſiones, ad lucrandas indulgentias illos à pueritia aſſuefeceritis. Tunc proles veſtræ inter oves computabuntur immaculatas, ſi vos paſtoris ovium vices in vobis adimpleveritis. Oves circa diluculum matutinum ovilî libenter egrederentur, ut herbas depaſcerent rorulentas, utpotè quæ inſtar mellis amabiles ſunt, & dulces: At verò prudens, & providus paſtor illas retinet, & coërcet, donec per ſolem ros exſiccetur, ne inordinatè pingueſcant, aut aliud malum contrahant. Ita parentum officium eſt, filijs recreationes, utut honeſtas, præſertim tempore divini cultûs, tempore, ubi in Eccleſia dicitur Roſarium, aut habetur Proceſſio menſilis, prohibere, ut ſic damnum illorum, quod in illa ætate tene-

ra

ra facilè oves in hœdos commutare poteſt, ſolicitè præcaveant. Econtra, quis non videt arterias linguarum prolium veſtrarum ſuper carbones nigreſcere, atras, & obfuſcas eſſe, quando omnis orationis neſciæ, omnis inſtructionis Chriſtianæ rudes, in laude divina vecordes, non niſi prorumpunt in vaniloquia, in ſcurrilitates, in verba obſcœna, in cantiunculas impuras, in narrationes inhoneſtas, in blaſphemias, perjuria, & maledictiones, in mendacia, & contumelias, quando ſcabie infectæ non niſi ſcabioſa proferunt, &, antequàm articulatim verba efformant, jam in mille
Pſalm. 8. monſtra transformantur. Olim quidem David enuntiavit: *Ex*
S. Chryſoſt. *ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Aſt nunc per in-
Hom. 69. curiam parentum linguæ infantium perſæpè ſunt cloacæ ſordidiſ-
in Matth. ſimæ, ait S. Chryſoſtomus. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, & venenum aſpidum ſub labijs eorum.

N. 7. Aſt, *ſapientiam, & diſciplinam, qui abjicit, infelix eſt: Et*
Sap. 1. *vacua ſpes illorum, & labores ſinè fructu, & inutilia opera eorum.* Hujusmodi enim parentibus non accreſcit niſi egeſtas, & ignomi-
Eccli. 22. nia, confuſio, & maledictio à Divino Judice, juxta illud: *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.* Econtra laudem, & proſperitatem illorum, qui prolibus ſuis timorem Dei cum lacte materno inſtilla-
Eccli. 30. re ſatagunt, ſimiliter non omiſit S. Scriptura hîs verbîs: *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur.* Quam laudem, & proſperitatem inprimìs noſter eru-
Goſwin. in ditus Goſwinus attribuit illis parentibus, qui in devotione San-
Compend. ctiſſimi Roſarij à prima pueritia erudiunt proles ſuas, dicens: *O*
c. 14. *quàm bonum, & pium eſſet, patresfamilias, & matres ad ſanctum Roſarij ſervitium ſuos hortari; haberent enim in poſterum probam familiam, genealogiam ſanctam, patriámque cœlibem.* Ratio hujus
Simile. deſumi poterit ex ſimilitudine mali granati, inter omnes fructus nobiliſſimi, & inſtar Regis ex natura ſua præditi coronâ: Unde Lemma habet: *Solum coronâ conſpicuum.* In malo autem granato hoc maximè admirationem hominum rapit, quòd & origo, & nativitas, & primus ortus ejus à corona incipiat; primum enim, quod natura in pomo granato incipit formare, eſt corona ejus, ut quaſi ſic ex corona hac diſceremus æſtimare, & conjicere nobilitatem ſubaccreſcentis fructûs. Idem dicere poſſum de infantibus, & pueris veſtris, ô parentes! ſi in prima ſua ætate, ſi in teneris annis, ſi à pueritia ſuum uſum rationis incipiant à timore Dei,

à

à cultu Beatæ Virginis, à corona Sanctiſſimi Roſarij, tunc ſtatim nobilitas fructûs futuri dignoſcitur, ſinè mora corona divinæ benedictionis innoteſcit.

Hoc autem à fortiori tunc continget, quando præterea parentes filios, & filias ſuas aſſuefecerint, ut Roſarij ſui ſigna, vel globulorum ſerta non ad inanem oſtentationem, ſed ut hanc precandi formulam, ſuum multìs nominibûs Virgini Deiparæ debitum obſequium, atque internam erga eam pietatem omnibus teſtatam faciant, vel ad ſaccum cum veneratione ſepoſita, vel ad collum ſuſpenſa, vel publicè ad zonam alligata deferant. Id antiquis Fratribus, & Sororibus Mariani Pſalterij uſitatiſſimum fuiſſe, ex Hiſtorijs de origine Roſarij abundè patulum eſt. De die nullum ſinè Roſario nec domi, nec foris invenire erat, adeò quidem, teſte B. Alano, ut, ſi quis laborem exorſus, aut ad officium aliquod deſtinatus, aut ad opificium egrediens cum Pſalterio, tanquam infallibili Religionis, & pietatis indice, non comparuerit, talis mox de nomine viri boni periclitari cœpit: De nocte autem uſus Roſariorum ita erat familiaris, ut, niſi quisque illud ad collum appenſum haberet, nullus reputârit ſe ſecurè, & quietè dormiturum fore. Hodiedum quoque mos deferendi Roſaria adeò invaluit in tota Eccleſia, ut ſit ſignum potiſſimum diſtinctivum inter Orthodoxos, & Hæreticos, inter fideles & infideles: In cujus manu Roſarium conſpicis, eum filium veræ Eccleſiæ eſſe non dubitas; ubi nihil de Roſarij ſignis deprehenditur, ſtatim ſuſpicio aut hæreſis, aut luridi homuncionis ſnboritur. N. 8. *B. Alan. in Apol. c. 20.*

Conducit autem devota Roſariorum geſtatio potiſſimùm ad tria. Primò: Ad propriam gloriam, exaltationem, & ſolamen juge geſtantis. Quantùm gloriantur, quantùm oſtentationis ventilant, quantum exultationis oſtendunt illi, quibus ad ſervitium, ad familiam, ad Aulam Regiam aſſumptis publicè deferre licet inſignia Regis, vel Reginæ? Inter Nobiles, & Illuſtres quanta eſt æmulatio? quantus honor? quàm excellens eminentia, ſi quis illorum donetur Inſignibûs Equeſtribûs, qualia Rex Galliæ, Rex Daniæ, Rex Angliæ, Rex Hiſpaniarum, & Auguſtiſſimus Imperator inter primæ Proſapiæ Viros in certa, & diſtinctiva quadam prærogativa diſtribuere ſolent? Quanta erat admiratio populi? quantus applauſus per totum Ægyptum, ubi Rex Pharao tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manum Joſeph, veſtivitque N. 9.

eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit? Quanta erat exultatio? quanta congratulatio, ubi Mardochæus de palatio, & conſpectu Regis Aſſueri egrediens fulgebat veſtibûs Regiîs, hyacinthinîs videlicet, & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus ſericô palliô, atque purpureô? Ipſæ urbes, provinciæ, palatia, & domus, quæ ſub protectione, & auſpicijs potentis cujusdam Monarchæ ſunt, ubique Protectoris ſui imagines, inſignia, ac trophæa pomposè oſtentant, ut univerſis patenter innoteſcat Protectoris magnificentia. Non erravero, ſi Roſarium ſignum, & inſigne, trophæum, & baltheum dixero Regium, nempe Regis JEſu Chriſti, & Reginæ regni cœlorum, quia in hoc ſigno repræſentantur, veluti inſignia, Myſteria Chriſti, & tota gloria Dei Genitricis. Adeò manifeſtum eſt Roſarianum inſigne, ut, qui illud publicè portat, ſtatim cognoſcatur eſſe de familia JEſu Chriſti, & de ſervitio Auguſtiſſimæ cœlorum Dominæ. Nullum trophæum tam luculenter exprimit acta, & facta Regis ſui, ſicut in Roſario tota Vita, Paſſio, & Gloria Regis cœleſtis, & Mariæ Matris ejus manifeſtatur. Quanta ergo gloria, quanta exaltatio, quantum eſt ſolatium veſtrum, Sodales Mariani! quibus inſignia Regis Regum, & Reginæ cœlorum publicè geſtare licet? qui per Roſaria veſtra, nemine contradicente, vos profitemini de familia JEſu Chriſti, & Reginæ Mariani Pſalterij? qui per ſigna Roſarij agnoſcimini tanquam ſervi, & Clientes Unigeniti Filij Dei, & Deiparæ Virginis?

Gen. 41. *Eſther 8.*

N. 10. Sanè æquali jure vos feliciſſimos appello, ac olim Regina Saba beatos pronuntiavit omnes illos, qui erant de ſervitio, & domo Salomonis. Auditâ famâ Salomonis decrevit Regina Saba in propria perſona Jeroſolymam venire, ut ipſa experiri poſſet, num vera eſſent ea, quæ ſupra humanum captum ubique rumor ſparſerat de ſapientia, & virtute Salomonis. Ingreſſa igitur Jeruſalem cum multo comitatu venit ad Regem Salomonem, ſtatim in ipſo ingreſſu penitùs attonita hæſit. *Videns autem* (ait Sacer Textus) *Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſtésque eorum - - non habebat ultra ſpiritum. Dixítque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus, & ſapientia tua - - Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper.* Sed

3. Reg. 10.

quid

quid Salomon, ſi comparetur æterno Regi gloriæ? Si enim Salomon juxta effatum æternæ Veritatis in omni gloria ſua non ita veſtiebatur, ſicut veſtiuntur lilia agri; quid erit ſublimitas ejus comparata ei, cujus pulchritudo liliorum eſt minimum opus manuum Dei? quid Salomon in ordine ad magnificentiam Reginæ illius, quæ in veſtitu deaurato, & circumdata varietate ſceptrum univerſi tenet, & accepit omnem poteſtatem in cœlo, & in terra? quid erunt ordines, veſtes, & inſignia ſervorum Salomonis comparativè ad ſervos, & familiam Chriſti Jeſu, & Mariæ, quibus ſervire regnare eſt? Et de horum numero, de horum ordine vos eſſe probamini, Sodales Mariani! vos eſſe gloriari poteſtis, quando Roſaria, veluti inſignia cœleſtis Regis, & Reginæ publicè portatis.

Secundò: Manifeſta Roſariorum geſtatio multùm conducit ad terrendos, & fugandos dæmones, ne noceant. Quemadmodùm enim, quando in bello vexillum Principis erigitur, terrentur, & expaveſcunt hoſtes, milites verò Principis confortantur, & animantur; quòd ſi autem tale vexillum in terram proſternitur, prævalent caſtra adverſa: Ita, ubi in zonis, collis, pectore, aut manibus eriguntur ſignacula Virginea, nempe Roſaria, terrentur hoſtes infernales, & nobis nocere non poſſunt; ubi vero ſumus circa hoc pigri, & deſides, tunc illi ſæpiſſimè prævalent, & ad multa mala nos pertrahunt. Hanc veritatem ipſe diabolus non ſemel, ùt ex Hiſtorijs novimus, faſſus eſt, ſæpiùs Roſariô obſeſſis impoſitô locò cedere coactus, alijs, qui Roſarium ſecum habebant, appropinquare non auſus, multis minas intentans, ſed viſô Roſariô in fugam actus, millies ore blaſphemo ſigna Roſarij execrans, & abominans, tanquam fortiſſima ſtygiæ potentiæ vincula, & ſui acerbiſſimam torturam. Nec mirum eſt; virtutem enim pellendi, & ligandi dæmonem perquàm validam Roſaria accipiunt, quando à Confraternitate noſtra benedicuntur, in qua benedictione expreſsè additur: *Ut, quicunque horum* (puta Roſariorum) *quodlibet ſecum portaverit, atque in domo ſua reverenter tenuerit, ob omni hoſte viſibili, & inviſibili ſemper, & ubique in hoc ſæculo liberetur.* Propterea *contra hoc ſignum nullum ſtat periculum. Fugitæ partes adverſæ.* Id manifeſtè apparuit Annô 1596. in Regno Fingo Japoniæ, ubi, dum nobilis quidam Chriſtianus Roſarium quoddam injecit collo filiæ poſſeſ-

N. 11. *Simile.* *Annal. Japon.*

ſæ à malo genio, dæmon mox clamare cœpit: *Tollite hæc grana, quæ me vexant.* Et abiît. Alia vice R.P. Joanni Amat, qui die antecedenti per Roſarium dæmonem in energumena valdè torquebat, de nocte terribiles minas intentârunt ſpiritus maligni; at, quia Roſarium benedictum penès ſe habebat, tandem irrito conatu abſceſſerunt, dicentes: *Frater! ſi coronâ illâ caruiſſes, pœnas hac nocte fuiſſes paſſus, nec impunè heſternîs nos catenîs conſtrinxiſſes.* Videtur igitur Regius Pſaltes non de alio ſigno, quàm de ſigno Roſarij propheticè fuiſſe locutus, quando orabat: *Fac mecum ſignum in bonum, & videant, qui oderunt te, & confundantur.* *Pſalm. 85.*

N. 12. Tertiò: Solicita Roſariorum geſtatio tribuit deſideratam ſecuritatem, & confortationem in momentaneis periculis, quibûs hic mundus ſcatet. Innumera ſunt pericula, & diſcrimina rerum, quæ quotidie occurrunt. Pericula in itinere, pericula in civitatibus, pericula in foro, pericula in domibus, pericula in ſolitudine, pericula in publico, pericula in divitijs, pericula in paupertate, pericula in cibo, pericula in potu, pericula in ſomno, pericula in vigilia, pericula in verbo, pericula in opere, pericula in omni motu, & inceſſu, pericula ab homine, pericula ab igne, ab aëre, ab aqua, à terra, & præcipuè pericula à magis, & ſagis, quæ ſuîs incantationibûs, pulveribûs, herbîs, feſtucîs, unguentîs, halitu, afflatu, veneficiîs, & mille aliîs artibûs homini damnum parant, ſi Deus id illis permittat. Ut proinde homo inter tot pericula hujus vitæ haud abſimilis credi poſſir primogenito filio Adæ, nempe Cain, qui, poſtquàm occidit fratrem ſuum Abel, ſtatim cœpit continuîs ſtimulîs malæ conſcientiæ adeò exagitari, ut omnî inſtantî periculum mortis, & juſtæ ultionis ſibi putârit adeſſe. Plenus erat timore, horrebat toto corpore, tremebat omnibûs artubûs, erat vagus, & profugus de loco in locum, errabat per avia, & devia, in ſylveſtribus, & angulis ſolitarijs, & nullibi pericula dementi ſuæ obſervantia evitare potuit, aut perſuaſionem ſibi demere, quin omnis, qui inveniet eum, eſſet illum occiſurus; & hoc tamdiu, donec tandem Deus ei apparuit, dicens: *Nequaquam ita fiet. Sed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Quod promiſſum, ut firmiùs perſuaderetur Cain, addit Sacer Textus: *Poſuítque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum.* Simile quid de homine, quando innume- *Gen. 4.*

numera pericula hujus vitæ conſideramus, affirmare licet. Quis enim videns mundum tot diſcriminibus involutum cum S. Antonio Magno non exclamabit: *Domine, quis evadet?* Quis in tantis, & tam implicatis anguſtijs poſitus non diu, noctúque expaveſcet, trepidabit, ingemiſcet? quis inter tot periculorum anfractus, & tantas malorum ambages non animô concidat, totîs artubûs contremiſcet, non horrebit?

Abſit hoc à Roſarianis. Æque enim, ac Dominus poſuit Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum, ita & nobis ſignum dedit viſibile, nempe Roſarium, in quod ſecurè ſperare poſſumus, quòd à plerisque periculis ejus ope liberandi ſimus, ſi devotè, & reverenter illud ſignum penès non ſervaverimus. Ita perdoctus noſter Pepinus: *Bonum eſt Roſarium habere in manibus, & devotè illud recitare, cùm imminent pericula quorumcunque adverſorum, contra quod ſignum nullum ſtat periculum.* Ita B. Alanus hîs verbîs: *Roſarium eſt in ſignum divinæ punitionis evitandæ, ſicut, qui ſignô Thau ſignabantur, ab occiſione, & omni malo præſervabantur.* Ita alij, qui ſigna Roſarij comparant vexillo Alexandri Magni, ſub quo, teſte Juſtino, milites, utut aliàs ignavi, ſi deſignati fuerunt, omnia diſcrimina feliciter eluſerunt, fortiſſimum quemque commilitonem ſuperârunt. Totum hoc fuſiùs exemplîs, & miraculîs probari poſſet, quæ in Beato noſtro Alano recenſentur, & videri poſſunt. Et fortè aliqui inter nos præſentes erunt, qui ipſi per geſtationem Roſariorum à non paucis periculis hucusque ſervati fuerunt, præſertim contra tentamenta magorum, & ſagarum, quibus ſigna Roſarij ſunt odioſiſſima. N. 13.

Pepin. in Proœm. S. Ros.
B. Alan. in Apol. c. 17.
Ezech. 9.
Juſtin.

Unde concludo hunc Sermonem verbîs Deuteronomij: *Ne obliviſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo omnibûs diebûs vitæ tuæ. Docebis ea filios, ac nepotes tuos.* O parentes! narrate ſæpiùs filijs veſtris virtutem Sancti Roſarij, & mirabilia ejus, à juventute aſtringite eos ad hanc ſaluberrimam devotionem, aſſuefacite illas ad continuam Roſariorum geſtationem, & domum veſtram feliciſſimam pronuntiabo, majori & certiori fide, quàm ſimile quid Oraculum enuntiavit de Republica Athenienſi. Dum enim Athenienſes quondam Oraculum ſuum interrogâſſent; quidnam ad reddendum Reipublicæ ſtatum felicem, & proſperum utile, ac neceſſarium eſſet, N. 14.

Deut. 4.

 ſequens

ſequens ab eodem retulère reſponſum, ſcilicet, urbem fore beatam, ſi puerorum auribus, quod optimum, & pretioſiſſimum eſt, appenderent. Quibûs verbîs monebantur, non tam ut gemmas, vel inaures puerorum auribus appenderent, ſed potiùs, ut ſalutaribûs monitîs, ad aurem ſæpè repetitîs, illos ad bonos mores aſſuefacerent. Hoc à potiori vobis dico, ô parentes! Si vos ipſos, veſtram domum, veſtros filios, & nepotes beatos videre cupitis, illorum auribus pia monita, illorum verò manibus, quod optimum, & pretioſiſſimum eſt, appendite, nempe ſigna Sacratiſſimi Roſarij.

Hiſtoria.

QUò in loco altiori, eò frequenter in cœno vitiorum profundiori volutantur divites, & potentes hujus mundi, ſibi turpiter perſuadentes illud: *Quod libet, licet.* De ejusmodi divite, & potente Rege, ùt Alanus putat, Hiſpaniæ, in omni flagitiorum genere diffamato, olim horruit univerſus mundus. Monſtrum erat iniquitatis, & malitiæ, indéque abominabilis Deo, & hominibus honeſtatem amantibus. Hoc unicum pro ſigno bono animadvertebatur, quòd à juvenilibus annis aſſueverit Roſarium publicè in cingulo ſuo portare, non quidem, ut ipſe oraret illud, aut quaſi in ſua perſona æſtimationem haberet de ejusmodi devotione, ſed potiùs, ut hoc modo ſuis domeſticis, & univerſo populo, qui Roſarij devotioni erat addictiſſimus, eſſet ad ædificationem. Accidit, ut graviter infirmaretur Rex iſte, & in extaſi quadam ſiſteretur tribunali divino, de actis & factis judicandus. Circumſtant mox infernales ſpiritus, ex ordine depromunt perpetrata crimina, convincunt reum, & tandem eò res devenit, ut in ſtatera juſtitiæ & bona, & mala opera hujus Regis appenderentur. Aſt longè inæquali pondere; minùs enim opera meritoria habere viſa ſunt, & in infinitum præponderabant ſcelera. Hìs viſîs parùm aberat, quin juſtus Divinus Judex in reum jamjam æternæ damnationis pronuntiâſſet ſententiam, impeditus tamen per interventum piiſſimæ Virginis Mariæ. Acceſſit enim glorioſa cœlorum Regina ad ſtateram juſtitiæ pendulam, & facilè lancium pondera mutavit; dum enim lanci bonorum ope-

rum

rum priùs deficienti ſuperimpoſuit Roſarium illud, quod Rex prædictus in cingulo ſuo portare conſuevit, mox pondus lancis hujus in tantum accrevit, ut malis operibus, alteri lanci impoſitis, multùm præponderaverit. Hoc intuentes maligni ſpiritus Dei Matri ſeſe unitîs viribûs opponunt, conqueruntur de injuſtitia facti, & pro condigna deciſione appellant ad Divinum Judicem: Aſt Maria meritîs Roſarij, ad cingulum appenſi, pro reo veniam rogat, & impetrat in tantum, ut Rex juſſus ſit ad vitam redire, & dignîs pœnitentiæ fructibûs vitia ſua diluere. Ad ſe igitur reverſus, & viribûs pauliſper ob præteritum terrorem recollectîs exclamare cœpit: Benedictum ſit Roſarium Marianum, per quod æternam damnationem evaſi. Petiît poſteà Confeſſarium, doloroſè confitetur peccata ſua, narrat toti aulæ ſeriem rei in ſpiritu geſtæ, & in poſterum nedum perrexit in pia portandi ex cingulo Roſarij conſuetudine, ſed inſuper diu, noctúque illud reverenter in manu recitandô verſabat, donec poſt aliquot annos piiſſimè obiît. B. Alanus 5. p. Operis redivivi. cap. 43.

SERMO QUADRAGESIMUS NONUS.

Dominica vigeſima prima poſt Pentecoſten.

THEMA.

Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus. Matth. 18.

Dominus iraſcitur iis, qui Roſarium aut penitùs ſpernunt, aut in aſſumpta ejus devotione denuò tepeſcunt.

BRutum, non hominem, dixero illum, de quo in hodierni Evangelij Parabola mentio fit. Debebat Domino ſuo decem millia talentorum; & cùm non eſſet ſolvendo, nec inveni- N. 1.

veniret, qui ei tantam ſummam mutuam daret, ut debitum do-
mini ſui expungeret, jam eò ventum eſt, ut juſſu creditoris de-
bitor unà cum uxore, & filijs ſuis venderetur, ſicque ſolutio præ-
ſtaretur ei, cui decem millia talentorum debebantur. Mos ſi-
quidem erat antiquitùs, ut, ſi debitor deficeret in ſolvendo, poſ-
ſet creditor nedum bona debitoris ſibi vendicare, ſed & ipſum
debitorem, uxorem, & filios ejus plus offerentibus venumdare,
& pretium ab emptore acceptum ſibi appropriare in expunctio-
nem ſui, debiti. Ut hoc advertit alieno ære gravatus, mox ad
pedes domini, & creditoris ſui provolutus ejus clementiam exo-
rare cœpit, dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam
tibi.* Nec fruſtra! Mox enim nedum voti ſui damnatus benig-
num nutum habuit, ſed etiam plus obtinuit, quàm petiît; cùm
enim non petiîſſet debiti ſui gratioſam dimiſſionem, ſed ſolum-
modò ſolutionis quandam prorogationem, patientiam, & tem-
poris benevolam dilationem, dominus ei totam ſummam decem
millium talentorum, id eſt, juxta computum Hebræorum in no-
ſtra pecunia, centum & viginti milliones aureorum benignè ex
integro condonavit, atteſtante S. Scriptura: *Miſertus autem do-
minus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Verùm
quid agit ſervus iſte in gratiam domini admiſſus? Caſu obvium
ſibi habet quendam conſervorum ſuorum, quem & ipſe ſibi debi-
torem noverat, aſt non niſi exiguæ ſummæ, centum ſcilicet dena-
riorum, quos mox opportunè importunè à conſervo ſibi ſolvi po-
ſtulat, rogantem, lachrymantem, & ſuppliciter inſtantem, ut bre-
viſſimum ei ad delendum debitum concederetur tempus, violen-
ter aggrediendô, fauces elidendô, & propemodùm ſuffocandô, &
demùm ad carcerem immiſericorditer detrudendô, quoadusque
centum denarij extraderentur. Facti hujus ſpecies, ubi ad domi-
num horum ſervorum delata eſt, juſta ejus ira magnoperè exarſit,
ſervum, cui priùs debitum decem millium talentorum benevolè
dimiſit, advocat, corripit, eóque modo, quo ipſe cum conſervo
ſuo minora debente patientiam habere noluit, eundem miſericor-
diâ indignum cenſet, donationem anteà factam caſſat, & annihilat,
eúmque tortoribus tradit, usquedum integrum debitum decem
millium talentorum redderet. Parabola hæc ad nos omnes pec-
1. Joan. 1. catores dirigitur, quia quilibet noſtrûm debitor eſt: *Et ſi dixeri-
mus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas*

in

in nobis non eſt. Hujus noſtri debiti perfacile, & benignè à miſericordiſſimo Deo noſtro veniam, condonationem, & remiſſionem impetramus, quoties corde contrito ad eum convertimur. Non raro autem accidit, ut ii ipſi, quibus benigniſſimum Numen longè majora dimittit, conſervis, & proximis ſuis etiam minima dimittere recuſent, etiam leviſſima injuria à proximo illata manet alta mente repôſta, & raro dimittimus debitoribus noſtris, ſicut petimus nobis dimitti debita noſtra; quod teſte S. Chryſoſtomo eſt peccatum ſummum, quo nihil magìs provocat iram Dei, homínemque divinâ miſericordiâ indignum reddit. Aſt, ſi Deus ita iraſcitur iis, qui aut contemnunt, aut vilipendunt reciprocum proximis ſuis exhibere amorem, venerationem, ac miſericordiam, quàm graviter indignabitur illis, qui ubi in dies à clementiſſima ſua Matre multis cumulantur beneficiis, cultum ejusdem aut penitùs ſpernunt, aut in dies in eo magìs intepeſcunt. Utrumque hoc, quantùm attinet ad devotionem Sanctiſſimi Roſarii, erit argumentum hodierni Sermonis. *S. Chryſoſt. Hom. 27. in Evang.*

N. 2. Graviter Dominus Deus in veteri teſtamento iraſcebatur Core, Dathan, & Abiron, eorúmque aſſeclis, adeò, ut ipſa elementa in vindictam impiorum excitaverit. Imprimis ait Sacer Textus: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos* (puta, Core, Dathan, & Abiron) *cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderúntque vivi in infernum operti humô, & periêrunt de medio multitudinis.* Dein pergit Sacra Scriptura: *Et ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.* Ratio hujus divinæ indignationis, & ſeveriſſimæ animadverſionis non invenitur alia, niſi quòd prædicti viri contempſerint Prophetam Domini Moyſen, debitæque venerationis obliti coram eo comparere detrectaverint, dicentes: *Non veniemus.* Iſte contemptus adeò ad iram provocavit Deum, aliàs miſericordiſſimum, ut ignis contra naturam ſuam de cœlo deſcendere juſſus ſit, & terra disrumpi debuerit ad condignè puniendos hos vituperatores. Si autem tanta fuit ira benigniſſimi Numinis in eos, qui ſolummodò ſpreverunt, vilipenderunt, venerari recuſârunt quendam Prophetam, ô! quanta erit ira, qualis vindicta, juſtæque pœnæ exactio in illos, qui ipſam Sanctiſſimam Dei Matrem ſpernunt, ejus devotionem irrident, ejus venerationem vilipendunt? Sanè non minor, quàm ſi quis ipſum Dei Filium contempſerit, cul- *Num. 16.*

tum ejus ludibrio habuerit, venerationem ei debitam aſpernatus fuerit; eadem quippe & Matris, & Filii eſt injuria, & contemptus Matris regundat in contemptum Filii. Attendant ad hoc hæretici noſtri temporis, quibus nihil uſitatius, nihil jucundius, nihil ſolemnius, quàm ridere eos, quos vident cultui Mariano deditos, quàm culpare venerationem, quam exhibemus Auguſtiſſimæ Dei Genitrici Mariæ, quàm exſibilare, contemnere, & criticare quæcunque pia exercitia, in laudem, & gloriam Beatiſſimæ Virginis aſſumpta.

N. 3. Attendant ſimiliter non pauci etiam inter Catholicos, qui & ipſi non verentur tum in ſeipſis, tum in aliis devotionem Sanctiſſimi Roſarii vilipendere, explodere, extenuare, ridendô, vexandô, traducendô illos, quos aut vident in Eccleſia congregari ad exercitia pia Sanctiſſimi Mariani Pſalterii, aut comitari Proceſſiones, aut ſigna Roſarii in manibus portare, aut domi huic ſaluberrimæ devotioni operam dare. Attendant, inquam, hi nefandi vituperatores, ne ira Dei graviſſima eos aliquando arripiat. Sicut enim ſignum probabiliſsimum æternæ felicitatis communiter cenſetur cultus Marianus, præcipuè in Roſario; ita *ſignum probabile, & propinquum æternæ damnationis eſt*, ait ipſa Dei Genitrix ad noſtrum Beatum Alanum, *horrere, & attædiari, & negligere Salutationem Angelicam totius orbis reparativam.* Hinc graviter in hujuſmodi contemptores, & irriſores invehitur præcitatus Beatus Alanus. Imprimis comparat eos puteo illi, quem Joannes vidit, & ex eo aſcendentem denſiſsimum fumum, & in fumo magnam catervam locuſtarum habentium poteſtatem, ſicut habent ſcorpiones terræ. Quid enim ejusmodi irriſorum ora, niſi puteus profundus, ex quo caliginoſus fumus aſcendit, unde copioſiſsimæ locuſtæ, & venenoſi ſcorpiones enaſcuntur, qui venenô errorum, malorum exemplorum, & impietatis ſuæ plurimos inficiunt, ac occidunt? Secundò: Comparat ejusmodi vituperatores B. Alanus illi draconi, qui iterùm Sancto Joanni oſtenſus fuit, & quidem caudâ ſuâ trahens tertiam partem ſtellarum in infernum. Quid enim hi linguis ſuis acutis, & dolô labiorum ſuorum aliud faciunt, quàm ut animas Mariæ devotas à virtute, & bonis operibus retardent, retrahant, impediant? Plùs quippe impius ſubinde ore ſuo ſceleſto in una hora deſtruit, quàm zeloſiſsimus Concionator longo tempore ædificat; proni enim ſunt ſenſus hominum ad mala, perdifficiles verò ad virtutem, &

B. Alan. p. 2. c. 11.

Apoc. 9.

Apoc. 12.

bona

bona opera. Tertiò: Præallegatus Mariæ Cliens hoc genus hominum comparat ſerpenti illi, qui ſuîs technîs, ac mendaciîs ſeduxit protoparentes noſtros, totáque, ut ex paradiſo pellerentur, cauſa extitit, quia & hi eò unicè tendunt, ut devotos Sodales Marianos ex altitudine ſuæ contemplationis deiiciant, & deliciîs ſupernîs privent. Quartò denique: Iſti ogganientes aſsimilantur duabus in S. Scriptura malè notatis fœminis, Michol ſcilicet, & Phenennæ, *1. Reg. 6.* quarum prima, ubi vidit David virum ſuum in omni veneratione comitantem Arcam, ex domo Aminadab in Jeruſalem translatam, imò præ gaudio & exultatione ſaltantem ante Arcam, deſpexit eum in corde ſuo, irridénsque dixit: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus ex ſcurris.* Secunda verò vehementer affli- *1. Reg. 1.* gebat ſociam ſuam Annam, quotidie eam vilipendens, quaſi inutiliter devotam, fruſtraneè orantem ad Dominum, & purè hypocritam. Nam & hujusmodi blateratores audimus perſæpè ſcomaticè invehi in Pſaltes Marianos, eos vocitare deliros, fatuos, vanè devotulos, & hypocritas.

Aſt væ his, & ſimilibus! Juſta Dei indignatio non emanebit. N. 4. Et enim *parata ſunt deriſoribus judicia.* Et: *Abominatio Dei eſt* *Prov. 9.* *omnis illuſor.* Phenenna æmulam ſuam ſpernens pœnam talionis *Prov. 3.* dedit, & ipſa deinceps contemptui data. Michol in pœnam deriſionis non eſt natus filius usque in dîem mortis ſuæ. Seductorî ſerpenti dictum fuit: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animan-* *Gen. 3.* *tia, & beſtias terræ.* Draco projectus fuit in terram, & quaſi fulgur cecidit de cœlo. Simile quid experientur univerſi, qui vel in ſeipſis contempſerint devotionem Mariani Pſalterii, vel in aliis quocunque modo eandem impediverint; ſicut damnô ſuô didicerunt duo celeberrimi Concionatores Coloniæ, de quibus mentionem ingerit noſter Loppez. Hi enim vel ſuperbiâ inflati, vel invidiâ ducti, ubi *Loppez. L.* Patres noſtri primitùs Coloniam venerunt, magnámque populi *1. de Roſ.* partem ad ſuas conciones audiendas traxerunt, auſi ſunt crepanti- *c. 15.* bûs buccîs publicè contra Roſarium inſurgere, Mariana hæc exercitia acriter impugnare, populúmque paſſim à devotione Pſalterii noviter cœpta avertere. Aſt unus eadem die, qua præcipuè invitaverat Auditores ad percipiendam nihilitatem Roſarii, dum in ſuggeſtu exſpectabatur, mortuus fuit domi repertus: Alter jamjam aſcendendô ad Cathedram fulmine percuſſus in terram cecidit, manibûs

 pedi-

pedibúsque conſtrictus, usquedum votum fecit Roſarium deinceps nedum non impugnandi, ſed inſuper totîs viribûs propugnandi. Et facto hoc voto convaluit.

N. 5. Alii ſunt, qui quidem eò audaciæ non deveniunt, ut Roſarium aut impiè contemnant, aut nefariè derideant, attamen nauſeant ſuper hoc devotionis exercitium tanquam leviſſimum, tanquàm ſuper orationem communi plebi unicè propriam, tanquam ſuper preces idiotis tantummodô familiares, nobilibus autem, & hominibus altioris indaginis, quibus vel libelli præcatorii, aut profundiores, ùt putant, orandi formulæ ad manum ſunt, prorsùs indignas. Eò enim ſenſim ſinè ſenſu mundus deducitur, ut, ſicut in aliis rebus, ita & in orationibus antiqua vileſcant, nova verò permagni æſtimentur. Ædificia, veſtimenta, artefacta Veterum habentur ùt inculta, ſimplicia, & rudia. Eodem modo orationes antiquæ per Eccleſiam aſſumptæ, & per vulgus paſſim diſperſæ multis videntur inſulſæ, nimìs uſitatæ, & triviales. Cuncta oportet eſſe nova, excelſa, & à minori plebe diſtincta, ſuper vulgus eminentia. Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apoſtolorum priſcîs temporibûs introducta, ſingulísque ruſticîs jam aſſueta viluerunt; aliæ verò precatiunculæ in dies inveniuntur, excogitantur, venditantur, quibûs modernus mundus avidè ineſcatur. Pudet Nobiles, Officiales, & in aliqua dignitate conſtitutos cum vilioris ſortis hominibus in Eccleſia comparere, ubi conſueti Archi-Fraternitatis cœtus inſtituuntur: Indignum exiſtimant alta voce cum affluente populo Roſarium orare, erubeſcunt cum aliis Proceſſiones comitari, aliísque Mariani Pſalterii devotionibus publicè intereſſe, ſigna Roſarii aut penès ſe, aut in manibus ſuis portare dedignantur, putantes, hoc honori ſuo eſſe præjudicioſum: Nomina ſua communi Confratrum Catalogo inſerere gravantur, ne exinde maculam aliquam contrahant.

N. 6. Aſt hi inprimìs ob idipſum Roſarij dignitatem vilipendunt, unde maximè eandem æſtimare deceret. Quæ enim major laus, quod majus Pſalterij encomium, quàm quòd toti ſemper Eccleſiæ, univerſis jam elapſis ſæculis, antiquis promiſcuè Patribus noſtris fuerit oratio uſitatiſſima, & omni conditioni hominum jugiter utiliſſima? Audiatur celeberrimus Scriptor Beyſellius. Tantò exiſtimanda eſt melior, & divinior noſtra Archi-Fraternitas, quantò cum pluribus poteſt haberi communior: Nam cæteræ quidem inter

Beyſell. L. de Roſ. cor.

ter Chriſtianos Sodalitates ita fermè ſunt inſtitutæ, ut neque ætatum ſint omnium, neque ſexuum, neque conditionum; aſt verò hæc infantiam mulcet,& ſenectutem non offendit,otioſos exercet, non impedit occupatos, potentes, & divites allicit, pauperes, ac debiles non excludit, tepidos ad faſtidium non adducit, nec vivos tantùm, ſed & defunctos admittit. Hæc Societas videtur aliarum omnium in ſe complexa virtutes, & planè eſt communis oratio, ſingulísque generum aptiſſima. Ex alijs orationibus quædam attribuuntur juſtis, ùt Hymnus *Te Deum*, nonnullæ peccatoribus, ſcilicet Pſalmus *Miſereri mei*, quædam ad ſuffragia pro mortuis impetranda, ùt *De profundis &c.* Verùm noſtra Roſarij devotio pro omnibus,& quibuscunque temporibus, occaſionibus, ſtatibus, perſonis, juſtis, ſive injuſtis, afflictis, & conſolatis, vivis æquè, ac mortuis eſt accommoda. Imò omnes alias orationes,& devotiones includit, non ſecùs ac Roſarium terreſtre, in quo diverſa florum genera includuntur; ita & noſtrum hoc myſticum cæteras florentium gemmarum devotiones amplectitur: Siquidem in illo noſtræ Redemptionis Myſteria continentur, in illo Dominicalis Oratio, in illo Salutatio Angelica, & ſi quæ aliæ devotiones, reperiuntur. Ideò hoc ſacrum orandi genus ita omnium Chriſti fidelium uſui eſt accommodatum, ut non ſolùm indoctis neceſſarium auxilium, ſed & doctiſſimis quibusque utiliſſimum exercitium exiſtat.

Deîn ejusmodi alta ſapientes, quibus honore ſuo indigna videtur oratio Roſarij, qui & Proceſſionibus publicis intereſſe erubeſcunt, & cum alijs alta voce in Eccleſia Marianum Pſalterium orare vilipendunt, timere habent, ne idipſum illis ſuo tempore obtrudat Auguſtiſſima Dei Genitrix, quod ſuis oſoribus exprobravit ejus Unigenitus: *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc & Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris,& Angelorum.* Unde ipſa B. Virgo quondam Divo Alano apparens conteſtata eſt: *Sicut, qui navem Noë contempſerunt, omnes diluviô periêrunt; ſic omnes, qui me, & Pſalterium meum contemnunt, temporibûs noviſſimîs in hoc diluvio peribunt.* Confunduntur quoque tales à ſummis Pontificibus, ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus, qui & antiquîs temporibûs honori, & devotioni ſibi duxerunt concomitari publicas Roſarij Proceſſiones, & hodiedum ijsdem præcipuè Dominicâ primâ Octobris intereſſe non deſinunt, in

N. 7.

Luc. 9

B. Alan. de Dignit. Pſalt. c. 7.

in hoc æmulantes veſtigia Regis Davidis, qui in publica translatione Arcæ fœderis Domini ſemper in propria perſona adeſſe dignabatur. Tertiò: Ejusmodi ſuperbi altam Dei Genitricis ſalutationem, profundámque ejusdem venerationem edocentur ab ipſa tota Curia cœleſti. Quando enim Maria Virgo, ùt legitur, glorioſè aſſumpta fuit in cœlum, nedum tota Curia cœleſtis profundè inclinata, humíque proſtrata eam venerari cœpit hîs verbîs: *Beata es Virgo Maria, quæ omnium portâſti Creatorem.* Sed ipſæ tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ trinîs, unitisque vocibûs advenienti accinere auditi ſunt: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Peſſimè proinde faciunt, ſeipſos decipientes, qui relicta Roſarij devotione alias pietates amplexantur, excellentiora quippe omittunt, & minora ſequuntur; ſicut enim Authores Sanctiſſimi Roſarij, Chriſtus, & Maria, excedunt omnes alios Sanctos, ita & Roſarium ſupereminet inter alia pietatis exercitia; quemadmodùm olim ipſa benigniſſima Domina cœlorum revelare voluit cuidam nobili Romanæ hîs verbîs: *Scias, velim, quòd, ſicut gloria mea omnium Sanctorum gloriam antecellit, ita mei quoque pietas Roſarij omnibûs aliîs pietatis exercitiîs longiſſimè præſtet.*

In Revel. S. Gertrud. L. 4. c. 49.

N. 8. Verùm enimverò, ſubintrat hîc Doctor Seraphicus: *Non ſolùm in te peccant, ô Domina! qui tibi injuriam irrogant, ſed etiam, qui te non rogant.* Id eſt: Nedum illis iraſcitur Deus, qui devotiones Marianas, & exercitia Roſariana contemnunt, vilipendúntque, ſed inſuper illis quoque, qui à principio quidem omnem oſtentant in aſſumpto Roſario fervorem, paulatim autem ita intepeſcunt, ut Roſaria ſua vel penitùs negligant, vel non niſi frigidiſſimè perſolvant. Primis Væ flebile acclamat Eccleſiaſticus: *Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam*, id eſt, addit S. Gregorius, *qui bona, quæ inchoant, non conſummant!* Non enim inchoantibus præmium promittitur, ſed perſeverantibus, nec initia laudem habent, ſed finis coronat opus. Planè quòd ſi quis per multorum annorum curſum inter continuas maris tempeſtates copioſiſſimum ſibi compararet pecuniarum, gemmarum, auri, argentíque theſaurum, ut inde in patriam reverſus abundè diteſceret, poſteà verò ad ſuos redux in eodem portu, ubi appulit, unico alearum jactu totum theſaurum ludendô perderet; nunquid talis pro ſtulto pronuntiaretur, & inſipiente? Et tamen, ô quot ſunt, qui, poſtquàm

S. Bonav. in Spec. B. Virg.

Eccli. 2.

S. Gregor.

Similia.

quàm in mari hujus mundi, maximè in Archi-Fraternitate Sanctiſſimi Roſarij, multa ſibi accumulârunt merita, poſteà verò vel à turpi voluptate ineſcati, vel à vili quodam emolumento ſeducti, totum illum theſaurum abijciunt, benè cœpta exercitia deſerentes, & ad ſenſibilia ſeſe convertentes! Qui proinde aſſimilari haud injuriâ poterunt ſtatuæ illi magnæ, & terribili, quam in ſomno vidit Rex Nabuchodonoſor. Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat, *Dan. 2.* pectus de argento, venter ex ære, tibiæ ferreæ, pedes verò lutei, ut, quæ inceperat in auro, deſineret in luto, tanquam viva imago multorum in via Dei, in via virtutis, & pietatis. *Applicatio* Caput aureum deſignat primævum devotionis fervorem, quando nomen ſuum dant Archi-Fraternitati. Pectus argenteum deſignat aliquam mox deficientiam ab illo primo fervore. Succeſſivè & argentum perditur ſubrogato ære, & ferro, quia homo in dies magis frigeſcens paulatim durus vit, & imperſuaſibilis ad repetendum primum ardorem. Tandem totum vertitur in lutum, quia ultimatim ceſſans penitùs à devotione cuncta derelinquit Archi-Fraternitatis opera, ſicque perdendô merita priùs aggregata ex aureo totus evadit luteus. Unde S. Hieronymus: *Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis: Paulus malè cœpit, ſed benè finivit: Judæ laudantur exordia, ſed finis damnatur.* *S. Hieron. Ep. 10.*

Nec incongruè. Videtur enim piiſſimus Salvator idipſum verbô ſuô æternæ Veritatis docuiſſe, ubi, poſtquàm fidum quendam, & officiô ſuô benè functum æconomum dilaudavit plurimùm; ac tanquam fidelem diſpenſatorem, & prudentem deprædicavit, ſubdidit: *Beatus ille ſervus, quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem.* Ad quæ verba ſingularis eſt obſervatio Cardinalis noſtri Cajetani, Chriſtum Dominum affirmâſſe beatum ſervum non illum, qui aliquando ſic fecit, ſed quem ita facere tunc invenit: *Beatus ille ſervus* (inquit Cajetanus) *quem invenerit ſic facientem, non quòd ita fecerit, ſed quòd ita perſeveret faciendô. Beatus, non quia in bonis actibus diu vixit, ſed quia his immortuus fuit.* Ideò melliflüè Fratres ſuos admonet Doctor mellifluus: O Fratres! non tædeat incipere magna, nec faſtidiat tenere inchoata, ſcientes, quòd perſeverantia informat merita, remunerat currentem coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc eſt tunica talaris Joſeph ad pedes perveniens; hæc eſt calcaneum bonæ operationis, quod contra ſerpentis morſum debemus N. 9. *Luc. 12.* *Cajet. Car.* *S. Bernard. Epiſt. 129.*

ob-

obſervare; hæc eſt virtus, quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat. Abſque perſeverantia nec, qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, dicente Domino: *Qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* Nunquam oportet deſinere, ſed fortiori ſemper pede in inchoata devotione pergere. Unde Redemptor noſter: *Ab arbore fici diſcite parabolam.* Sed quare ab arbore fici, & non ab alia arbore nobiliori? & quænam parabola hæc, quam homo rationalis à vili arbore addiſcat? S. Chryſoſtomus exponit punctum quæſtionis, annotandô hanc inter alias arbores, & ficum differentiam. Cæteræ arbores fermè omnes eodem tempore fructus præbent, qui fructus inter paucos dies & matureſcunt, & de arbore cadunt: Ficus autem, ex quo cœpit floreſcere, usque ad hyemem fructificare non ceſſat, identidem novos fructus progerminans, & cultorem ſuum novô delectamentô demulcens. Ab arbore ergo fici jubemur diſcere parabolam, ut videlicet & nos uno fructu pietatis in Roſario contenti non ſimus, ſed potiùs indeſinenter fructificare pergamus, addamus opus operi, & perſeveremus in devotione usque ad finem.

Matth. 10. *Matth. 24.* *S. Chryſoſtomus in hunc. loc.*

N. 10. Alii ſunt, qui, dum ingrediuntur Sodalitatem, inſtar ollarum ad magnum ignem appoſitarum vehementer fervent, & quod intùs habent, ſtrepitu quodam exteriùs effundunt; qui fervor tamen non durat, ſed paulatim minuitur, adeò, ut, etſi à conſuetis Roſarii exercitiis nunquam deſiſtant, attamen non niſi tepidiſsimè in iis ſe habeant. Non ſufficit autem, ſeipſum magnæ huic Dominæ in ſervum devovere, non ſatis eſt, aliquo tempore ipſi obſequia ſua præſtare, non prodeſt, proſpero gradu in Mariano cultu, & veneratione progredi, ſi poſtmodùm laboris pertæſi hunc piæ devotionis tramitem non proſequamur. Quemadmodùm multi ex junioribus Sodalibus Roſarii factitare ſolent, qui ſæpiùs à principio multa, & varia in honorem Virginis Deiparæ frequentant devotionis, ac pietatis exercitia, & quidem omni excogitabili cum fervore; poſtmodùm verò evolutô paucorum annorum ſpatiô, in ſuo fervore intepeſcentes, ſua quotidiani Roſarii penſa luridè, & obiter perſolvunt in dies magìs in ſua devotione frigeſcunt, cunctáque ſua bona opera peragunt, ut propemodùm ſubinde ſatiùs eſſet, ea penitùs inter-

intermittere. Sicuti ſuô damnô expertus fuit, aliàs dilectiſſimus Mariæ Cliens, B. Joſephus Hermannus, qui, cùm eſſet à ſuo Superiore conſtitutus Monaſterij æditaus, & nimiâ curâ abriperetur, ita, ut per aliquot dies ſolita ſua erga Sanctiſſimam Dei Matrem aut negligentiſſimè obiret, aut penitùs omitteret, audivit die quadam ſub veſperum ad fores templi ſtrepitum extraordinarium, cúmque accurreret viſurus, quid ſibi ſtrepitus iſte vellet? vidit adeſſe unam aliquam malè veſtitam, rugoſam, & omni ex parte deformem vetulam quam cùm cognoviſſet ex voce, eſſe Beatiſſimam Dei Matrem, cum qua ſæpiùs alias familiariſſimè agere conſueverat, inſolita rei novitate attonitus interrogavit illam; quid tam informi vultu, & veſtitu prætenderet? Tunc illa, *Talis ſum*, inquit, *Hermane! in corde tuo qualem me foris vides; jam enim tibi in animo vilui, quia ab amore, & veneratione me remiſiſti.*

Et hoc non obſtante, quantum numerum videmus eorum, qui, dummodò Roſaria ſua dixerent, contenti ſunt, non attendentes, quomodò & qua animi devotione, quo cordis ardore illa dixerint, in aliquo, & ſecundùm quid haud diſſimiles Annæ illi veteris teſtamenti, quam, poſtquàm ad templum venerat oratura Dominum, Heli ſummus Sacerdos non vidit niſi ſola labia moventem, à templo abeſſe voluit, duris verbis eam aggrediendò: Haud diſſimiles quinque virginibus fatuis, quæ æquè, ac prudentes acceperunt lampades ardentes in manus ſuas, pari paſſu obviàm venerunt Sponſo, conſimili attentione exſpectârunt adventum ejus, factáque voce: *Ecce Sponſus venit;* æquali promptitudine ſurrexerunt: Attamen, quia lampades earum non quidem penitùs extinctæ erant, ſat tamen deficiente oleo inceperant obtenebrari, obſequiorum ſuorum exiguam reportârunt laudem, audientes: *Clauſa eſt janua.* Haud diſſimiles Monacho illi apud Cæſarium, qui frequenter in Choro. quem cum alijs ſuis Confratribus frequentare non neglexit, dormitare, & oſcitare ſolebat. Contigit autem hora quadam, cùm ex more aliìs pſallentibûs dormiret, Crucifixus de Altari venit, dormientem excitavit, & cum tanto niſu maxillam ejus percuſſit, ut intra tertium diem fuerit mortuus. Nec juvat dicere: Leges Roſarii non obligant ſub peccato: Non teneor ſub culpa ad preces ab Archi-Fraternitate præſcriptas. Non juvat, inquam, hæc excuſatio; quia, eſto, ſit veriſſima, parùm tamen utilitatis affert, quia etiam Auguſtiſsima Roſarii Regina non tenetur homini ſuas gratias

N. 11. *1. Reg. 1. Matth. 25. Cæſar. L. 4. Mirac. c. 38.*

Sebaſtian. Textor.

elargiri, ſed illud ipſum convenientiſsimè uſurpare poteſt, quod de Rege quædam Chriſtiano refert Sebaſtianus Textor, qui, dum filium ſuum rebellem ſuſpendiô necari juſsiſſet, & filius jamjam ſuſpendendus cum lachrymis clamaret: *Ah! filius ſum, ô pater!* reſpondit: *Non ſum ego pater, quia tu non me, ùt filius, honoraſti, ſed potiùs ut alienigenam deſeruiſti, & abjeciſti.* Legitur hoc in Parthenio Sodali de duobus Sodalibus Marianis, quorum alter ſuum Sodalitatis penſum devotiſsimè perſolvit; alter verò repoſuit: Leges Sodalitatis non obligant ſub peccato; ad quid ergo tam ſcrupuloſè ad illas attendam? Paulò poſt ambo hi juvenes (erant enim in flumine Pado navigantes) extremo vitæ diſcrimini expunebantur. Uni, nempe cultui Mariano ferventer dedito, invocata Dei Mater miſericorditer ſuccurrit; alteri verò dixit: *Tu anteà non obligabaris, me colere, nec ego nunc obligor, te morte eximere.* Unde monitum eſt S. Ephrem: *Attende tibi ipſi ſolerter, ne quando teipſum torpori, & negligentiæ tradas. Initium enim perditionis eſt negligentia, quæ quidem per modicas occaſiones irrepit, ſed poſteà totum hominem obſidens omne ſtudium Religionis laxare, jugùmque ejus excutere cogit.* Scriptum eſt enim: *Maledictus ille, qui facit opus Dei negligenter.*

Sodal. Parthen. L. 3.

S. Ephrem. Serm. de vit. Relig.

N. 12. Timendum proindè erit, ne clementiſsima Roſarii Regina idipſum tepidis ſuis Sodalibus intentet, quod piiſsimus Salvator olim intentavit Angelis, ſeu Epiſcopis Eccleſiarum Laodiciæ, & Epheſinæ. Primo dictum eſt: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus --- Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo -- & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Quemadmodùm enim Epiſcopus ille Laodicenus inſtar aquæ tepidæ nauſeam cauſavit Salvatori, quia, etſi munia Epiſcopalia adimplevit, attamen non niſi cum tepore præſtitit, & ob poſitionem operum nullatenùs ſe credidit miſerum, & miſerabilem; ita Sodales tepidi, etſi Roſaria ſua, & preces ſuas non intermittant, ſemper in oculis B. Virginis nauſeam cauſant, ſimúlque in ſeipſis miſeri, & miſerabiles, pauperes, cæci, & nudi exiſtunt, utut ſibi vanè abblandientes gratias, & favores Deiparæ promittant. Epiſcopo verò Epheſino hæc intimari juſsit Salvator noſter: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: Et tentâſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt: Et inveniſti eos mendaces: Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter no-*

Apoc. 3.

men

men meum, & non defeciſti. Tot erant hujus Epiſcopi opera, ùt videri poterant, præclariſsima, tot virtutes, tantáque exinde huic Viro (quem Expoſitores Sacræ Scripturæ comuniter judicant fuiſſe Sanctum Timotheum, Divi Pauli Diſcipulum) ab ipſo Redemptore attributa encomia. Aſt, quia & Timotheus erat homo, & humana infirmitas eſt tanta, ut etiam, qui magno ſpiritu cœperunt Deo ſervire, ſenſim de ejus conatu remittant, contigit & illum paulatim in ſuo munere Epiſcopali remiſsiùs agere, usquedum per Chriſtum increpatus reaſſumpto ſpiritu ad priſtinum fervorem denuò rediît. Unde dictum fuit illi à Domino : *Sed habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

O quot Epiſcopo Epheſino ſimiles Fratres, & Sorores Sanctiſſimi Roſarij invenire erit, qui opera quidem apparenter bona ponunt, qui conſuetas Mariani Pſalterij preces peragunt, ad Proceſſiones veniunt, Congregationibus interſunt! Aſt primus ſpiritus jam dudùm intepuit, lumen obtenebratum eſt, charitas prima derelicta manet, mens in dies magìs deviat, dormitatur in cuſtodia, mutatus frigeſcit fervor, diminuitur gratia, & proficiendi laxatur propoſitum. Memores eſtote igitur dilecti Confratres, unde excideritis, agite pœnitentiam, & prima opera facite. N. 13.

Hiſtoria.

SÆpe, quæ parva ſunt in oculis hominum, magna apparent coram oculis Dei. Ubi in Gallijs Sanctus Pater Dominicus labore irrequieto, zelóque indefeſſo Mariani Pſalterij devotionem propagare ſtudebat, dum alij Deiparæ Virginis oſores novum hunc cultum contemptui habebant, præcipuè Epiſcopus quidam, Vir magnæ authoritatis, & doctrinæ eximiæ, irridebat Sanctiſſimi Roſarij Præconem, quaſi ſeſe inutiliter defatigantem in rebus puerilibus, nugis, & crepundijs, econtra omittentem loqui de myſteriis altioribus, & dogmate ſublimiori. Hic Epiſcopus quondam in viſu Deo ſic ordinante videbatur ſibi cum magna copia hominum jamjam rapidiſsimo torrente abreptus, accreſcentibúsque aquis jam propemodùm improfundum abyſſi demerſus. Non procul aberat Sanctus Dominicus, qui extructo ad fluminis ripam ponte porrecta manu plurimos à

periculo demerſionis eripiebat, ereptos in parvis turribus, quarum centum quinquaginta ad latera pontis erectæ cernebantur, refocillabat, demúmque refectos in hortum amœniſſimum transmittebat, ubi Maria cum Filio in throno magnifico collocata ſingulos plusquàm materna ſuavitate ſuſcepit, & inſuper omnibus ſertum elegantiſsimum impoſuit. Hîs viſîs audebat & Epiſcopus, ùt putabat, auxiliatricem S. Dominici manum implorare, & exinde in tuto poſitus in adjacentem hortum ſe ſalvare, Deiparæque Virginis throno appropinquare. Aſt nedum repulſam petitionis ſuæ tulit, ſed inſuper duriter increpatus audire debuit, eum nullius auxilij dignum eſſe, eò quòd Roſarium, & Deo omnipotenti, & Reginæ cœlorum acceptiſsimum, pro converſione peccatorum efficaciſſimum, animabúsque ab interitu per centum quinquaginta turres ſalvandis maximè accomodum, ſpreverit, deriſerit, & tanquam devotionem puerilem, & plebejam rejecerit. Transacta hac viſione, nunquam tamen increpatione, quam acceperat à Dei Matre, è mente elabente, Epiſcopus tantam Sanctiſsimi Roſarii concepit venerationem, & æſtimationem, ut nedum ipſe ſuum nomen novæ Archi-Fraternitati dederit, ſed ſingulis quoque ſuæ curæ concreditis hanc ſanctiſſimam devotionem perſuadere conatus fuerit, fervore tamen adeò inconſtanti, ut, ſicuti magna eſt humani propoſiti fragilitas, ſenſim ſinè ſenſu denuò in ſuis pijs exercitijs penitùs tepeſcere, & algere cœperit. Alia ergo iterùm viſione emendari debuit. Exiſtimabat in extaſi quadam, quaſi, ſicuti ante in torrente, ita de novo immergeretur ad profundum malè olentis lacûs, in quo & ſocios demerſionis videbat non paucos, quos tamen magna ex parte Auguſtiſsima cœlorum Regina unà cum S. Dominico per demiſſos in paludem centum quinquaginta (tot ſunt Salutationes Angelicæ in Pſalterio Mariano) argenteos funiculos in tuto collocabat. Ubi autem & Epiſcopus his porrectis funiculis innectere ſe voluit, tamdiu non potuit, usquedum novo Roſarij fervore concepto promiſit in hac devotione firmiter ſe in poſterum fore manſurum. Quo facto promiſſo & ipſe feliciter evaſit, & curſum ſuum deinceps glorioſè conſummavit. P. Albertus Caſtellanus de Roſario.

SER-

SERMO QUINQUAGESIMUS.

Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten.

THEMA.

Cujus eſt imago hæc? Matth. 22.

Veneratio imaginum Sanctiſſimi Roſarii reddit Dominæ noſtræ cultum debitum, & confundit diabolum.

BEne dixit Salomon: *Non eſt Sapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Teſtantur hoc in hodierni Evangelii Hiſtoria Phariſæi, qui abeuntes conſilium iniêrunt, ut Jeſum, quem opere, utpotè per cunctas ſuas actiones irreprehenſibilem, capere non poterant, ſaltem caperent in ſermone, verbiſque ſubdolis illaquearent ad confuſionem. Haud ignoraverant verſipelles Sacerdotes, linquam humanam admodùm eſſe lubricam, rationémque ita perſæpè antevertere, ut, niſi cautè cuſtodiatur, facillimè hominem & in errorem inducat, & ad propriam infamiam proſtituat. Mittunt ergo Phariſæi ad Jeſum diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: *Quid tibi videtur; licêtne cenſum dare Cæſari, an non?* Si amantiſſimus Salvator ad argutam hanc quæſtionem, quæ unicè eò collimabat, ut Chriſtus odioſus redderetur populo, ſimpliciter reſpondiſſet, affirmando: Licet cenſum dare Cæſari; ejus æmuli, qui nemini ſervire voluerunt, ſtatim illum arguiſſent partim ùt deſtructorem libertatis Judaicæ, partim ùt adulatorem Cæſaris, partim ùt aucupem humani favoris, &

N. 1. *Prov. 21.*

gratiæ Principum. Si verò abſolutè dixiſſet: Non licet cenſum dare Cæſari; non defuiſſent, quin ſinè mora eundem accusàſſent apud Cæſarem, utpotè læſæ Majeſtatis reum, altioris poteſtatis rebellem, & ſubvertentem gentis. Si Redemptor nec unum aſſumſiſſet, nec alterum, ſed tacendô dimiſiſſet ſuos tentatores, jam parati erant, eum traducere tanquam puſillanimem, timidúmque in confeſsionè veritatis, quam ſe profiteri edixerat. Aſt, *O ſtultos filios hominum!* exclamat S. Bernardus: *Solet ſtultus alios ſecundùm ſe æſtimare, & , quod ipſe ignorat, ſapientes quoque putat & ſimiliter ignorare.* Longè alius ſenſus erat Magiſtro cœleſti, quàm ſibi præfiguraverat arrogans verſutia Phariſæorum. Cognitâ enim nequitiá ſuorum adverſariorum petit ſibi oſtendi numiſma censûs, &, ubi in eo ex prôpria quærentium confeſsione deprehendit imaginem, & ſuperſcriptionem censûs, ait: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & , quæ ſunt Dei, Deo.* Qua reſponſione omni abjecta timiditate docuit, quòd ſolvere tributa, cenſus, & alia etiam infideli Principi nequaquam ita contrarietur libertati Judæorum, quin ſimul reddere valeant Deo, quæ Dei ſunt. Sícque Salvator ſapientiſsimus nec Majeſtatem Cæſaris offendit, nec libertatem populi evertit, nec veritatem ſubticuit: Phariſæi autem, qui nimis ſibi ſapere videbantur, evanuerunt in cogitationibus ſuis, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, laqueúsque, quem alteri paraverunt, apprehendit authores ſuos. His Phariſæis haud diſsimiles ſunt his temporibûs hæretici univerſi, qui latentibûs Catholicos aggrediuntur dolis, technas meditantur, & fraudes, & ironicè varias circa cultum ſacrarum imaginum quæſtiones efformant, interrogantes: An ſacrum cultum ſanctis imaginibus exhibere liceat, necne? Si dicamus, quòd ſic, appellant nos idololatras, eò quòd ſaxis, & lignis divinum honorem demus. Si dicamus, quòd non, de filijs antiquæ Eccleſiæ nos extinguere, & excludere allaborarent, eò quòd vera, & antiqua Eccleſia ſacras imagines ſemper in ſummo honore habuerit, non quòd imaginibus aliquam divinitatem, aut ſanctitatem ineſſe crediderit, ùt erroneè putârunt Gentiles, ſed quia in imaginibus earum prototypa fuit venerata, ùt fuſiùs demonſtrant noſtri Theologi. Ego unicè ex hoc occaſionem ſumo agendi hodie de imaginibus, quas ubique erectas habet Archi-Fraternitas noſtra, & dicam, quòd veneratio hujusmodi imaginum nedum reddat debitum cultum dilectiſsimæ Dominæ noſtræ, ſed inſuper turpiter confundat diabolum.

S. Bernardus c. 3. de Paſſ.

Imagines Sanctorum ad cultum, & venerationem eorum plurimùm facere, nemo Catholicorum dubitat; nam, ùt inquit Magnus Baſilius, *imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* Quod ante illum ethnicus Philoſophus Ariſtoteles diſertè docuit: *Idem eſt motus in imaginem, & rem, cujus eſt imago.* Quod declarans D. Athanaſius ait: In imagine regia ſpecies Regis, & forma apparet, & in Rege ſpecies imaginis, ut, qui videt imaginem, videat in ea Regem, & viciſsim, qui Regem intuetur, agnoſcat illum eſſe ipſum eundem, qui in imagine repræſentatur. Unde, qui imaginem veneratur, in illa adorat ipſum Regum, quippe cùm imago nihil aliud ſit, quam Regis forma, ac ſpecies, ſeu ipſe Rex repræſentatus. Hujus rei benè gnarus Rex Nabuchodonoſor, ubi victoriîs elatus pro Deo à ſuis ſubditis adorari percuperet, conſiliô, & operâ adulatorum ſuorum ſuam ſtatuam ex auro confectam in publico campo erexit, ad quam omnes populos convenire neceſſe fuit, proclamante dein præcone: *Vobis dicitur populis, & tribubus, & linguis: In hora, qua audiêritis ſonitum tubæ, & fiſtulæ -- cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nubuchodonoſor Rex.* Honorem enim imagini factum pro ſuo reputabat Nabuchodonoſor. Idem proinde de imaginibus Sanctorum dicendum erit, qui ſcilicet hujusmodi imagines colit, ipſos quoque Sanctos colit, & qui ipſas contemptui habet, non minùs Sanctos contemnit, ſicut, qui imaginem Regis deſpoticè tractat, ipſi Regi injuriam feciſſe cenſetur. N. 2. *S. Baſilius. Ariſtot. L. de mem. & remin. S. Athan. Serm. 5. cont. Arrian. Dan. 3.*

N. 3. Hujus tam ſacri, támque pii inſtituti, id eſt, Sanctorum imaginum uſûs, variæ ſunt utilitates. Prima utilitas eſt noſtra inſtructio, & eruditio. Sunt enim imagines docti quidam Concionatores, diſertíque Oratores, qui, dum acta, & facta Sanctorum ob oculos ponunt, hominem ad pietatem, & imitationem provocant. Unde communiter libri ſimplicium vocantur, qui primo ſtatim intuitu longiſſimam paucîs, & quidem ſignîs tantùm, & coloribûs exponunt hiſtoriam, nutu & figura loquuntur, lectorem delectandô, paritérque movendô ad juſtitiam, & virtutem. Nec hoc mirum videbitur ſcienti, quantùm imagines turpes ad vitia inflammant. Quem in finem legitur in vita Venerabilis Domînici à Jeſu Carmelitæ diſcalceati, quòd olim divertens ad Illuſtrem Dominum, & noctem precibùs conſummans conſpexerit multos dæmones cum thuribulis in quoddam conclave intrare, & eodem ordine poſt tempus exire. Cauſam interrogans audiît, nudæ cuidam imagini illic ap- *In vit. Ven. P. Dominici à Jeſu.*

penſæ

appenſæ fuiſſe incenſum oblatum, eò quòd per hanc imaginem plures ad libidinem incendantur, quàm per omnes tentationes dæmonum. Quia autem hanc imaginem dominus domûs ad adhortationem P. Dominici removere noluit, nocte ſequenti ab infernalibus ſpectris diſcerptus fuit. Secunda utilitas eſt ſtimulus amoris; qui enim diligit, libenter inſpicit imaginem amici abſentis, & inſpiciendô adeò inardeſcit; ut ejusmodi imaginem ſummè æſtimet. Videmus hoc in duobus amantibus, quorum unus fortè in terram longinquam proficiſcitur, & alteri pro jugi memoria imaginem relinquit. Planè tanti haberi ſolet ejusmodi memoriale, ut multi potiùs omni re pretioſa, quàm tali imagine ſe privari paterentur. Cui conformiter quis viſa ex imagine D. Virginis genibûs flexîs coram Filio pro peccatis totius mundi deprecante ad ejus amorem non moveatur? quis intuens eandem Filium in ulnis geſtantem, vel eum uberibûs ſuîs lactantem, ignem amoris erga eam in corde ſuo non excitet? quis aſpiciens eam ſibi devotos, ante ſe genibûs provolutos, cujusvis ſtatûs, dignitatis, conditionis homines amplexantem, & expansô palliô eos protegentem, illius amore non capiatur? quis cernens eam charitate amictam, in cœlo jam regnantem, de cœlo ſuis cultoribus Roſaria porrigentem, ad ejus amorem non accendatur? Tertia utilitas eſt conſervatio jugis memoriæ, & repræſentationis Sanctorum, quorum virtutes nobis placuiſſe gaudemus, & beneficiorum præſtitorum oblivisci nolumus. Sicut de Nino Aſſyriorum Rege in antiquo teſtamento atteſtatur S. Hieronymus quòd patri ſuo defuncto Belo in perpetuam ejus memoriam, gratíque animi causâ imaginem erexerit, quam nedum ipſe omni ſemper honore proſequebatur, ſed etiam omnes, qui in ſua ditione erant, ad talem patri ſuo honorem exhibendum omni tempore obligatos eſſe voluit, & gratos propter beneficia à patre ſuo Reipublicæ præſtita.

S. Hieron. in Oſe. c. 2.

N. 4. Propter quas rationes, quia honor imaginis non in imagine ſiſtit, ſed in ſuum exemplar refertur, nullo non tempore ſummoperè placuiſſe novimus cultum imaginum illis, qui per illas repræſentabantur. Expertus hoc fuit pictor ille, de quo ſequentia commemorat P. Joſephus Carmelita. Hic pictor ultimo ſuæ tempore vitæ, quidquid pecuniæ ſupererat, inſumpſit in varijs Cœlitum imaginibus pingendis, quas dono dedit Patribus Carmelitis, ut ei & ſepulturam indulgerent, ſuíſque precibus eum mortuum haberent recommendatum. Poſt mortem cuidam Patri in Eccleſia oranti appa-

P. Joſeph. Carmelit. T. 1. L. 4. Cap. 25.

apparuit anima defuncti pictoris, flammîs cincta, flebilitérque ingemiſcens, ac conteſtans, ſe vix corpore egreſſam complures ante tribunal inveniſſe ſui accuſatores, qui occaſione turpis cujusdam imaginis, quam in vita pinxerat, æternum periêrant. Obſtupui ad hæc, inquit anima defuncti, & dum anxiè circumſpexi pro auxilio, repentè adfuêre Sancti, quorum icones, dum vixeram effigiavi, séque meis opponentes accuſatoribus ajebant, illam imaginem à me juniore fuiſſe pictam, deîn verò me pœnituiſſe, & peccatum deleviſſe per hoc, quod operam, & artem omnem impenderim ad vultus Sanctorum peritè efformandos, sícque ad cultum divinum promovendum. Hîs quidem placatus fuit Judex, imperavit tamen flammîs purgantibûs tamdiu me torqueri, quamdiu illa imago, tot animarum pernicies, proſtaret. Rogo ergo, ut mei miſertus mox accedas ad dominum imaginis, jubeásque illam quamprimùm flammis dari. Alio modo, quàm gratus ſit ſacrarum imaginum cultus, Filius ipſe æterni Patris revelare dignatus fuit S. Thereſiæ, ùt ipſa teſtatur in vita ſua. Legeram in libro quodam, imperfectionem quandam eſſe, pretioſas, & ornatas habere imagines. Unde & quandam talem, quam in cella habebam, à me abdicare volebam, & nonniſi chartaceas imagines tum me, tum Sorores meas habere ſtatui. Sed dixit mihi Dominus, non bonam eſſe eam mortificationem, & utrùm cenſerem meliorem, paupertatem, vel dilectionem? Itaque, cùm amor longè ſit melior, nequaquam omne id, quod me ad eum concitare poſſet, relinquendum, aut Sororibus meis auferendum videri; librum verò non de ipſis imaginibus, ſed de nimio, ac ſuperfluo illarum ornatu, ac pretioſitate loqui. Atque hoc eſſe, quod diabolus cum hæreticis facit, quòd videlicet omnia ipſis eripiat media, quibûs ad rectè de Deo ſentiendum poſſent excitari. Ita ipſe Chriſtus extulit obſequia ſacris imaginibus exhibita. *In Vit. S. Thereſ. c. 40.*

Hæc omnia eò magìs de imaginibus Auguſtiſſimæ Dei Matris verificantur, quò altiùs ipſa ſuper cæteros Sanctos eminet. N. 5.
Teſtantur hoc & piiſſimi Eccleſiæ ritus, & acta Apoſtolorum, & plurimæ gratiæ per cultum imaginum B. Virginis paſſim reportatæ. Quod attinet pios Eccleſiæ ritus, ille planè imagines, quæ ſunt glorioſæ Deiparæ, ſuper omnes alias imagines ſanctorum extollit, quem legimus in Pontificali Romano. Cùm enim Ponti-

ſex Romanus ſolemniter imagines Sanctorum benedicit, aliorum benedictionem ſinè mitra, unica precatione, & ſola aquæ benedictæ aſperſione perficit, Deiparæ autem imagines, mitrâ ornatus, pluribûs Antiphonîs, Pſalmîs, atque Orationibûs, bina item aquæ benedictæ aſperſione, adjecta thurificatione, benedicere ſolet. Non minùs Sancti Apoſtoli imaginibus Beatæ Virginis & ipſi ſummum, quem poterant, detulêre honorem, & per totum terrarum orbem eum amplificârunt. S. Lucam conſtat plurimas ejusmodi imagines propria manu pinxiſſe, quæ modò in diverſis aſſervantur Eccleſiis, & ubique miraculîs clarent. Quemadmodùm etiam icon cedrina B. Virginis, quæ viſitur in Domo Lauretana, ab eodem ſculptam fuiſſe, pia eſt fidelium opinio. De Sancto Petro Jacobus de Vitriaco Cardinalis cum alijs teſtatur, quòd, dum adhuc in Syria moraretur, in civitate Anteradenſi, quæ nunc Tortoſa dicitur, Deiparenti Virgini Sacellum erexerit ex ære à Chriſtianis collato, ejúsque, cooperantibûs cæterîs Apoſtolîs, Virgineam Domum, ſeu cubiculum, in quo ſalutata fuit ab Angelo, & quod nunc Laureti religioſiſſimè colitur, in templi formam redegerit, & conſecraverit. De Sancto Matthæo Apoſtolo Euſebius affirmat, quòd in ſuo per Æthiopiam prædicationis officio plurimas Beatæ Virginis imagines publico cultui expoſuerit, locáque propterea pia paſſim conſtituerit; cujus rei hinc inde per Æthiopiam diverſa extare veſtigia commemorantur. Tandem, quod attinet ad gratias, & beneficia, quæ fideles per cultum imaginibus Beatæ Virginis exhibitum obtinuerunt, de illis fusè loquuntur noſter Michovienſis, P. Lohner, & alij.

Jacob de Vitriac.

Euſeb. de Anno Marian. ad diem 21. Sept.

Michov. ſuper Lyt. Lauret. Diſc. 220. & 222.

P. Lohner V. Hyperdulia. N. 6.

Ad has Beatæ Virginis imagines tenerrimo affectu ferebatur Sanctus Pater Dominicus, Fundator Sanctiſſimi Roſarij, & indefeſſus Zelator honoris Mariani. Hunc in finem ſtatuit imprimìs, ut in omnibus Eccleſiis ſui Ordinis tum Fratrum, tum Sororum erigeretur aut Sacellum, aut Altare cum imagine Sanctiſſimæ Deiparæ in Roſario. Unde adhuc ubique terrarum in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, aut ubicunque noſtra Archi-Fraternitas introducta fuit, cernuntur Sacella, aut ad minus Altaria, in honorem Dei Genitricis magnificentiſſimè extructa, & inibi imagines ejusdem affabrè depictæ, tabulîs aureîs, argenteîs, onionibûs, margaritîs, monilibûs ornatæ. Tabulæ inſuper votivæ, ſimulacra cerea manuum, pedum, capitis, oculorum, faciei, pectoris

for-

formam referentia paſſim videntur, quæ fideles in memoriam beneficiorum, per manus Deiparæ in varijs infirmitatibus acceptorum, quaſi quædam trophæa ſuæ Matri, & Soſpitatrici appendunt. Hoc ſtatuto non contentus Sanctus Pater Dominicus multiplices inſuper alias imagines vel à pictoribus, vel à ſculptoribus, vel à ceræ plasmatoribus ſibi procuravit, quas inter pios Chriſti fidelès diſtribuit, ſimúlque ad remotas terræ partes transmiſit, ita, ut vix villa eſſet, quæ non eſſet imagine Roſariana religiosè exornata. In compitis quoque, & trivijs viarum, imò & in privatis hominum cubiculis, in opificum officinis ad pietatis ſenſum excitandum ejusmodi imagines litæ conſpiciebantur, nec non in ſingulorum propemodùm manibus cernebantur. Alij ejusmodi imagines devota liberalitate aurô, argentô, gemmîs, & unionibûs ornabant; alij ad magnificentiam majorem pretioſos de digitis annulos detrahebant, æſtimatiſſimîs monilibûs ſeipſos ſpoliabant, nobiliſſima numiſmata lætanter congeſſerunt, quidquid ad apparamentum hujusmodi imaginum deſervire poterat, affatim contulerunt; alij lumina, candelas, & faces accendebant, ut fulgore lucis eam, à qua lux de luce edita eſt, venerarentur; alij faſciculîs florum, roſîs, & liliîs magnificabant decorem illius, quæ veluti Roſa decora genuit Salvatorem: Milites, & Belliduces utebantur hîs imaginibûs in ſignis, & vexillis, opifices appendebant illas in tabernis, ruſtici in caſis, cives ad fores, & feneſtras domorum, Nobiles in palatijs, Reges, & Principes in Aulis ſuis, potiſſimùm non ſinè ſignis, & prodigijs, quibûs divinæ miſericordiæ placuit hanc fidelium devotionem confirmare, & cultum Beatiſſimæ Deiparæ in Roſario ubique propagare, quæ ſigna, & prodigia hîc enumerare ſi vellem, planè innumerus forem. Illud unicum ſufficiat, quod in vita S. Roſæ legitur. Qui primî ex Hiſpania orbem novum pro diſſeminanda ibidem Chriſti fide penetrârunt, ſtatuam quandam ligneam ſecum detulerunt, quæ ſtatua erat ſacra Dei Genitrici Virgini, Unigenitum ſuum Filium in uno brachio portanti, & alio Roſarium populo porrigenti. Hanc ſtatuam Hiſpani in prima Eccleſia, quam in novo orbe ædificârunt, & ſub nomine Roſarij Beatæ Virgini conſecrârunt, eâ fiduciâ collocârunt, ut neutiquam dubitârint, Mariam in Roſario conſtanter illis fore in Patronam. Nec decepti fuerunt; nam ab illo tempore tantîs ſemper hæc imago inclaruit miraculîs, ut integer li-

In Vit. S. Roſæ.

 ber

ber ad ea conſcribenda haud ſufficeret. Illud imprimìs memorabile, quòd in Regno Cuſcho Annô 1535. ubi inter ſexcentos milites Chriſtianos, & ducenta millia infidelium commiſſum fuit prælium, ſtatua illa tempore prælij in aëre apparens adeò terruerit Gentiles, ut fugam mox apprehendentes ad internecionem deleti fuerint. Tanti refert Auguſtiſſimam cœli Reginam in piis SanctiſſimiRoſarij imaginibus devoto, & cordiali affectu venerari.

N. 7. Aſt perquàm diſplicet diabolo cultus iſte Marianus, quem proinde & per ſe, & per alios nunquam non abolere conatus eſt, quamvìs ſemper cum ſumma ſui confuſione. Per ſe adversùs cultum imaginum B. Virginis inſurrexit; ùt refert Vincentius Bellovacenſis. Pictor quidam, Dominæ noſtræ in ſua ſancta ſimplicitate gratiſſimus, in Flandria, cùm in porticu cujusdam Eccleſiæ Beatæ Virginis imaginem pingeret, & juxta poſſibilitatem artificij gloriam ejus adumbraret, ſed & diabolum ſubtùs imaginis pedes dum figuraret nigrîs coloribûs, turpem, & tenebroſum, hoc ille non ſuſtinens, excitato turbine vehementi omnes illas artis pictoriæ machinas concuſſit, & pervertit. Quod, ùt perſenſit pictor, totus perterritus ad imaginem Dominæ levavit cor pariter, & manum, quæ, mirum dictu! donec adeſſent, qui ei ſubvenirent, manu innexa ipſum retinuit, & ſervavit illæſum, omnibûs poſteà confluentibûs Matrem Auxiliatricem magnificantibûs, diabolum verò, fraude ſua deluſum, valdè deridentibûs. Per alios verò venerationem Marianarum imaginum extenuare adniſus fuit ſtygius inimicus, ubi vix non omnî ſæculô quosdam excitavit impios, qui temerario auſu ſacris his imaginibus injuriam inferre præſumpſerunt, eſto, vix unquam ſinè proprio detrimento. Teſtis eſt Zuiccius miles, qui in expugnatione oppidi Hallenſis, ubi quædam imago B. Virginis erat perilluſtris, ore ſacrilego jactabat, ſe ſuîs manibûs Hallenſi mulierculæ (Deiparam intelligebat) naſum abſciſſurum. Cùm verò ad oppidum perveniſſet, excuſſa glande plumbea naſus ei auffertur. Teſtis eſt in eadem expeditione Reſelmanus, qui ore teteriore effuderat, ſacratam ſe ſtatuam Bruxellam adducturum, atque ibi igne ſubjecto publicè crematurum. Aſt anteà os, & mentum tormenti ictu ei eſt ablatum, & paulò poſt vita ipſa. Ita utrumque narrat contigiſſe Annô 1580. Lipſius. Teſtis eſt armentarius ille in urbe Conſtantia Cypri, qui videns in Sacello imagi-

Vincent. Belluac. in Spec. Hiſt. L.7.c.104.

Lipſius Opuſc. de B. Maria Hallenſi.

nem

nem B. Virginis, ſtimulô, quo boves agebat, imagini dextrum oculum excuſſit. Mira res! E templo egreſſus, cùm pecus pungeret, ſtimulus fractus eſt, pársque ea, cui ferrum infixum erat, in hominem delapſa dextrum & ipſi oculum eruit. Teſtis eſt Iconomachus ille, qui, cùm conſpectâ ſtatuâ glorioſæ Dei Matris lapides in eam miſiſſet, per quietem Mariam ſibi apparentem vidit, terribiliter hîs verbîs eum compellantem: *In caput tuum hoc feciſti.* Paulò enim poſt & ipſe lapide percuſſus, & contritus eſt. Plures ejusmodi Hiſtorias adducit noſter Michovienſis. *Michov. loc. cit. ſuprà.*

Præcipuè autem diabolo odioſus eſt cultus, & veneratio, quam Roſariani exhibere ſolent imaginibus, & ſtatuis, Beatiſſimam Virginem in Roſario repræſentantibus. Quamprimùm enim Sanctus Pater Dominicus imagines Sanctiſſimi Roſarij erigere, multiplicare, & diffundere, ſimúlque in & per eas honorem Auguſtiſſimæ cœli Reginæ propagare cœpit, ejulare, lamentari, & horrendum in modum tumultuare auditæ fuerunt larvæ infernales, hîs verbîs apud B. noſtrum Alanum: *Væ nobis! væ nobis! hic Dominicus nos enervat, & immortaliter enecat. Heu! noſtram auffert prædam, noſtra evinculat mancipia, captivos noſtros in ſuos vindicat libertos, nósque, heu nos! in nervum dat ſuum Pſalterium, hôc nos flagrô nerveô difflagellat, iniquè enervat, vinctos, & religatos procul in tartara relegat! væ nobis!* Videtur tunc idipſum contigiſſe, quod in figura præmiſſum legimus. Multum tunc ſanguinis fundebatur Iſraëlitas inter, & Philiſtæos, Bellonâ diu nunc huic, nunc alteri parti favente, donec tandem in fine defecerunt Judæi, turpiter fugam arripientes, & victores Philiſtæi ſolemnem triumphum cecinerunt. Reversîs igitur, qui percuſſi fuerant, Iſraëlitis, & ad caſtra ſua ingloriè redeuntibûs dixerunt Majores populi: *Quare nos percuſſit Dominus hodie coram Philiſtiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum.* Hîs auditis non erat mora, quin mox aliqui fuerint dimiſſi ex caſtris, & quidem viri majoris authoritatis, ut apportarent Arcam fœderis ad caſtra Judæorum. Quæ ubi ad conſpectum exercitûs apparuit, mox ingens inter milites advertebatur jubilus, & exultatio: *Vociferatus eſt*, ait Sacer Textus, *omnis clamore, & perſonuit terra*, obſtupeſcentibûs ex altera parte Philiſtæîs, & interrogantibûs: *Quæ eſt hæc vox clamoris magni in caſtris* N. 8. *B. Alan. de Laud. Pſalt. c. 17.* *1. Reg. 4.*

Hebræorum? Ubi autem audiêrunt, Arcam Domini adventâſſe ad caſtra Judæorum, timuerunt Philiſtijm -- & ingemuerunt dicentes: *Væ nobis! non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiùs tertiùs, væ nobis! quis nos ſalvabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dii, qui per cuſſerunt Ægyptum omnî plagâ in deſerto.* Simile quid tempore Sancti Patris Dominici in Eccleſia fidelium accidiſſe videtur. Variîs tunc elatus victoriîs, quaſi toti orbi dominabatur dæmon, & puſillus fidelium grex vix audebat in publico cum hoſtibus ſuis progredi. In ſtatu Eccleſiaſtico tempore S. Dominici omnia controverſiîs, diſcordiîs, & hæreſibûs ardebant, ùt teſtantur ſeptemdecim Provincialia, & quatuor Generalia ea ætate pro litibus componendis celebrata Concilia. In ſtatu politico quid non divulſum ab invicem, & convulſum? quid non diſcors, & diverſum inter ſe? In Oriente barbara infidelium tyrannis: In Africa, & Aſia trux Perſa, Turca ferox, Scytha efferus, Hæreticus impius cuncta ethnica conſtituit: Terram ſanctam, gloriosè à noſtris ſub Godefrido Bullo-niæ Duce Anno 1099. occupatam, paulò ante denuò nobis eripuerunt Saraceni: In occidente, heu! quæ turbæ? quæ furiæ? quæ tragœdiæ, quas excitavit in Eccleſia Henricus IV. & V. Otto IV. Fridericus II. & alij; ùt fusè refert Sigonius. Hiſpaniam eodem tempore Chriſtiani nominis hoſtes Saraceni, quanta quanta erat, obruerunt, & ſubjugârunt. Huic tanto malorum iliadi Albigenſium hæreſim diabolus adjunxit, quæ tam validè mox pullulare, & excreſcere in comitatu Toloſano cœpit, ut omne fidei triticum in gente illa in lolium erroris verſum videretur, in tantúmque error illorum invaluit, ut brevî temporis intervallô infecerit mille propemodùm, civitates, adeò quidem, ut, ſi Deus non ſubveniſſet fidelibus, brevî temporis interſtitiô univerſam Europam corrupiſſet.

Sigon. de Regno Ital.

N. 9. Multùm ergò inter Majores, & Paſtores Eccleſiæ deliberatum fuit, qua via, quáve ratione ingentibus hiſce malis ſuccurri, faſtuoſus diaboli triumphus reprimi, ſplendor Eccleſiæ in priſtinum ſtatum reſtitui poſſet? Inter hos deliberantes ſurrexit Sanctus Pater Dominicus, & dixit, haud dubiè cœlitùs edoctus: Afferamus ad nos Arcam fœderis, id eſt, confugiamus ad potentiſſimam ejus Matrem, erigamus eidem glorioſas ſtatuas, & imagines, hæ ſint in medio noſtrûm, ut ſalvent nos de manu inimi-

corum

corum noſtrorum. Dixit, & vociferatus eſt omnis populus fidelis clamore grandi, unanimi ubique voce Roſarium recitari cœpit, & perſonuit univerſa terra, obſtupeſcentibûs intereà ſpiritibûs tartareìs, & quærentibûs: Quæ eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Catholicorum? Ubi autem audièrunt, has voces, húncque clamorem fieri ante ſtatuas Beatiſſimæ Dei Genitricis in Roſario, timuerunt valdè, & ingemuerunt dicentes: Væ nobis! non enim fuit tanta exultatio herì, & nudiùs tertiùs. Væ nobis! quis nos ſalvabit de manu tam ſublimis patrocinij? Hæc enim illa eſt Domina, quæ nullo non tempore nos, & ſocios noſtros hæreticos percuſſit omnî plagâ.

Nec inanis erat hæc infernalium ſpirituum lamentatio. Mox N. 10.
enim ad erectas in Eccleſia imagines Sanctiſſimi Roſarij eadem fermè ſequebantur miracula, quæ hinc inde in veteri teſtamento Arcam Dei operatam fuiſſe legimus inter populum Iſraëliticum. Ubi *Joſue 3.* Arca, portantibûs eam Sacerdotibûs, intravit ad Jordanem, aquæ Jordanis ingentì miraculô converſæ fuerunt retorsùm. Poſtquàm *Joſue 6.* per ſeptem dies ad mœnia civitatis Jericho, quam obſederat Joſue, circumportaretur Arca, muri omnes corruerunt, & diruta ſunt propugnacula Jericho. Cùm Arca capta fuiſſet à Philiſtæis, *1. Reg. 5.* & poſita in templo Dagon, manè inventum fuit idolum jacens ante Arcam in terra. Inſuper quorsúmque Arca hæc deportabatur inter Philiſtæos, multi ex ijs ſubitanea interibant morte, ut propterea clamare cœperint: *Non maneat apud nos Arca Dei Iſraël, quia dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Aliàs Arca fœderis fuit quaſi communis quædam arx, & turris fortitudinis apud univerſum Iſraël: Ejus præſentia erat cauſa triumphorum, ejus abſentia cauſa diſſipationis, & ruinarum. Eandem virtutem inditam fuiſſe myſticæ Arcæ, id eſt, imaginibus, & ſtatuis Sanctiſſimi Roſarij, neutiquam ambigendum arbitror. Ubi hæc Arca intravit in hunc mundum, portantibûs eam ſacertotibûs, id eſt, Fratribûs Dominicanìs ſtatuas, & imagines Roſarij per univerſum orbem erigentibûs, continuò aquæ converſæ ſunt retrorsùm, id eſt, illi, qui veluti aquam bibebant iniquitates, ad meliorem frugem converſi fuerunt. Sufficiat teſtimonium unicum eruditi Marchantij: *Certè Sanctus Dominicus per Roſarium millia multa convertit, quia potens eſt Deus per illos lapillos filios Abrahæ ſuſcitare.* Ubicunque imagines Sanctiſſimi Ro- *Marchant. Opuſc. 2. de var. Celebr B. V. Lect. 9.*

ſarij

ſarij circumferebantur circa civitates hæreticorum, ingentî non ſemel miraculô hæreſis ſubverſa eſt, fundamenta errorum diſſipata ſunt, & hoſtes expugnati ſpontè ſe dederunt. Audiatur perdoctus Carthagena: *Oratione Sancti Dominici unà cum virtute Roſarii terræ hæreticorum ſubjugatæ ſunt Eccleſiæ, quia Deus, Deiparáque ſuam hanc Fraternitatem velut quoddam voluerunt cæleſte eſſe apiarium, cujus apes in Roſis Domini, ac Dominæ Divinis, & Angelicis mellificant, tanquam ſtrenui expugnatores, & vindices hæreticarum veſparum, quæ Fraternitatis apiarium devaſtare moliuntur.* In quamcunque domum, locum, aut cameram introductæ fuerunt ſacræ Roſarij imagines, ſtatim omnia ſpectra diffugerunt, locúmque cedentes exclamârunt: Non maneat apud nos Arca Dei Matris, quia dura eſt manus ejus ſuper nos, & ſuper Principem noſtrum Luciferum. Teſte enim S. Bernardo, *dæmones fugiunt, infernus tremit, quoties cum reverentia dicimus: Ave Maria.* Denique imagines Sanctiſſimi Roſarij erant pijs Chriſti fidelibus arces fortiſſimæ, & turres munitiſſimæ, ad quas omnes in ſuis neceſſitatibus confugere properabant, quas in calamitatibus publicis devotè in Proceſſionibus circumferebant, quibus victoriæ in bellis reportatæ gratô animô adſcribebantur; prout hodiedum Maria in Roſario non alio nomine nuncupatur, niſi *Maria de Victoria.*

S. Bernard. ſuper Miſſus eſt.

N. 11. Inde evenit, ut & priſcîs, & modernîs temporibûs diabolus eò unicè intendat, totîs eò allaboret viribûs, totum quantum ſe impendat, ut, ſi cultum imaginum Sanctiſſimi Roſarij penitùs abrogare non valeat, ſaltem eum impediat, & in mentibus fidelium ſucceſſivè diminuat; eò fermè modo, quo, ut cultum imaginis cujusdam Beatæ Virginis abjiceret quidam Monachus, ei perſuadere conatus fuit. Monachus iſte à ſpiritu fornicationis ſtimulîs diu agitatus, tandem autem continuæ pugnæ pertæſus ab ipſo dæmone expoſtulabat, quousque demùm ſuis tentationibus finem non eſſet impoſiturus? Tunc dæmon: Jura, te nulli verba mea unquam revelaturum. Eo jurante, ait dæmon: Noli hanc imaginem venerari, & ego à tui impugnatione ceſſabo. Habebat autem eo in loco Monachus imaginem Deiparæ Virginis Jeſum in ulnis tenentis, quam quotidie colere ſolebat. Aſt Monachus, in re tam gravi ſibi ſoli non fidens, acceſſit ad Abbatem Theodorum, cui petitionem dæmonis ùt utiliter aperuit, ita

In Vitis PP.

ita ejus conſiliô fraudem hoſtis ſtygij ſaluberrimè eluſit, reduplicans ſua pia cultûs Mariani exercitia, quousque tandem dæmon confuſus à tentationibus deſiît. Simile quid hodiedum attentat infernalis implantator. Omnes curas ſuas eò vertit, ut Roſarianos à cultu Mariano avertat, diſplicet ipſi, ſi videat, Roſarianos tenero amoris affectu ferri in ſtatuas, aut imagines Sanctiſſimi Roſarij, coram illis genibûs flexîs generari Altiſſimam Dei Matrem, pijs ſuſpirijs, elevatis manibus, ignito fervore conſuetas ſuas orationes peragere, quaſi dicens, & repetens: *Noli hanc imaginem venerari.*

Abſit autem, ut diabolo obſequamur. Imitemur potiùs S. Gerardum Martyrem, qui Hungaros eò aſſuevit, ut, quoties-cunque nomen Mariæ pronuntiaretur, aut imago quædam Deiparæ ad conſpectum veniret, flexîs genibûs, & demiſsîs capitibûs ſeſe inclinarent. Imitemur S. Bernardinum Senenſem, qui adhuc adoleſcens ad portam civitatis Senenſis, quæ Camullia dicitur, ſolebat accedere, ibique imagine B. Virginis genua flectere, & ſuas preces devotiſſimè peragere. Imitemur B. Margaritam Hungaram Ordinis noſtri, quæ, quocunque in loco conſpexit imaginem Dei Genitricis, flexo devotè poplite Angelica Salutatione eam ſalutabat. Hinc poëta monet: N. 12.

Virginis intactæ dum præteris ante figuram,
Prætereundô cave, ne ſileatur Ave.

Hiſtoria.

VAriæ non deſunt decipiendi artes hoſti humani generis, ut eum, qui peccata averſatur, in Angelum lucis transformatus ſub ſpecie boni ſeducere tentet. Argumento eſt noſter Balduinus Gandavienſis, qui, poſtquàm Sacris Ordinibûs initiatus, & Clericatûs prærogativâ decoratus diu quandam Parochiam adminiſtraverat, ſtrenuus operator in vinea Domini, utpotè zeloſiſſimi Parochi vices obiens, indefeſſus in plantandis vitibus animarum, & uberrimus in replendis cellarijs cœleſtibus vinô dulciſſimô virtutum, tandem ad perfectionem majorem ſecum ſtatuit, nedum Parochiam ſuam alij cedere, ſed inſuper ſæculo

penitùs tergum vertere, & Ordinem Fratrum Prædicatorum ingredi. In anno tyrocinij magnos jam fecerat perfectionis Religioſæ progreſſus, invidiâ tamen diaboli deceptus in fine propemodùm jam cœpit tentationibus ſuccumbere. Trutinabat ſecum, quomodò in ſua Parochia per adminiſtrationem Sacramentorum, per frequentia catechizandi, & concionandi exercitia, per charitativam infirmorum viſitationem, moribundorúmque aſſiſtentiam, per alia centena miſericordiæ tum ſpiritualis, tum corporalis opera fructum trigeſimum, ſexageſimum, imò & centeſimum animarum lucrari poſſet, quo penitùs foret privandus, ſi ulteriùs pergeret intra ſepta Monaſterij ſeſe occultare, & ſibi ſoli vivere. Hîs, & ſimilibûs cogitationibûs diu, noctúque agitatus eò paulatim perplexitatis devenit, ut conſilij anceps tandem decreverit, monaſterium denuò deſerere, & ad ſuam Parochiam reverti. Antequàm tamen id, quod decreverat, executioni mandaret, recordabatur dulciſſimæ ſuæ Matris in Roſario, cujus imaginem in Eccleſia Monaſterij poſitam ardenti in dies affectu, & filiali obſervantia venerari conſueverat. Ea ergo, qua par erat, devotionis teneritudine acceſſit ad prædictam imaginem, ibique flexîs genibûs, elevatîs manibûs, & mille ſuſpiriîs antequàm ultimatim Sacro Ordini valediceret, cœpit orare Roſarium, porróque patrocinio Reginæ Mariani Pſalterij ſe recommendare. Paululùm in oratione proceſſerat, cùm dulcî obruitur ſomnô, & in ſomno ſibi appropinquare advertit clementiſſimam Dei Matrem, ſtipatam ſeptem aliîs ſanctîs Virginibûs, quarum quælibet pretioſum vaſculum in manu gerebat. Poſtquàm igitur omnes in circuitu aderant dormienti, & harum una vaſculum ſuum porrexerat Reginæ cœlorum, hæc illud Balduino dedit, dicens: Pota, Balduine! & reficere, ſat laboráſti. Balduinus accipit vaſculùm; aſt, cùm guſtâſſet, noluit bibere, quia potus illi videbatur nimìs amarus. Ubi verò alterum ei præbetur vaſculum à Matre dulciſſima, tantam perſentit dulcedinem, ut ſe totâ vitâ nihil dulcius deguſtâſſe faſſus ſit. Subjungit ergo Beata Virgo: Balduine! ſicut inter primum, & ſecundum potum magnam deprehendiſti differentiam, ita noveris, notabile eſſe priſtinæ, & modernæ conditionis tuæ diſcrimen. Tene, quod elegiſti, & materna tibi mea viſcera ſemper erunt aperta. Confortatus ergo

go Novitius in ſuo propoſito confudit machinamenta verſipellis tentatoris, & Roſario jugiter addictiſſimus beatè obiit Annô 1273. Annales Fratrum Ordinis Præd.

SERMO QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

Dominica vigeſima tertia poſt Pentecoſten.

THEMA.

Ecce! Princeps unus acceſſit, & adorabat eum. Matth. 9.

Roſarium dicendum eſt cum ſumma reverentia tum interna animæ, tum externa corporis.

DUo ſunt obſervatu digniſſima, quæ hodierni Evangelij Hiſtoria nobis exhibet. Acceſſit ad amantiſſimum Salvatorem Princeps unus, & adoravit eum, dicens: *Domine, filia mea modò defuncta eſt: Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Primum eſt perſonalis hujus Principis (Jairus vocabatur) ad Chriſtum acceſſus. Erat enim Jairus inter Judæos Vir ſummæ authoritatis, Princeps Phariſæorum, Decanus Synagogæ, Præſes, & Caput totius Concilij Eccleſiaſtici; & tamen non reputabat ſuæ dignitati eſſe præjudicioſum, ſi in propria perſona veniret ad hominem, quem communiter Jairi collegæ non niſi fabri filium appellabant. Qui actus humiliationis adeò in admirationem rapuit Evangeliſtam, ut totus obſtupeſcens particulam *Ecce*, quæ paſſim in Scriptura quid inſolitum N. 1.

 indicat,

indicat, adhibens exclamet: *Ecce! Princeps unus.* Vulgus quidem, & trivialis plebs catervatim ſequebatur Redemptorem: At nullibi legitur, Magnates, aut Majores populi concurriſſe ad audiendam doctrinam cœleſtem, ſed potiùs ad unum fermè omnes ſeſe variîs calumniîs, & dicteriîs appoſuiſſe Filio hominis, æquè ac eo nato in Bethleem advenerunt quidem paſtores, nequaquam tamen Nobiles, & Officiales, qui potiùs cum Herode, & tota civitate Jeruſalem ad quæſtionem Magorum: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* turbati, & conterriti fuerunt, ùt innuit Sanctus Mathæus: *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt,*
Matth. 2. *& omnis Hieroſolyma cum illo.* Majorem admirationem ſibi vendicat altera Evangelij circumſtantia, quòd videlicet hodiernus Princeps non duntaxat in propria perſona acceſſerit ad Chriſtum, ſed inſuper in tantum ſe humiliaverit, ut profundè ad terram inclinatus, & flexo poplite eum adorare non gravatus ſit, dicens: *Filia mea modò defuncta eſt.* Admiratione dignius, inquam, eſt hoc cenſendum. Eſto enim, ſolemnis Filio Dei habebatur veneratio in die Palmarum, ubi pueri Hebtæorum cædebant ramos palmarum, & olivarum, ſuáque veſtimenta ſternebant in via; procul tamen aberat, ut ullus de Synagoga, aut Majoribus populi cogitaverit huic Solemnitati intereſſe, aut conſimilem Salvatori exhibere reverentiam, quin hic applauſus plebis omnes ſumma quadam invidia, & deſpotico quodam odio replebat. Solus hodiernus Princeps acceſſit ad Chriſtum, & curvatîs genibûs adoravit eum. Tota cauſa utriusque hujus inſolitæ humilitatis fuit infirmitas, & poſteà ſecuta mors dilectiſſimæ filiæ, quæ,
S. Chryſoſt. ùt annotat S. Chryſoſtomus, erat unica hæres domûs paternæ,
Hom. 31. annorum fermè duodecim, donîs naturalibûs exornatiſſima, pa-
in Matth. rentum conſolatio unica, pupilla quaſi oculi, cordis jucunditas, & baculus ſenectutis. Et hæc afflictio, hic dolor, iſta filiæ dilectæ amariſſima ereptio Archiſynagogum compulit & ad Divinum Medicum perſonaliter venire, & omni poſſibili demiſſione eum adorare; ubi enim alia motiva nihil efficiunt, communiter neceſſitates, & tribulationes cogunt ire ad Deum, proſternunt homines coram throno omnipotentis Auxiliatoris. Et planè, ut ut mulier Chananæa in ſimili aliqua pro filia ſua ſupplicatione du-
Matth. 15. riter fuit excepta à Chriſto; attamen Jairus fuit feliciſſimus, ut-

potè

potè ſtatim voti ſui damnatus, quia ſurgens JEſus ſequebatur eum, intravit in domum, & filiam defunctam parenti reſtituit vivam. Ratio velocis hujus exauditionis, ait Sanctus Bonaventura, fuit reverentialis Jairi ad Chriſtum facta adoratio, ut & nos diſcamus, qua & internâ animæ, & externâ corporis reverentiâ orationes noſtras in Roſario faciamus, ſi petita obtinere volumus, de quo hodie. *S. Bonav. in Luc.*

N. 2. Modum utiliter orandi paucîs verbîs explicavit S. Bernardus: *Orare oportet reverenter tam mente, quàm corpore, id eſt, humilem debet ſervare reverentiam interiùs, & exteriùs; parùm quippe prodeſt orare, & caput inclinare, & pectus exteriùs tundere, niſi orans inclinet, & humiliet interiùs mentem.* Perfecta enim tunc eſt oratio, addit Aggellius, ſi preces juſtitia, id eſt, puritas animæ commendet. Sicut enim, teſte Eccleſiaſtico, *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Ita, teſte S. Laurentio Juſtiniano, *magna prorsùs eſt orationis virtus, divino conſpectui oblata per Angelos, ſi tamen ſit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ ſubnixa, humilitate ſociata, à delictorum ſordibus impolluta, boníſque operibûs decorata.* Unde præceptum Apoſtoli eſt: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, ſinè ira, & diſceptatione. Similiter mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed, quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Secùs, vult dicere Apoſtolus, oratio veſtra non erit grata, ſed potiùs abominatio coram oculis Dei, & vilis nauſea. Ita fundamentum ex ipſa Sacra Scriptura deſumitur, ubi paſſim oratio comparatur incenſo, quod olim Judæi Deo offerebant. Unde Pſaltes Regius: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Quemadmodùm enim antiquitùs incenſum, ſeu thymiama ex pretioſis componebatur ſpeciebus aromaticis, quales ſpecies erant thus, galbanum, onyx, ſtacte, & maſtyche; ita ad orationem fructuoſam requiruntur quinque virtutes, nempe fides, ſpes, charitas, humilitas, & perſeverantia. Secundò: Sicut thymiama non niſi in templo, & Sancto Sanctorum incendi debebat; ita oratio non niſi in ipſo pectore, aut anima, quæ eſt verum templum Dei, peragi debet. Quia ſicut thymiama à Summo Sacerdote offerri debebat; ita orationes noſtræ non niſi

S.Bernard. in Reg. *Aggell. Serm. 18.* *Eccli. 15.* *S.Laurent. Juſtinian. de perf. grat. c. 12.* *1. Tim. 2.* *Pſalm. 140*

ſi per Chriſtum Dominum, vel Summum Sacerdotem ſunt offe-
rendæ, utì ipſa Ecclesia exemplô ſuô docet, omnes preces clau-
dens notîs illîs verbîs: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quar-
tò: Sicut thymiama per ignem animari neceſſe erat; ita oratio-
nes noſtræ per ignem cœleſtem Spiritûs Sancti, & charitatem ab
eo infuſam ſunt accendendæ. Quintò: Sicut thymiama rectè ſur-
sùm ferebatur, neque ullo vento ad latus trahebatur; ita oratio
Orig. cit. noſtra rectà ad Deum tum per intentionem puriſſimam, tum per
à B. Alan. attentionem ſedulam dirigi debet. Præcipuè autem oratio San-
p. 2. c. 10. ctiſſimi Roſarij thymiamati comparari poteſt. *Salutatio quippe*
Angelica, ait Origenes, *eſt thymiama ſanctæ fragrantiæ, cum*
Malvend. *quo opera noſtra offerimus cum odore ſuavitatis. Quid enim fra-*
Annal. *grantius, & odoratius, quid omni genere virtutum redolentius,*
1215. *quid pulchrius, & ſuavius ipſa Dei Matre, ipsóque Sacro Roſario,*
Eccli. 24. *in quod veluti effuſum eſt divinarum omnium gratiarum, & do-*
norum pretioſiſſimum nectar, addit Malvenda. Hoc Marianum
thymiama conficitur ex pretioſiſſimis illis aromatibus, de quibus
mentio fit apud Eccleſiaſticum: *Sicut cinnamomum, & balſamum*
aromatizans odorem dedi: Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem
odoris. Per cinnamomum intelliguntur Myſteria gaudioſa; quia
ſicut illud exhilarat, & recreat hominem; ita Myſteria gaudioſa
non niſi gaudiîs abundant, non niſi gaudia afferunt meditanti-
bus. Per myrrham denotantur Myſteria doloroſa, ſeu Paſſio,
& mors Salvatoris noſtri; æquè enim, ac myrrha amara ſimul
Cant. 1. eſt, & ſaluberrima ad curanda vulnera hominis; ita Paſsio Chri-
ſti amaritudine replet contemplantes fideles, ſimul tamen mira
virtute pollet ad curanda vulnera peccatorum. Unde Sponſa ad
Pauſan. L. Dilectum ſuum loquitur: *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi,*
9. *inter ubera mea commorabitur.* Per balſamum autem indigitan-
tur Myſteria glorioſa; ſi enim balſamum corpora humana præ-
ſervat à putredine, ſerpentes, & viperas enecat, teſte Pauſania,
morbósque pellit, ſimilis virtus in Myſterijs glorioſis abſcondita
latet, ubi Chriſtum intuemur incorrupto corpore ex ſepulchro
reſurgentem, de mundo, carne, & diabolo, veluti venenoſis ſer-
pentibus, triumphantem, & finaliter toti generi humano infir-
mitates aufferentem. Hoc thymiama Auguſtiſſimæ cœlorum
Reginæ quotidie offerunt Sodales Roſariani, eo fermè modo, quo
id ordinaverat fieri S. Gerardus Epiſcopus Pannonienſis, qui in

adæ

æde D. Gregorij à ſe exſtructa aram Beatæ Virginis poſuit, cui thuribulum argenteum, & duos ſenes aſſignavit, qui ſingulîs horîs Catholico ritu thus adolere pergerent. N. 3.

Aſt incenſum antiquorum ſæpiſſimè nedum non placitum erat ante oculos omnipotentis Dei, ſed potiùs nauſea, & abominatio; utì legere eſt apud Iſaiam, ubi ſic loquitur Dominus Deus ad ſuum populum: *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi - - Solemnitates veſtras odivit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta - - & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Ratio erat; quia benigniſſimus Deus non tam attendebat ad incenſum, quod ei offerebatur, quàm ad reverentiam, & puritatem internam illorum, à quibus ipſi incenſum offerebatur: Hi autem tempore Iſaiæ Prophetæ plerumque erant homines improbæ vitæ, avari, ambitioſi, ſuperbi, hypocritæ, ſacrilegi, divini æquè, ac humani juris contemptores. Unde locô citatô ſubjunxit Altiſſimus: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini, mundi eſtote, aufferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere perversè, diſcite benefacere.* Priùs enim Deus reſpicit perſonam, & innocentiam, deinde verò munera, & preces, quæ ex eo gratæ fiunt, quòd à juſto procedant. Hinc legimus: *Reſpexit Dominus ab Abel.* Deîn: *Et ad munera ejus.* Sola bona vita, ait Mendoza, volare facit orationem, & alas ſpirituales dat precibus, quibûs Sanctorum ad Deum evehitur oratio. Si ergo, pergit Dionyſius Carthuſianus, à Deo exaudiri optamus, ſi aliquam gratiam ſpecialem adipiſci appetimus, non contradicat operatio orationi, nec oſtendamus, per opera iniqua nos amare id, quod per orationem dicimus nos odiſſe. Quod potiſſimùm verificatur de oratione Roſarij, quæ tota componitur ex Oratione Dominica, & Salutatione Angelica. Quomodò enim, ô homo! potes dicere: *Pater noſter, qui es in cœlis;* ſi cum filio prodigo in terram longinquam abiìſti (*Longè* enim *à peccatoribus ſalus*) & Deum Patrem habere noluiſti? Quomodò audes orare: *Sanctificetur nomen tuum;* ſi operandô, & plaſphemandô non ceſſas in vanum traducere illud Sanctum Nomen? Quo animo precaris: *Adveniat regnum tuum;* ſi non velis vel jota obſervare eorum, quæ nobis ad conſecutionem regni cœleſtis demandata fuerunt? Qua conſcientia potes dicere: *Fiat voluntas tua ſicut*

Iſa. 1. *Gen. 4.* *Mendoz.* *Dionyſ. Carthuſ. in Job. c. 8.*

in

in cœlo, & in terra; ſi divinis per omnia ordinationibus contranitaris? Qua reverentia ſupplicas: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* ſi vix ſemel in anno panem Euchariſticum eſuriat anima tua, & hoc, quis ſcit, quomodò? ſi proximum, & fratrem tuum fame aut emori facias, aut videas? Quo timeritatis auſu præſumis orare: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;* ſi tu canis rabidi inſtar vindictam ſpires, & plenus venenô dimittere nolis inimicis tuis? Qua fronte ſuſpiras: *Et ne nos in ducas in tentationem, ſed libera nos à malo;* ſi in mille te peccandi pericula immittas, occaſionibus vitiorum obviàm procedas, & volens in illas te præcipites? Quomodò audes tot *Ave* angelicîs puriſſimam Virginem Mariam ſalutare, qui immunditiîs, & impuritatibûs ſcates? an non ad illam ſalutandam non niſi puriſſimus de cœlo Spiritus miſſus eſt? an non ſcis, Mariam appellari hortum concluſum, & fontem ſignatum? Ad hortum autem floridum, & fontem limpidum non oportet pedibûs lutulentîs intrare, nec manibûs ſordidîs eſt haurienda aqua pura, aut carpendi ſunt flores nitidi. *Omne animal diligit ſimile ſibi*, dicit Eccleſiaſticus. Maria eſt Virgo puriſſima, unde non niſi à puris mentibus ſalutari cupit. Ob quam cauſam eidem à SS. Patribus attribuitur illud: *Mundi ſunt oculi tui, & reſpicere non poteris ad iniquitatem.*

Eccli. 13.

Habac. 1.

N. 4. Eſto igitur, oratio Roſarij ſit per ſe thymiama maximè odoriferum, incenſum ex pretioſiſſimis aromatibus compoſitum; attamen, ſi deſit interna reverentia, & puritas animæ, non erit acceptum hoc incenſum coram oculis Dei, ſed potiùs erit nauſea, & abominatio, erit odor peſſimus, & ſuffitus ingratiſſimus ante thronum altiſſimæ Majeſtatis: *Æquè* (verba ſunt S. Chryſoſtomi) *in coronis non ſatìs eſt, flores eſſe puros, niſi & pura ſit manus eas contexens.* Quod totum haud ineptè dilucidari valet ex nota illa Fabula, quam hoc modo narrat ingenioſus Æſopus. Mandatum emanaverat à Jove ſupremo Deorum ad omnia animalia terræ, ut quodlibet in agnitionem ſupremi dominij non moraretur, honorarium quoddam afferre, & ea, qua par eſt, veneratione ſe ſiſteret ante thronum illius, cui datum fuit dominium univerſi orbis. Auditô hôc magni Jovis mandatô non cunctabantur animalia propero greſſu ad Aulam ſupremi Numinis venire, & ſuìs, ùt vires dederant, muneribûs adorare ejusdem Majeſtatem. Aderant

S. Chryſoſt.

Fabula.

leones,

leones, leopardi, tygrides, cæteríque pecudeæ gentis tum Proceres, tum plebei, & certatim in omni demiſſione dona ſua ante thronum Jovis deponebant. Inter reliquos vaſallos advenerat etiam ſerpens, qui, cùm nec manus, nec pedes, nec ungulas haberet ad offerendum munus ſuum, elegantiſſimam Roſam, quam ore ſuo decerpſerat, Jovi præſentabat; aſt tributum hoc de ore ſerpentis non invenit gratiam in oculis altiſſimi Dominatoris. Utut enim roſa in ſe erat floſculus amœniſſimus, & donum gratiſſimum, offerens tamen diſplicuit Jovi, qui torvìs oculìs aſpiciebat ſerpentem, & dicebat: *Ab omnibus quidem dona libenter accipio, à ſerpente tamen id nequaquam facio.* Parabola ter accomoda pro Fratribus, & Sororibus Mariani Pſalterij. Serpens denotat quemlibet peccatorem, quia hic ad inſtar ſerpentis per terram repit, & cœlum non aſpicis, ad inſtar ſerpentis venenô malitiosô abundat, & undequaque deformis apparet. Roſa, ùt aliunde conſtat, Symbolum eſt Sanctiſſimi Roſarij. Et hanc roſam ô quoties contingit carpi ore venenoſo, & impurìs labiìs peccatorum, sicque in ſignum ſupremi dominij offerri tum Divinæ Majeſtati, tum Auguſtiſſimæ Mariani Pſalterij Reginæ! Aſt diſplicet hoc munus in oculis Dei, diſplicet in oculis Dominæ cœlorum, quia, utut floſculus arridet, éſtque acceptiſſimus, ita perſona offerens nauſeam creat, & abominationem cauſat. *Peccatori autem dixit Deus*, inquit coronatus Propheta: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retorsùm?* Et ipſe Salvator ad S. Brigittam: *Hominum, qui delectantur in carnalibus, & terrenis deliciis, oratio eſt quaſi ſonus lapidum colliſorum, & proiicietur à conſpectu Dei abominabiliter tanquam abortivus, & immundus pannus menſtruatæ.*

Applicatio

Pſalm. 49.

Revel. S. Brigitt. L. 5.

N. 5. Et benè. Quomodò enim omnipotens Deus audiet orationem illius, qui illius præcepta in operatione contemnit? Utique dignum eſt, ut ab ejus beneficijs quisque ſit extraneus, cujus juſſionibus non vult eſſe ſubjectus? quid prodeſt ore benedicere Deo, vitâ autem, & operibûs maledicere? Priùs dilectus Sponſus ſuæ Dilectæ dixit: *Oſtende mihi faciem tuam.* Deinde verò: *Sonet vox tua in auribus meis.* Quia priùs faciem, quæ conſcientiam indigitat, juxta illud: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*, id eſt, conſcientiam tuam, conſiderat piiſſimus Redemptor,

Cant. 2.

Pſalm. 49.

poſteà autem, ſi facies appareat decora, geſtit & audire vocem amantis Sponſæ. Secùs autem orantes haud diſſimiles videntur

Hiſtor. furi illi in Hiſtorijs notiſſimo, qui paſſim in Eccleſijs famoſum egit in vita ſua manticularium. Juſſerat hic ſibi fieri duas manus ligneas ſimul junctas, quas chirotecis veſtiens, dum templum aliquod ſolebat ingredi, appoſitè ad ſcamnum, in quo orare ſe ſimulabat, applicare noverat: Intereà autem manibûs propriîs marſupia, & loculos eorum, qui ipſi proximi aderant in ſcamno, tam aſtutè evacuare, & ſpoliare ſciverat, ut ne umbra alicujus malæ ſuſpicionis, aut longiſsimæ furti opinionis in ipſum caderet, imò

Applicatio. omnibus & ſingulis quaſi ſanctus, & devotiſsimus apparebat. Huic famoſo furi haud dubiè plurimi ex Fratribus, & Sororibus Sanctiſſimi Roſarij erunt ſimiles. Cum alijs ad Eccleſiam conveniunt, interſunt cœtibus Mariani Pſalterij, exteriùs omnem pietatis ſpeciem præſeferunt, omni apparenti devotione, confictâ reverentiâ, junctîs manibûs preces Roſarij cum reliquis ſe orare ſimulant: At intrinſecè omni pietatis ſenſu carent, pleni ſunt peccatîs, & abominationibûs, labiîs ſuîs Deum honorant, cor autem eorum longè eſt ab illo, quem adorare ſeſe fingunt, interna penitùs reverentia, & puritas animæ deeſt.

N. 6. Et non raró etiam id, quod attinet ad externam corporis condecentiam: Nullus quidem negabit, ad hoc, ut oratio ſit devota, per ſe, & neceſſariò nec ullum certum corporis ſitum, nec locum determinatum eſſe de requiſitis eſſentialibus; ſiquidem & in omni loco, & in omni corporis habitu Deus honorari poteſt

S.Chryſoſt. Hom. 4. de Anna. ab homine. Unde ſic S. Chryſoſtomus: *Etiamſi nec genua flectas, nec manus ad Deum tendas, ſi mentem ſolùm afferas fervidam, nihil tibi ad abſolutam precationem deerit. Licet enim mulieri colum tenenti, aut telam texenti ſuſpicere in cœlum, ac ardenti pectore Deum invocare: Licet etiam viro in foro verſanti, aut iter facienti ardenter precari; alteri itidem in officina ſedenti, ac coria ſuenti, animum ad Deum erigere: Licet ſervo ſursùm, & deorsùm curſitanti, vel in culina miniſtranti, ſi non adire Eccleſiam commodè poteſt, precationem ex imo pectore ciere. Non pudet loci Deum.* Qui idem Sanctus Præſul, dum à non nemine ipſi quæſtio proponebatur: *Quî fieri poteſt, ut homo ſæcularibus, & forenſibus negotiis affixus ſæpiùs de die precetur, & ad Eccleſiam currat?* ſic reſpondet: *Poteſt, & facilè eſt. Licèt enim ad Eccle-*

ſiam

ſiam currere non ſit commodum, poteſt inibi, foro, curiæque veſtibulo inhærens precari. Ad hoc enim mente magis opùs eſt, quàm voce, animi contentione magis, quàm manuum extenſione. Nec tam refert, quo corporis habitu id facias, quàm quo animæ affectu. Unde varios variè (& tamen meritoriè) in Scriptura oráſſe legimus. Sic caſtam Suſannam oráſſe novimus in via, dum jamjam ducebatur ad mortem. Sic David ſedens clamavit, & precatus eſt ad Dominum, atteſtante S. Textu: *Ingreſſus eſt ergo David, & ſedit coram Domino, & dixit: Quis ego ſum, Domine?* Sic ſtans, & erectus corpore orabat Publicanus. *Publicanus autem de longè ſtabat.* Sic Ezechias orat decumbens in lecto. Sic Jonas orationes ſuas continuavit in ventre ceti. Sic clamans clamavit ad Deum cœli Job in ſterquilinio. Sic jacens omni nocte preces ſuas fudit Regius Pſaltes; ſecùs enim, teſte S. Eucherio, non dixiſſet in Pſalmis: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymîs ſtratum meum rigabo.* Unde concludit S. Ephrem: Sive in Eccleſia fueris, ſive domi tuæ, ſive in agro, ſi oves paſcas, & ſi ædificia conſtruas, & ſi in ſympoſio verſeris, ab oratione, cave, ne deſiſtas. Et quandocunque poteris, genua flecte: Quando non potueris, mente Deum invoca, & veſpere, & manè, & meridie.

Dan. 13. 2. Reg. 7. Luc. 18. 4. Reg. 20. Jon. 2. Job. 2. S. Eucher. in Coment. in L. 2. Reg Pſalm. 6. S. Ephrem. de Orat.

N. 7. Ex quibus verbis colligitur, quòd, etſi ubique, & quocunque in corporis ſitu ſalubriter oretur, multùm tamen ad majorem devotionem orationis ſive Eccleſia, ſive genuflexio, aliique pij ritus, ſi tempus, & occaſio ſubſit, conducant. Quoad locum Eccleſiæ id jam dudùm indicavit purpuratus noſter Hugo ſeqnentibûs verbîs: Notandum, quòd locus ſacratus Deo, & benedictus aptior, & utilior ſit ad orandum. Primò: Quia ibi magìs excitatur devotio, & ferventior ſit oratio. Item Benedictio Epiſcopalis, & oratio ejus majorem efficaciam confert precibus ad impetrandum; quia aſſociantur precibus Eccleſiæ univerſalis. Item, quia Dominus domum ſibi dicatam, & habitantes, & pſallentes in ea quadam ſpeciali gratia cuſtodit, & viſitat. Cui conſentiens Gerſon inquit: Et Deo placentius, & fructuoſius eſt regulariter, orare in templis, & locis ſibi dicatis, quàm in alijs. Ratio eſt: Quia valor orationum ibi factarum cumulatur ex oratione generali, & loci majeſtate, ex qua fit devotionis major incitatio. Prop
tereà non abſque grandi ratione ſedula Patrum noſtrorum

Hugo. Char. in c. 4. Jo. Gerſon.

ſtrorum Religio particularia oratoria vetabat. Tale exemplum, quod ſequamur, ipſe Unigenitus Dei Filius nobis præmonſtravit, de quo teſtatur S. Marcus: *Et introivit Jeroſolymam in templum.* Non aliam ob cauſam (annotat Venerabilis Beda hîc) niſi ut, cùm fortè villam, aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo ſit domus orationis Deo conſecrata, intramus, primo ad hanc divertamus, & poſtquàm nos Domino per orationum ſtudia commendaverimus, ſic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia ſecedamus.

Marc. 11. *Ven. Beda.*

N. 8. Quod attinet ad alia devotionis ſigna, quæ orationes noſtras magìs meritorias reddunt, primum eſt reverentialis genuum inflexio, quam itidem exemplô ſuô nos docuit clementiſſimus Salvator, qui in agonia poſitus, & in monte Oliveti ultimò oraturus genibûs flexîs procidit in faciem ſuam, & ter oravit, ut, ſi poſſibile foret, calix amariſſimus ab eo tranſiret. Idipſum docent nos tres Magi, qui ingreſſi in ſtabulum Bethlemiticum, & invenientes Jeſum infantem cum Maria Matre ejus, procidentes adoraverunt eum, ſuáque illi obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham. Simile quid legimus de potentiſſimo Rege Salomone, de quo dicitur: *Utrumque genu in terram fixerat.* Unde Cornelius à Lapide ſic infert: Notent hoc Nobiles delicatuli (idem inculcatur tepidis plebeis) qui orant uno genu in terram fixo, altero elevato, aut quibus omninò durum videtur, genibûs flexîs orare. Chriſtus Rex Regum, tres Magi, Salomon Monarcha magnificentiſſimus orans utrumque genu flectit, & hoc geſtu ſupplex perſtitit toto tempore prolixæ orationis ſuæ. Et nos viles homunculi dedignabimur utrumque genu flectere? An non terreat nos illud, quod noſter S. Vincentius Ferrerius narrat? Romæ in Eccleſia, dum elevaretur Corpus Chriſti, quidam juvenis noluit flectere genua, cui diabolus viſibilis dedit alapam, dîcens: O proditor Chriſtiane, pro quo tantum fecit Chriſtus! Si feciſſet centeſimam partem pro nobis eorum, quæ fecit pro vobis, nocte, & die ſervîſſemus ei genibûs flexîs. Devotiſſimi hoc in puncto Fratres Roſarij erant S. Carolus Borromæus, & Illuſtriſſimus Dux Franciſcus Guiſius. De primo conſtat, quòd, ſicut erat cultui Mariano addictiſſimus, ita in dies flexîs humillimè genibûs Roſarium recitaverit, nunquam ſomnum captans, & quieti ſe concedens, niſi conſuetas has ſuas Marianas exercitati-ones

Matth. 2. *3. Reg. 8.* *Cornel. à Lap.* *S. Vincent. Ferrer. Serm. 6. D. 16. poſt Pentec.*

ones perſolviſſet. Si fortè erat ſive pedeſter, ſive equo inſidens, in itinere conſtitutus, dum conſueta Salutationis Angelicæ ſigna pulſabantur, non morabatur, aut de equo deſcendere, aut in via utcunque lutulenta in genua ſua procumbere, & cum Angelo flexo poplite Mariam Virginem ſalutare. De ſecundo refert Navarrus, quòd, dum urbem Mediomatricem à fortiſſimo hoſtili exercitu obſeſſam defendiſſet, quolibet die ſub aurora è ſtrato ſurgens, genuáque flectens tantâ fiduciâ, & reverentiâ ante quæcunque alia ſui ardui officij negotia recitârit tertiam partem noſtri Pſalterij, ut ob nullum ſtrepitum bellicum, aut ullas rerum aliarum gerendarum curas ab hoc ſuo pio exercitio avocari potuerit. *Navarr. Miſcell. 28.*

Genuflexionem alius pius orandi ritus ſubſequitur, nempe elevatio in cœlum utriusque manûs, quæ quàm grata ſit omnipotenti Deo, ipſa Sacra Pagina indicat. Dum enim ſtrenuus Bellidux Joſue in acie ſtabat contra Amalec, Moyſes cum fratre ſuo aſcendit ſuper verticem collis, intereà, dum prælium utrinque ferveret, oraturus Dominum, ut confortaretur populus Dei Iſraël, & victor evaderet de hoſtibus ſuis. Non ſatìs autem erat Moyſi devotiſſimè orare, ſed inſuper, ut vis impetrandi major accederet precibus ſuis, utramque manum ſuam ad cœlum levabat, Deo hunc pium orandi ritum copioſiſſimè remunerante. Obſervatum quippe fuit, quòd, quoties Vir Dei Moyſes manus ſurſùm elevabat, toties adversùs Amalecitas prævaluit Joſue: Si verò Moyſes ſeniô, & viribûs confectus, ac exhauſtus ſubinde deciduas manus dilabi ſinebat, toties prælij victoria ad Amalecitas inclinabat: *Cúmque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: Sin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec*, ait Sacer Textus. Simile quid legitur de Salomone, qui, poſtquàm templum permagnificum ædificaverat Deo ſuo, & congregâſſet in eo omnem populum, *flexîs genibûs & palmîs in cœlum levatîs* Rex cœpit orare ad Dominum, quatenùs gratioſè dignaretur templum hoc noviter exſtructum inhabitare, precésque ſervorum ſuorum, qui hoc templum ingreſſi fuerint, benevolè exaudire. Nec fruſtra! Oratio enim Salomonis adeò erat efficax, ut mox Majeſtas Domini impleverit domum, ignísque deſcenderit de cœlo, quod ſignum erat orationis exauditæ. Unde omnes filij Iſraël hoc videntes corruerunt in terram ſuper pavimentum ſtratum lapide:

N. 9. *Exod. 17.* *2. Paralip. 6.*

Adoraverunt, & laudaverunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Admonitos igitur & vos, ô Roſa- riani! volo cum Divo Apoſtolo Paulo: *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* *1. Tim. 2.*

N. 10. Tertius, qui devotionem auget, pius orandi modus conſiſtit in eo, ut, quoties dulciſſima Nomina *Jeſus, & Maria* in oratione pronuntiantur, ſi non ad primum reverentialis genuflexio, ſaltem ad utrumque fiat modeſta capitis inclinatio. De Nomine Jeſu enim præcepit Apoſtolus: *In Nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtim, terreſtrium, ac infernorum.* Cui conformiter Gregorius X. Summus Pontifex mandavit univerſis Chriſti fidelibus, ut, cùm ſublime illud Nomen JEſus pronuntiatur, omnes illud venerentur, ſinguli flectant genua, vel ſaltem capitis inclinatione ſuam venerationem conteſtentur. Poſt Sanctiſſimum Nomen *Jeſu* nullum eſt aliud nomen ſanctius, illuſtrius, dulcius, efficacius, & excellentius, quàm Nomen *Mariæ.* Unde aliqui arbitrantur, Gabrielem, ubi primùm allocutus eſt Virginem, non dixiſſe: Ave Maria; ſed *Ave gratiâ plena.* Quia nimirum non eſt auſus præ reverentia Nomen Virginis, utpotè ineffabile, efferre. Unde, quemadmodùm nulli hominum præ reverentia Sanctiſſimum Nomen Jeſu imponitur, ita, teſte noſtro Michovienſi, apud Polonos nulli unquam fœminæ pro devotionis monumento Mariæ Nomen datur. Communiter autem apud omnes nationes, præcipuè apud Fratres, & Sorores Sanctiſſimi Roſarij mos obtinuit, ut, quoties Nomen Mariæ vel ipſi pronuntiant, vel ab alijs pronuntiari audiunt, devotè inclinent capita ſua, ſícque venerentur magnum hoc Nomen, ipſis quoque Angelis, & Cœlicolis perquàm honorificum. Sicut Annô 1431. Treviris in viſione quadam oſtenſum fuit cuidam ſanctæ vitæ Carthuſiano, qui, dum quadam die devotiſſimè recitabat Roſarium, vidit & ipſos Angelos, cæteróſque cœli cives cantare Roſarium cum meditationibus cunctorum Myſteriorum, adeò quidem, ut ad dulciſſimum Nomen Mariæ ſemper profundè inclinabant capita ſua, ad Nomen verò Jeſu, ea, qua decebat, veneratione flecterent utrumque genu ſuum.

Philipp. 2. *Cap. Decret. de Immunit. Eccleſ. L. 6.* *Luc. 1.* *Michov. ſuper Lyt. Lauret. Diſc. 83.*

N. 11. Quartam devotè orandi formam præſcribit Propheta Habacuc hîs verbîs: *Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus univerſa terra.* In templo, præſertim tempore orationis, ait S. Baſi- *Habacuc. 2*

Baſilius, adſunt Sancti Angeli, & annotant omnia verba oranti- *S. Baſil. in*
um: Adeſt & Dominus cœli, conſiderans cunctos affectus in- *Pſalm. 28.*
trantium. Quomodò ergo homo inter orandum præſumat vanos miſcere ſermones cum alijs? Quis eſt homo, quærit S. Auguſtinus, qui hoc ferat, ut, ſi amicus quidam ei cœperit loqui, & *S. Auguſt.*
paulò poſt iterùm interrumpat locutionem, imò ei, cum quo loqui *in Pſalm.*
cœpit, terga vertat, & ad alium convertatur eo ipſo momento, *85.*
quo alter collocutioni reſpondere parat, ut, inquam, tali inurbanitati non iraſcatur, ſuíque vilipenſionem non advertat? Omnes orantes loquuntur cum Deo, Deiparáque Virgine Maria; &, ô quoties! vix cœperunt loqui, & iterùm rumpunt ſuas orationes, vertunt terga Deo, ejúsque Sanctiſſimæ Deiparæ, convertuntur ad aſſidentes, vel aſtantes, garriunt, rident, nugantur, & collocutiones divinas ſpontè, & malitiosè interturbant, quaſi vilipendentes, & contemnentes illos, quos allocuturi ad Eccleſiam venerunt. Et quis hoc ferat? quid ad hæc ſentient Rex Regum, & Regina cœlorum? nónne ſcriptum eſt: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, non verò, addit S. Baſilius, longos, & alienos *Pſalm. 28.*
protrahant ſermones, non nova, ſcurrilia, & probroſa verba tra- *S. Baſil.*
ctent? De antiquis teſtatur Cornelius à Lapide, quòd in magno, *Cornel. à*
& quaſi in inexplicabili numero convenerint ad ſuas Solemnitates, *Lap.*
ita, ut ſoli Sacerdotes, & Levitæ plerumque ſeptingenti numerarentur. Principalis omnium ſolicitudo, prout tunc moris erat, conſiſtebat in offerendis ſacrificijs. Alij victimas mactabant, alij excoriabant, alij ſecabant, alij inteſtina lavabant, & tamen tantum inter omnes ſilentium obſervabatur, tanta reverentia ſingulis cordi erat, ut nec verbum loquerentur. De ipſis ranis teſtatur S. Ambroſius, quòd olim penès Eccleſiam garrulitate ſua o- *S. Ambroſ.*
rantes turbârint; quamprimùm autem ſacerdos illis ſilentium *L. 3. de*
impoſuit, & ſacro loco, piiſque fidelium exercitijs reverentiam *Virg.*
exhibere juſſit, mox altum tenuêre ſilentium. Et dum animal irrationale reverentiam loco, & orationi debitam cognoſcit, quam tamen per naturam ignorat, homo rationalis omnis reverentiæ obliviſcitur, quæ toties ipſi inculcatur, & ab ipſo lumine naturali dictatur. Planè multa tunc peccata committebantur in Jeruſalem, dum Chriſtus Jeſus prædicationis ſuæ officiô perfungebatur, quæ peccata fusè enumerari poſſent; & tamen nunquam legitur mitiſſimus Jeſus fuiſſe irâtus, aut flagellìs factìs aggreſ- *Joan. 2.*

ſus

S. Vincent. Ferrer. Dom. 10. poſt. Trin.

ſus malè facientes, niſi dum invenit vana in templo tractantes. Nota igitur, ait S. Vincentius Ferrerius, quàm diſpliceat Deo irreverentia in templis.

Hiſtoria.

S. Chryſoſt.

NOn ſinè cauſa foribus templorum, teſte S. Chryſoſtomo, olim inſcriptum erat: *Silentium.* Domum enim Dei decet ſanctitudo, & in oratorio nihil fieri convenit, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit. Hujus rei fidem facit Venerabilis quidam Eccleſiæ Teletanæ Subdiaconus, qui filiali ſemper affectu ferebatur in glorioſam Dei Genitricem Mariam. Hic quippe, dum quadam die ſuo Archiepiſcopo Miſſarum Solemnia celebranti ad Altare inſerviebat, attonitus vidit horrendum dæmonem in forma ſimiæ ad ſummam Eccleſiæ feneſtram aſſidere, qui ex collo pendulum habebat atramentarium, in manu ſiniſtra chartam puriſſimam de pergamento, in dextera verò calamum, quo adnotabat, quidquid inferiùs in Eccleſia irreverentiæ committebatur à fidelibus. Varia annotanda occurrerunt, prout varij varias corporis, animíque ſub orationibus admittebant levitates. Inter alios autem magìs irreverentes præcipuè duæ aderant mulieres, quæ protervo riſu, prolixo garritu, aliíſque incompoſitîs nugîs templum dehonorabant, adeò, ut diabolus omnia annotandô ultimatim in charta non inveniret locum pro ulterioribus ſuis notatis. Dum ergo vî dentium ſuorum conabatur chartam eo modo, quo ſutores frequenter corium diſtendunt, extenuare, & protendere, caſu capite ſuo impegit ad parietem, & ſubitò cadens ex pavimento, cui inſidebat, ſingula ſua ſcripta ex manu ſua dimiſit in terram. Hæc conſpiciens Subdiaconus, reíque ſuper novitatem attonitus mox relictô ſervitiô Altaris cucurrit ad locum, ubi dilapſa de manu dæmonis annotata jacebant, eáque tartareo ſcribæ eripere conatus eſt. Derepentè in templo inſperatus excitabatur tumultus, quia nemo viderat, quæ vidit Subdiaconus, & cuncti cauſam indagabant hujus inſoliti de Altari receſsûs, & incongrui, ùt judicabant, per Eccleſiam curſûs Venerabilis Subdiaconi. Ipſe Archiepiſcopus ſuper hunc, ùt credebat, actum perquàm populo ſcandaloſum, & præ-

primis

primis Clericô indignum valdè iratus, quamprimùm Miſſarum Solemnia finivit, præallegatum Subdiaconum à ſua Eccleſia abdicatum declaravit, & ex integra ſua Diœceſi, utpotè infamem Altaris Miniſtrum, exeſſe voluit. In hac ſua extrema afflictione innoces Clericus, quid ageret, neſcius, ad Mariam, tanquam communem afflictorum Conſolatricem, confugit, multis ſuſpiriis dulciſſimæ Matri ſuæ conqueritur neceſſitates ſuas, ſtatimque voti ſui damnatus meruit à glorioſa cœlorum Regina duplici alia viſione beari. Adeſt Beata Virgo, conſolatur amicabiliter Clericum ſuum, porrigit ei chartam cum omnibus notatis, quam priùs, eſto fruſtra, diabolo eripere attentârat, deditque mandatum, ut ſinè mora Archiepiſcopum accederet, innocentiam ſuam ei aperiret, totámque rei geſtæ ſeriem fideliter indicaret. Paruit cœleſti Matri obediens filius, venit ad Archiepiſcopum, obtulit illi chartam cum notatis ſtygijs, advocantur præfatæ duæ mulieres; examinantur de ijs, quæ in Eccleſia egerant, tractârant, & diſcurrerant, concordant ſingula illis, quæ à diabolo in charta annotata fuerunt, Subdiaconus denuô in ſuum miniſterium reſtituitur, & ubique per diœceſim Toletanam ſummus in poſterum honos ſacris templis haberi cœpit. Ex Vincentio Bellovac. P. Pelbartus de Temeswar in Stellario B. Virg. L. 1. p. 4. a. 2.

SERMO QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten.

THEMA.

Orate autem, ne fiat fuga veſtra in hyeme. Matth. 24.

Roſarium cum attentione dicendum eſt; diſtractiones autem ſunt valdè pernicioſæ.

N. 1. *Job. 9.* VItam hominis continuum eſſe curſum, atteſtatur Job: *Dies mei velociores fuerunt curſore.* Et enim, utut curſor celeriter agat viam ſuam, aliquantulum tamen temporis, ut in dormiendo, & ſe refocillando conſumat, neceſſe eſt: Dies autem hominis velociter currentes nullam unquam patiuntur moram. Aves aliquando à volatu ceſſant, cervi in ſuo præpropero motu laſſantur; vita verò hominis, in perpetuo fluxu poſita, nunquam moveri deſinit. Unde vita humana à S. Gregorio comparatur naviganti: Quemadmodùm enim, qui navigat, quidquid operetur in navi, ſive erectus ſtet, ſive ſedeat, ſive jaceat, irrequietè movetur, quò impulſu remigij ducitur; ita & homo, ſive vigilans, ſive dormiens, ſive tacens, ſive loquens, ſive laborans, ſive otioſus, ſive volens, ſive nolens per momenta temporum quotidie tendit ad finem ſuum. Et quidem non duntaxat ſimpliciter homo aſſimilatur naviganti, ſed, ut major ſit emphaſis, hominem navi pomìs onuſtæ ſimilem declarat Huſſitarum

S. Gregor. Epiſt. L. 6. Epiſt. 26. Simile.

ſitarum Princeps hìs Verbîs: *Dies mei pertranſiêrunt, quaſi naves poma portantes.* Æquè enim, ac naves ejusmodi ea, qua poſſunt, celeritate maxima propellunter, ne poma, quæ portant, ſalſedine maris infecta putreſcant, & citiùs, quàm ad portum pertingunt, corrumpantur; ſic & vita hominis præter omnem ſenſum, & exſpectationem velociſſimè dilabi ſolet. Exempli gratiâ: Si hodie adoleſcentem videas corpore validum, pubeſcentis ætatis viriditate florentem, facie formoſum, in omni motu magnoperè vegetum, cras idem ipſe facie, & ore mutatus tibi apparet, corpore debilis, vultu deformis, totus marceſcens, utpotè levi aliqua infirmitate penitùs deturpatus. Qui dudùm infans, ſubitò puer; qui puer, repentè juvenis; qui nunc juvenis, illicò vir, qui vir, protinùs ſenex; & ita per ſpatia mutatur temporum, ut ante ſeſe ſenem eſſe intelligat, quàm putet, ſe deſiiſſe eſſe juvenem. Imò ſæpè canos videmus, antequàm capilli ſuum ex integro ſumpſerunt incrementum, & à primo ortu ſuo ad finem properat nativitas. Hinc S. Hieronymus: Sentisne, obſecro, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robuſtæ ætatis vir, quando ſenex effectus ſis? Quotidie morimur, quotidie commutamur; dum ſcribo, dum lego, de vita mea tollitur pars; quot puncta notavi, tot meorum damna ſunt temporum. Hunc in finem adhortatur nos hodie Salvator: *Orate, ne fuga veſtra fiat in hyeme*, id eſt, explanat S. Hieronymus, ne in celeri vitæ curſu frigeſcat charitas veſtra, & frigeſcentes deficiatis in via tunc, quando ſtrenuè currere exiſtimatis. Sicut enim in hyeme frigus, glacies, & nix terram germine, arbores ſuo virore, hortos ſuîs floribûs, agros ſuîs fructibûs privant, ſimúlque vias, dum lutulentas reddunt, ineptas ad fugam faciunt; ita frigus animæ conſumit, & peſſumdat omnem nitorem interni hominis, auffert flores, & fructus bonorum operum, viásque peregrinationis humanæ prorsûs inhabiles conſtituit ad curſum in vitam æternam. Eſt autem frigus animæ nihil aliud, quàm negligentia quædam, torpor, & acedia, qua piger vult, & non vult attendere ad cultum Deo debitum: Credit ſe indefeſsè currere ad finem ſuum, & non advertit ſe in curſu ſuo turpiter deficere: Frequentat Eccleſias, multiplicat preces, devotiſſimus ſibi videtur in pijs ſacratiſſimi Roſarij exercitijs; cuncta tamen ita ſegniter, & remiſsè, ita pigrè, & frigidè, adeò diſtracter, & ſomnolenter

Job. 9.

S. Hieron. Epiſt. 3. ad Heliodor.

Simile.

peragit, ut absque dubio frequenter hîs ſuîs tepidîs orationibûs plùs Deum ſuum offendat, quàm laudet, plus demeriti, quàm meriti ſibi accumulet in diem Domini. Unde dicit hodie Chriſtus: *Orate, ne fuga veſtra fiat in hyeme*, id eſt, ut vita veſtra non decurrat in tepiditate, & negligentia, ut bona opera, & orationes veſtræ non fiant diſtracter, & ſomnolenter. Occaſione hujus dicam hodie, & quomodò Roſarium noſtrum dicendum ſit cum attentione, & quàm nocivæ ſint voluntariæ diſtractiones.

N. 2. Commune inter Veteres, illúdque ſaluberrimum erat moni-
Jerem. 48. tum: *Agenda benè age.* Quod concordabat dicto Prophetico: *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter*, alij legunt, *negligenter.* Hoc inprimìs in oratione Mariani Pſalterij eſt obſervandum, ut, dum in ea laudamus, & precamur Beatam Virginem cum Filio, id rectè, & cum devota attentione faciamus, non linguam duntaxat, & vocem extollentes, ſed animum ſimul, & cor ardenter ad Deum elevantes. Quod ipſum nobis indicare voluit benigniſſimum Numen, cui, ùt legimus, non placuit alium Angelum ſeligere ad ſalutandam primitùs Beatam Virginem Ma-
Luc. 1. riam, quàm Archangelum Gabrielem: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.* Milleni, & milleni numerantur Angeli in cœlo, prout decet Divinam, & Summam Majeſtatem habere plurimos Ordines, & innumeram multitudinem ſibi miniſtrantium, & famulan-
Dan. 7. tium ſervorum. Unde Daniel vidit millia millium miniſtrâſſe ei, & decies centena millia adſtitiſſe ei. Idipſum teſtatur Sanctus
Apoc. 5. Joannes: *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium*, id eſt, inexplicabilis. Et ex tota hac Angelorum multitudine quilibet juxta diverſitatem ſui officij diverſo gaudet
S. Gregor. nomine; quia, teſte S. Gregorio, Angelus nomen officij eſt, non naturæ. Michaël idem eſt, ac *Quis ut Deus;* Raphaël idem ſonat, ac *Medicina Dei;* & ſic de ſingulis Angelis ſive ſuperioribus, ſive inferioribus. Mirabile autem videtur, ut, dum unus Angelorum deputatur ad annuntiandam Unigeniti Dei Filij incarnationem, non alius deputatus fuerit, quàm Archangelus Gabriel? Fortè non inconveniens fuiſſet unus de Seraphim, quia, ſicut hi inter Angelos, ita Maria inter homines charitate ſuper omnes eminebat? fortè unus Cherubinorum huic miniſterio magìs inſervire

potu-

potuiſſet, quia æquè, ac Cherubini ſcientiâ pollent, ita Maria theſaurîs ſapientiæ, & ſcientiæ Dei fuit repleta? fortè officium ſalutationis nulli aptiùs, quàm uni Thronorum potuiſſet comiti, quia in hac ſalutatione Maria conſtituta fuit thronus altiſſimi Dei Filij? Et ſic de cæteris angelorum Choris. Omnibûs autem reliquîs prætermiſsîs nulli alteri, quàm Archangelo Gabrieli legatio hæc cœleſtis concredita fuit. Quare hoc? Ideò: Gabriel *Fortitudo Dei* interpretatur; hinc nullus alius ſalutandæ Virgini Mariæ magìs erat idoneus, ut ſcilicet omnes poſteriores, qui in ſequentibus ſæculis Mariam ſalutare cogitarent, edocerentur, id præſtare non tepidè, non diſtracter, non ſolùm labiorum motibus, voce, & ore, ſed fortiter, inſtanter, attenter, animum ſimul, & cor ſursùm erigendô, mentem ori, & affectus internos linguæ, conformandô. Secùs verificatur illud;

Dum cor non orat, in vanum lingua laborat.

Simile quid in figura nobis exhibetur in Sacra Scriptura. Rex David in ſuo libro Pſalmorum, ubi compoſuit Pſalmum in ordine quadrageſimum quartum, materiam, & argumentum aſſumpſit non allegoricum, ſed hiſtoricum, ùt communiter ſentiunt noſtri Expoſitores, quibus non diſſentiunt etiam Rabbini, prævidens in ſpiritu Prophetico Chriſtum in Myſterijs Vitæ: Paſſionis, & Gloriæ tanquam Sponſum, Mariam Virginem verò tanquam Sponſam, prævìè concipere conabatur Divino Sponſo, Virgineæque Sponſæ Epithalamium, ſeu Poëma aliquod nuptiale. Unde Sponſum inprimìs ſub gaudioſis Vitæ Myſterijs ſic alloquitur: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Advertendô ad Myſteria *Pſalm. 44.*
doloroſa Chriſtum adhortatur ad fortem tolerantiam Paſſionis, hoc modo: *Accingere gladiô tuô ſuper femur tuum, potentiſſime.* Tertiò: Contemplandô æterni Patris Filium in Myſterijs glorioſis exclamavit: *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi, virga directionis, virga regni tui.* A conſideratione cœleſtis Sponſi David oculos ſuos convertit ad intuendam Virgineam Sponſam, id eſt, ad Mariam præcipuè in Roſario, & addidit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate,* puta, circumdata diverſicolori amictu, exornata variîs coloribûs, & floribûs, quos pro diverſitate Myſteriorum diverſos repræſentat Ma-

rianum Pſalterium. Imò, ùt clariùs David explicaret mentem ſuam, quòd ſcilicet in Pſalmo quadrageſimo quarto propriiſſimè loqueretur de Chriſto, & Maria in Roſario, Pſalmum hunc intitulavit hebraicè: *Soſannim;* quod latinè idem ſonat, ac *Pro liliis, & roſis.* Et hunc in finem (audite, & obſtupeſcite, Sodales Mariani) qua mentis contentione, qua virium conniſu, qua attentionis energia David præallegatum Pſalmum inchoaverit, & orare cœperit: *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Non ait: *Oravi.* Non ait: *Os meum annuntiavit laudem Regi, & Reginæ cœleſti.* Non ait: *Verbum egreſſum eſt de ore meo.* Sed emphaſim addit: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Id eſt: Hoc Canticum prolatum eſt de intimo cordis mei cum ſummo impetu, cum valido conniſu, cum omni poſſibili vehementia, & energia. Si ergo David tantum fervorem concepit, totum quaſi cor, & animum impendit, nullæ ſuæ diligentiæ, nullis viribus pepercit in dicendo Pſalmo quadrageſimo quarto, qui ſolummodò figura, & Symbolum erat Sacratiſſimi noſtri Roſarij, vos ipſi judicate, Fratres, & Sorores Mariani Pſalteri! quo animi ardore, qua mentis attentione, quo conanime, & devotione conveniat, nos orare Roſarium, nos laudare in Pſalterio noſtro Chriſtum, & dilectam Matrem ejus, nos meditari Sanctiſſima Myſteria Vitæ, Paſſionis, & Gloriæ Chriſti? Nos non ampliùs in figuris intelligimus, non ampliùs in umbra vivimus, ſed oculîs noſtrîs jam omnia completa cernimus. Lux autem indubiè magìs accendit, quàm umbra, veritas plùs movet, quàm figura, Rex præſens validiùs rapit affectum, quàm imago illius.

N. 3. Sed, ô quanta in pluribus Roſarianis eſt ſocordia! quanta negligentia! quanta in omni fermè oratione tepiditas! Planè meliori jure ſuas, quas jam dudùm contra Judæos protulit querelas, denuò contra Chriſtianos renovare poſſet pientiſſimus Deus: *Populus hic labiîs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* (Iſa. 29.) Alij quidem orant voce, & ore; cor autem eorum aut cum filio prodigo abit in regionem longinquam, ad loca etiam remotiſſima, ad æquora, & Horizontes, prout diverſis diverſæ ſunt negotiationes; ita diversîs, dum orant externè, agitantur intrinſecè cogitationibûs, curîs, & machinamentîs. Hic abit ad probanda quinque juga boum, quæ emit; alius ad videndam villam ſuam

ST. ALBERT'S COLLE

ſuam, ad luſtrandos hortos, ad inviſendos agros, & nemora, quæ poſſidet; tertius, utcunque corpore eſt in Eccleſia, cor, & mentem ſuam domi habet apud uxorem, quam duxit, apud domeſticos, & negotia œconomica. Prout enim quemlibet affectus, & inclinatio ſua abripit, ita ſenſus, & cogitationes ſuas occupat. De Sancto Antonio Paduano legimus, quod olim illud Chriſti Domini effatum: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit;* ſtupendô comprobârit experimentô. Cùm enim in morte divitis uſurarij habenda fuiſſet oratio funebris, Vir Dei publicè edixit, cor hujus divitis nequaquam ſuo cum cadavere ſepultum jacere in ſarcophago, ſed adhuc domi remanſiſſe ibi, ubi avarus in vita ſua apud pecunias, & theſauros illud ſemper repoſitum cuſtodire voluit. Eventus veritatem probavit, ubi cordis veſtigium nullum in cadavere, totum verò cor defuncti domi inventum fuit inter pecunias. Si ſimilis inquiſitio cordium, & affectuum eorum, qui orant, hodie inſtitueretur, ô quàm in diverſis, in quàm diſſitis, in quàm inſolitis locis ſingulorum corda, & affectus conquirere neceſſe foret! Cor ruſticorum à potiori non alibi invenire foret, niſi vel in agro, ubi meſſis, & agricultura, vel in vinea, ubi vites, & botri, vel in ſtabulo, ubi boves, & oves ſunt recluſæ. Cor ancillarum inveſtigandum foret nunc in culina ad præparandos cibos, nunc in cella vinaria, nunc in penu, nunc in foro, nunc in alijs angulis, quos amant illi, qui oderunt lucem. Corda uxorum, & mulierum nobilium reperiri haud poſſent, niſi vel domi apud liberos ſuos, vel in ſcrinio apud veſtimenta, & amictum ſuum muliebrem, vel juxta ſpeculum pro inſpicienda, & exornanda formoſitate ſua. Corda virorum ſi quis indagare vellet, ſanè actum ageret, quia tam latè, quàm patet orbis terrarum, diſperſa ſunt, nunc pro emendis mercibus ultra mare, nunc in nundinis diverſorum regnorum, nunc ad cambia facienda ad Indos usque, & Perſas. Unde S. Auguſtinus: *Multi ſonant quidem voce; corde autem muti ſunt. Multi orant ore, & lingua; cor autem tacet, & neſcit, quid agatur in lingua.*

Matth. 6.

S. Auguſt.

N. 4. Qualis autem eſt iſta oratio? Cadaver eſt, apparenter repræſentat formam pulcherrimam, in ſe eſt corpus mortuum, fœtore & putredine repletum: Cibus eſt ſale non conditus, videtur arridere guſtui, guſtatum verò nauſeam parit, & provocat averſionem: Auricalchum eſt, quod exhibet ſimilitudinem auri, intrin-

ſecè

ſecè tamen omni virtute, & vigore caret: Arbor eſt ramîs, & foliîs exornatiſſima, omni tamen fructu penitùs privata: Fumus eſt, in altum quidem putatitiè aſcendens, ſubitò tamen in aëre denuò evaneſcens. Quis enim ex oratione pigra, ſomnolenta, & oſcitante fructus ſperandus eſt? Planè nullus, reſpondet Bellovacenſis: Non plùs quippe delectatur Deus in oratione vocali ſinè attentione mentali, quàm in garitu avium, vel in grunnitu porcorum. Quomodò námque Deus erit in medio tui, ſi tecum ipſe non fueris? Si deeſt ille, qui poſcit; quomodò aderit ille, qui poſcitur? quomodò ſuſcitabitur judex, ſi dormitaverit advocatus? quomodò audietur ab alio, qui ſeipſum, dum loquitur, non audit? Unde S. Bernardus nedum talem orationem ut inutilem rejicit, ſed inſuper ut peccaminoſam, Deóque injurioſam proclamat hîs verbîs: *Magnam injuriam Deo facio, cùm illum precor, ut precem meam audiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego verò nec mihi, nec illi intendo. Quod deterius eſt, inutilia, & immunda in corde verſandô fœtorem horribilem ejus aſpectibus ingero.* Quemadmodùm enim ille, qui coram Rege aſtans, & cum eo colloquens, à conſervo ſuo autem vocatus, Rege deſerto cum illo miſcet ſermones, maximæ reum ſe reddit impudentiæ, & criminis ægrè excuſabilis (ſignum quippe manifeſti contemptûs eſt, Regi tergum vertere, & perſonæ vili attendere) ita quoque culpam non evadit ille, qui culpabiles mentis evagationes ſub orationibus ſpontaneè admittit, & Deô, quem alloquitur, derelictô ultroneè ad viles creaturas convertitur.

Bellovac. Spec. mor. p. 10. diſt. 33.

S. Bernard L. de anim. c. 8.

N. 5. Ut igitur huic malo eò diligentiùs obvietur, quò omnibus orantibus eſt comunius, ſimúlque condignus jugiter in orationibus noſtris concipiatur fervor, omnes nos ſolicitè admonitos vult Eccleſiaſticus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Id eſt: Dum ad orationem te accingere paras, ſepone ante initium divinæ laudis negotia, & curas alienas; antequàm orare incipias, in quiete ſpirituali collige animum tuum, mentem pauliſper ad Deum transfer, & eleva, intentionem puram præmitte, Divinam Majeſtatem unicè in præcibus tuis laudandi, pro teſtare contra ſupervenientes diſtractiones, auxilium ſupernum invoca omni cum devotione laudes Marianas decantandi. Si enim quilibet terrenum allocuturus

Eccli. 18.

Princi-

Principem ſe gnaviter præparat, proponendáque maturè præco-
gitat, ne alioquin improvido ſermone, aut quovis alio incom-
poſito corporis geſtu herum ſuum offendat, & pro gratia illius
averſionem, aut odium incurrat; quantò magìs allaborandum,
& præcavendum nobis erit, ut absque incompetenti animi diſpo-
ſitione Divine Majeſtatis nos inferamus obtutibus, aut languidè,
frigidè, & cum nauſea ejus imploremus gratiam, & auxilium?
Unde Doctor mellifluus inquit: *Veniens ad Eccleſiam pone manum* *S.Bernard.*
tuam ſuper os tuum, & dic: Eſpectate hîc cogitationes malæ, in- *in Spec. Mo*
tentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem, ani- *nach.*
ma mea! intra in gaudium Domini tui, ut videas voluptatem Do-
mini, & viſites templum ſanctum ejus. Quod ſanctè obſervavit
Religioſus ille, quem S. Clymacus, ùt ipſe refert, cùm die qua- *S. Clymac.*
dam obſervaret eum attentiorem, & cæterìs devotiorem inter *in Scal. Pa-*
pſallendum, viderétque, quòd in principio Hymnorum vultus *radiſi grad*
ejus mutaretur, tamdiu à ſe non dimiſit, quamdiu cauſam hujus *18.*
ardentioris devotionis, & immutati vultûs ei non expoſuit Reli-
gioſus. Qui ergo reſpondit: Ego in principio Officij Divini cor,
& cogitationes meas ſoleo colligere, eisque ad me advocatis di-
co: *Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus coram Domi-* *Eccleſ. in*
no, qui fecit nos; quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem po- *Invitat. Di*
pulus ejus, & oves paſcuæ ejus. Idipſum ſibi profundè incordia- *vin. Offic.*
vit devotiſſimus Imperator Carolus V. qui ita ſeſe, dum orare
cœpit, parare, & diſponere ſategit, ut poſteà nullatenùs ullo ne-
gotio ſuum animum interturbari paſſus fuerit. Cùm enim ali-
quando, ùt teſtatur Joannes Rho, magni Regis Legatus per in- *Joan. Rho*
ternuntium urgeret, ut ad Imperatorem admitteretur, rémque *L. 3. c. 8.*
magni momenti ſe afferre reſpondiſſet, longè abfuit à pientiſſi-
mo Principe, ut preces ſuas pauliſper interrumpere voluerit, au-
résque præbere urgenti Legato, quin potiùs hoc dederit Chriſti-
ano Principe digniſſimum reſponſum: *Nec ego nunc-quidem levi-*
ter ſum occupatus, qui cum Deo ago. Ex his

Jam via pateſcit ad ſecundam hujus Sermonis partem, quàm N. 6.
pernicioſæ nimirum ſint diſtractiones ſub oratione Sanctiſſimi Ro-
ſarij. Triplex autem, unde conſurgunt, aſſignatur diſtractionum
radix. Prima radix ſunt continuæ diaboli tentationes, qui, te-
ſte S. Nilo, *quælibet alia bona, puta, jejunium, flagra, cilicii ge-* *S. Nil. c. 44.*
ſtationem, non ita ægrè fert, & interturbare nititur: At, quòd *de Orat.*

tempus orationi impenſum ſit, ferre nequit, ſed ipſam omni conatu impedire, & mille in illa impedimenta objicere contendit. Ratio hujus eſt, quia vaſerrimo huic hoſti abundè perſpectum eſt, ferventem, ac devotam orationem medium, ac veluti canalem eſſe, ùt loquitur S. Baſilius, cujus canalis adminiculô univerſum ad nos bonum derivatur; hinc omnî, quo poteſt, ſtudiô ipſam impedire, & multiplices in ea remoras, atque obices ponere conititur, ut iſthôc ſublatô præſidiô faciliùs ibi ad animam noſtram per fraudes, & tentationes aditus, & acceſſus pateat. Parî ille modô nobiſcum agere, nóſque intercipere, & ſubvertere conatur, quo archiſtrategus Holofernes Bethuliam ſibi reſiſtentem. Sicut enim ille aquæductus, & canales, quibûs ad urbem aqua derivabatur, incidit; ita dæmon omni opera hunc orationis canalem, & cunductum, per quem ad animam noſtram gratiæ, ſpiritualiúmque bonorum omnium aqua dimanat, aut penitùs frangere, aut aliò ſaltem divertere contendit. Hunc in finem, teſte Sancto Clymaco, non minùs, ac pij Chriſti fideles datô campanæ ſingnô ad Deum tum precandum, tum laudandum in Eccleſia viſibiliter congregantur; ita quoque inimici noſtri dæmones in Eccleſia inviſibiliter conveniunt ad nos tentandos, & in oratione interturbandos. Hoc expertus fuit S. Macarius, quem diabolus excitavit, dicens: *Surge, Abba! eamus ad Collectam nocturnam.* Cui Vir Sanctus: *O mendax, & veritatis inimice! quid tibi conſortii, quid ſocietatis eſt cum Collectis, & congregatione Sanctorum?* At ille: *Latet te ergo, Macari! quòd ſinè nobis nulla Collecta agitetur? Veni, & videbis.* Vidit ergo S. Macarius inchoatîs matutinîs precibûs per totam Eccleſiam quaſi parvulos æthiopes diſcurrere, huc, atque illuc volitandô deferri, qui Monachis ibidem pſallentibus alludebant, &, ſi cui digitulîs duobûs oculos compreſſiſſent, ſtatim dormitabat: Si cui verò in os immiſiſſent digitum, oſcitare eum faciebant: Ubi verô poſt Pſalmos juxta conſuetudinem ſe proſtrâſſent Fratres, percurrebant ſingulos, & ante alium in oratione jacentem quaſi mulierum ſpecie ferebantur; ante alium quaſi ædificantes, atque portantes aliquid, ac diverſa quæque agentes apparebant. Et quæcunque dæmones quaſi ludendô formâſſent, hæc orantes illi in cordis ſui cogitatione verſabant, utì poſteà ſingulorum relatione compertum eſt. A nonnullis tamen, ubi aliquid horum tentare

S. Baſil. — *Judith.* 7. — *S. Clymac.* — *In Vit. SS. PP.*

tentare cœpiſſent, quaſi vi quadam repulſi, præcipites dejiciebantur, ita, ut nec ſtare quidem prorsùs, aut tranſire juxta eos auderent.

Secunda radix, unde proficiſcuntur diſtractiones, tenet ſe ex parte orantis, qui vel voluntariè diſtractiones admittit, absque ulla prævia præparatione ſeſe accingens orationibus, mentémque ſuam inavulſam à curis, & negotijs ſæculàribus retinens, vel qui ſponte ſuâ, aut per culpabilem oculorum evagationem, aut per garrulam linguæ diſſolutionem, aut per incompoſitum riſum, ſimiléſque incongruas levitates alienis cogitationibus januam cordis aperit, eóque diſtrahitur, unde poſteà ægerrimè iterùm ad ſe redit. Nec habet talis orans, cur conqueratur, vel admiretur, ſe tam multipliciter ſemper eſſe diſtractum in precibus. Cùm enim imagines, figuræ, & objecta, quæ per ſenſus externos intromittuntur, per ſe, & ex natura ſua habeant vim, & virtutem movendi mentem, ejusmodi orantem crebrò tempore orationis interturbari, & inquietari prorsùs neceſſe eſt. Quam ob cauſam Sancti Patres haud incongruè cor humanum comparant lapidi molari, qui, eſto, à molendo non ceſſet, in arbitrio tamen molitoris eſt, ut vel ttiticum, vel hordeum, vel ſiliginem lapidi ad molendum iniiciat. Parî modô cor hominis ſemper habet, quod cogitet, ſemper, quod agat, ſemper, quod volvat; aſt induſtriâ, & vigilantiâ noſtrâ facere poſſumus, in cauta ſenſuum externorum cuſtodia ſitum eſt, ut vel triticum, vel hordeum, vel ſiliginem, vel terram molat, quidquid ei ingreſſeris, hoc agitabit. Ad quod plurimùm conducit, ſi prævìè auxilium, & aſſiſtentiam divinam invocaverimus, prout Eccleſia utiliter ordinavit, ut ad initium cujuslibet horæ Canonicæ præmittatur devotus ille Verſiculus: *Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina.* N. 7. *Simile.*

Tertia cauſa, ex qua diſtractiones ortum ſuum ducunt, eſt imbecillitas, & infirmitas humana; adeò quippe debiles, & miſeri ſumus, noſtráque natura per peccatum adeò eſt fauciata, & deſtructa, ut ne unam quidem, teſte D. Thoma, & S. Bernardo, Orationem Dominicam recitare poſſimus, quin à varijs, & impertinentibus cogitationibus interpellemur. Citra omnem culpam noſtram diſtrahimur frequenter, cor noſtrum nos deſerens, ac peregrinans, invitîs nobîs, aliò vagatur, & identidem exclamare cogimur N. 8. *S. Thom.* *S. Bern.*

gimur

Pſalm. 39. gimur illud : *Cor meum dereliquit me.* *Volentes, nolentes diſtra-*
Joſeph. Manſi. *ctiones ſentire cogimur* (verba ſunt Joſephi Manſij) *ex domeſticorum, amicorum, vel etiam aliorum perfectorum hominum præſentium amore, vel ſaltem ad minus ad eorumdem amorem memoriâ, ídque non ex culpa, & defectu noſtro, quia id cauſant noſtræ mortalitatis miſeriæ.* Accidit nobis, ſicut illi, de quo ſequentia narrat
Humbert. ſuper Reg. S. Auguſt. c. 5. noſter Venerabilis Humbertus. Hic in itinere conſtitutus, aſinóque inſidens, dum fortè tranſiiſſet juxta Eccleſiam, feſtinanter deſcendit, jumentóque ad fores templi alligatô ingreſſus eſt, ut oraret, orandóque ſe, & iter ſuum commendaret altiſſimo cœlorum Domino. Vix orare cœperat, & nec unicam adhuc orationem Dominicam abſolverat, totus à ſeipſo diſtractus alienîs agitabatur evagationibûs: Illud præcipuè menti obverſabatur, ne fortè forìs quiſpiam aſinum abduceret, ſícque in itinere perſolvendo impedimentum poneret: Ex alia parte aliæ obveniebant anxietates, dum vir ſimplex, & rectus valdè dolebat miſeriam, & infirmitatem ſuam, quæ in viliſſimi aſini recordatione preces ſuas turbaret. Egreſſus ergo de templo aſinum vendidit, reputans, ſatiùs eſſe, aſinô carere, quàm Deum offendere.

N. 9. Unde convenienter à Theologis diſtractio tripliciter dividitur. Prima dicitur invita, ſecunda negligens, & tertia omninò voluntaria. Prima appellatur invita, quia homini invito prorsùs, ac reluctanti obvenit, toties ſemper generosè repelli ſolita, quoties appropinquare advertitur, nunquam ſinè violentia, ſinè dolore, & gravamine tolerata; & per ſimiles diſtractiones involuntarias nec oratio in fructuoſa efficitur, nec Deus offenditur, ſed potiùs fragili homini compatitur, & miſericordiâ movetur. Ipſe ſiquidem infirmitatem, & debilitatem noſtram perſpectam habet,
Pſalm. 102 & *quomodô miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Id eſt: Eo modo, quo parentes compatiuntur miſerijs infantium ſuorum, eorum infirmitates, & inſipientiam talerant; ſic Dominus noſter miſeretur timentium ſe, dum eorum ſub oratione mentis evagationes non ut injurias ſuas reſpicit, ſed ut ægritudines filiorum conſiderat; *quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.* Id eſt: Quia probè novit, nos ex terra plasmatos, carnem morti, & concupiſcentijs varijs obnoxiam gerere, ac per hoc valdè miſerabiles, ac in bono labiles eſſe. *Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus*, qui ad leviſſimum etiam ventorum flatum locô movetur,

vetur, & per aërem diſpergitur. Imò non raró talis oratio magìs meritoria, & Deo gratior eſſe ſolet, quàm ſi magnam in ea animi devotionem, & conſolationem ſentiret homo, eò quòd tunc ex amore Dei major ſit ſuſtinendus labor, major ſit ſuperanda difficultas, major ſit adhibenda violentia, eo fermè modo, quo ſacrificium, quod Deo ſuo offerebat Abraham, in tantum coram Divina Majeſtate fuit acceptius, in quantum indefeſſiori labore, & induſtria Abraham conabatur aves rapaces, quæ continuò advolabant, & ſacrificij oblationibus inſiſtebant, repellere, atque abigere. Tria ſolummodò ſaluberrima hoc in puncto, ne puſillanimes reddamur, veniunt annotanda. Inprimìs, ut, quod nobis deeſt, committamus cordi Divino ſupplendum, emendandum, ac perficiendum. Ita, teſte Bloſio, ipſe piiſſimus Jeſus ad S. Gertrudem, ſupra ſeipſam dolentem, & dicentem: *Et quis fructus provenire poterit ex hoc meo ſtudio orandi, cui tanta inſtabilitas conjuncta eſt?* Reſpondit Salvator: *Ecce cor meum dulciſſimum oculis mentis tuæ prætendo, cui omnia, quæ per te minùs perficere potes, fiducialiter pro te perficienda commendabis. Ita enim omnia coram oculis meis apparebunt valdè perfecta.* Secundum obſervat Alphonſus Rodriquez, celeberrimus Aſceta, hìs verbìs: Quando ergo in oratione illam attentionem, & devotionem, quam deſideras, non ſentis, operam ſaltem da, ut hoc ipſum ardenter velis, & deſideres: Ita nimirum ſupplebis, quod tibi arbitraberis deeſſe. Neque enim minùs bona hæc voluntas, ac deſiderium Deo ſatisfacit, quàm ſublimis quædam, ac excelſa oratio; neque minùs voluntate hac, ſanctóque deſiderio lætatur Deus, quàm ſi tota anima amore liquefacta plenè ſibi jungeretur. Tertiò: Hoc in genere optimum, atque utiliſſimum exercitium erit, ſi orationes noſtras cum precibus Chriſti Domini Redemptoris noſtri conjungere ſtudeamus, offerendò eas æterno Patri in onione illius amoris, & fervoris, quo Chriſtus ipſe olim in terris oravit, ipsúmque laudavit; ſic etenim orare divinitùs olim edocta fuit, teſte prælaudato Bloſio, S. Mechtildis, quia preces hoc modo mirè nobilitantur, Deòque Patri plurimùm placent; nam reputabuntur unum exercitium cum Chriſti exercitio, ſicut modica aqua, miſſa in vinum, vinóque unita, jam vinum reputatur.

Geneſ. 15.

Bloſ. in Monil. ſpirit. c. 3.

Rodriquez 1. p. tr. 5. c. 19.

Bloſ. cit.

Secundi generis diſtractiones vocantur negligentes, cùm quis ſcilicet non niſi oſcitanter, obiter, & remiſſè ſe habet in oratio- N. 10.

 nibus

nibus ſuis, nec animum ad preces præparandô, nec ſeriò, & ſanctè ſancta tractandô, nec eâ, ùt par eſt, diligentiâ diſtractiones, & evagationes mentis repellendô, nec cauſas illarum, prout oportet, evitandô, ſed potiùs, prout ſcriptum legimus: *Vult piger, & non vult.* Et ejusmodi orans haud incongruè comparatur famulo, qui conſtitutus eſt aſſidere lecto cujusdam ægroti, muſcásque importunas abigere. Hic famulus aliquo quidem modo fungitur ſuô ſervitiô, ita tamen ſegniter, & negligenter, ut interjectîs vicibûs oſcitare, & nictare incipiat. Nunc quidem movet, & tollit flabellum, inſurgere videtur contra circumgyrantes muſcas; paulò poſt oculos ſomnô gravatos iterùm claudit, & dormitat. Evigilans denuò movet brachium, agitat manum, elevat flabellum, conatu tamen ita languido, ut jam iterùm ingruat ſomnus, & ruat oppreſſum caput. Poſt morulam temporis rursùs ſemiaperit oculos, concutit flabellum, & veluti unico ductu jugulare contendit muſcas univerſas; non diu tamen durat impetus iſte, brevì denuò & manus, & oculi, & caput in ſomnum defluunt, & redeunt muſcæ, unde receſſerunt. Eodem modo ſe gerunt Fratres, & Sorores Mariani Pſalterij, qui oſcitanter, obiter, & tepidè perſolvunt ſua Roſaria. Fungi quidam videntur ſuîs ſervitiîs cultûs Mariani; aſt non niſi pigerrimè, & ſomnolenter: Videntur aliquoties contra ingruentes diſtractiones pugnare, imiſſis evagationibus ſe opponere; aſt paulò poſt iterùm dormitant, & obvijs quibusque cogitationibus aditum permittunt: Rursùs aliqualiter ſe recolligentes reſiſtere attentant; aſt conatu ita inefficaci, & inerti, ut animus mox iterùm ad priſtinas diſtractiones redeat. Et talis orans inprimìs nec placet Deo ſuo, nec in conſpectu Domini ſui valorem, aut meritum ſibi congregat; ſicut divina olim viſione edoctus fuit Divus Bernardus, qui nocturnis quadam vice aſſiſtens vigilijs vidit Angelos accuratiſſimè ſingulorum orationem notantes, illorum quidem, qui cum fervore orabant, aureîs, eorum, qui minùs ferventer pſallebant, argenteîs, illorum, qui aliqualiter voluntatem benè orandi absque effectu, & conatu habebant, atramentô, qui ſomnolenter, & pigrè Deum laudabant, aquâ ſcribebant. Deinde talis orans Deo exoſus fit, & abominabilis, ſibíque potiùs maledictionem, quàm benedictionem, potiùs iram, & indignationem, quàm gratiam repor-

Proverb. 13.

Simile.

Applicatio.

reportat, ſicut præallegatus famulus in ſervitio negligentiſſimus jure debito diſgratiam, & averſionem ægroti Domini incurrit.

Tertiæ claſſis diſtractiones nuncupantur voluntariæ, dum lingua quidem orat, mens autem liberrimè evagatur ad alia. Et talis oratio ſummam Deo irrogat injuriam, ita, ut jam pridem ſententiam tulerit: *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Quemadmodùm (loquitur Fulvius Adrotius) qui caponem comederet, & alicui domino ſola de illo oſſa transmitteret, meritò gravem illius indignationem incurreret; ita non parùm offendet Deum is, qui in oratione voluntariè diſtractus ſola verba, velut oſſa, Deo transmittit, affectus verò pios, & dovotionem (quæ ſunt potiſſima orationis pars) eidem non offert. Item: Sicut vox ſinè modulatione auribus hominis moleſta exiſtit; ſic oratio abque devotione auribus Dei inexaudibilis eſt. Hinc, ùt Rodriquez teſtatur Rodriquez, dormienti ſub oratione Monacho Chriſtus obversîs humerîs apparuit, aſſerens, ſervum tam pigrum non mereri videre faciem ſuam. Alteri ſub Choro nunc dormienti, nunc voluntariè diſtracto imago Chriſti deſcendens tantum colaphum inflixit, ut tribûs poſt diebûs fuerit extinctus. Imò, ùt legimus in Speculo Exemplorum, cùm quadem nocte duo Fratres ſedendô in lectis ſuis diſtractiſſimè dicerent Matutinum, diabolus ſubitò adfuit, & fœtorem intolerabilem producens dixit: *Tali orationi tale incenſum convenit.* N. 11.

Iſa. 1. Fulv. Audrot. de Confeſſ. Similia.

Rodriquez p. 1. tr. 5. c. 24.

Specul. Exemp. V. Oratio Exemp. 14.

Hiſtoria.

HAud diſſonè loquebatur noſter Michovienſis, ubi dixit: Plùs placet Virgini unum Pſalterium devotè dictum, quàm mille indevotè, & feſtinantur abſoluta. Id propriâ ſuâ experientiâ didicerunt Religioſi illi, de quibus ſequentia legimus. Unus eratCarthuſianus, qui annô milleſimô quadringentiſimô Trevirîs vixerat, & omnes, ùt videri poterat, boni Religioſi partes ſeduô expleverat. Inter alia pij inſtituti ſui exercitia nihil illi prius erat, quàm cultus Marianus, maximè Mariæ in Roſario, ita, ut nullam diem præterire ſineret, quin dulciſſimam Matrem ſuam devotiſſimô Pſalteriô veneraretur. Succeſſu tamen temporis accidit, ut, ſicut Religioſus iſte in gravioribus Monaſterii ſui nègotijs

Michov. de Erat. Roſ.

gotijs occupabatur, ita etiam in devotione ſua aliquantulùm intepeſceret, nunquam quidem conſueta ſua Roſarij exercitia intermittens, aliqua tamen tepitate, & ſocordia ſubinde eadem perſolvens. Hinc quadam vice, dum iterùm negligentiùs ſuum Roſarium diceret, & præpropero pede à precibus ſurgebat, audivit hanc vocem dicentem ſibi: Si vis, orationem tuam acceptam eſſe Reginæ cœli, noli illi Roſas ſiccas, & marceſcentes offerre, quæ nec colore placent, nec odore gandent, ſed fac coronam ex pulcherrimis, viridibúſque Roſis conſitam, quia hîs, non aliìs, delectatur Regina Roſarij. Simile quid contigit alteri Religioſo Hungaro, qui & ipſe laudibus Beatæ Virginis addictiſſimus, quoties ſignum Salutationis Angelicæ ſive de manè, ſive in meridie, ſive veſpere audiebat, in more poſitum habebat, ſemper flexîs genibûs Deiparam Virginem venerari, & ſolitîs tribûs Salutationibûs Angelicîs devotiſſimè honorare. Quodam manè, dum adhuc in lecto hærebat, prædictum Salutationis Angelicæ ſignum inſonuit; ſomnô tamen gravatus, & turpî pigritiâ preſſus ad venerandam Dei Genitricem ſurgere noluit, ſed potiùs in plumis ſtertere perrexit, in aliud latus ſe vertens, ut ulteriori ſomno indulgeret. Vix autem indormire cœperat, hac viſione correptus erubuit: Vidit durante adhuc ſignô Salutationis Angelicæ altiſſimam Eccleſiæ turrim usque ad terram profundè ſe inclinare, ſimúlque hanc vocem audivit: En piger! ſic creaturæ inanimatæ ſe inclinant ad ſalutandam Sanctiſſimam Dei Matrem; & tu, ſocordiſſime! qui ratione, & intellectu præditus es, pigritaris è lecto ſurgere, & flexîs genibûs venerari Reginam cœli? Utrique huic Religioſo cœleſtis hæc correptio addidit calcar, ut in poſterum omni, quo poterant, devotionis, & attentionis ardore in cultu Mariano perrexerint, ad eandem ſimiliter menſuram à Maria dilecti, qua & ipſi ſua pia exercitia metiri conſueverant. P. Hieronymus Taxius Addit. cap. 37. & P. Pellbartus in Stellario Coronæ B. Virg. L. 1. p. 3. a. 3.

Hiſto-

HISTORIÆ.

Secundùm ordinem Sermonum Dominicalium.

I.

SAga quædam in judicio à Chriſto irato Judice, æternæ damnationi propemodùm adjudicata, per interceſionem Reginæ SS. Roſarij gratiam divinam impetrat, & ſalvatur.

2. Comes per Roſarium in virtutibus proficit, unitur magìs, & magìs Deo, ligátque potentiam diaboli, importunè inſidiantis.

3. Eremita, variîs dæmonum inſultibûs impetitus, per Roſarium meruit Chriſtum, & Mariam ſibi præſentes habere, quorum confortatione, & ſolamine eluſit omnia machinamenta inferni.

4. Carthuſianus quidam, dum orat Roſarium in terra, audit, & vidit Beatos in cœlo idem Pſalterium ſumma veneratione recitantes.

5. Advocatus, ſeu Jurisperitus, dum quotidie ad noctem dicit aliquas Salutationes Angelicas, à dæmone, continuò illi in forma ſimiæ inſidiante, lædi haud potuit.

6. Catharina, Romæ peccatrix, per Roſarium Chriſtum invenit, & ad meliorem frugem, imò ad ſummæ ſanctitatis apicem pervenit.

7. Joanna Virgo devota per Roſarium meruit deſponſari Sponſo cœleſti.

8. Uxor Alphonſi Sanchez per Roſarium à varijs corporis languoribus curator.

9. S. Dominicus in virtute Roſarij obtinet tranquillitatem maris, & ſedat tempeſtates.

10. Rejectô Roſariô quidam ad nefanda vitia, & ſupremum magiæ faſtigium devenit.

11. In Hybernia creſcit arbor, undique pendula Roſariîs.

12. Ludimagiſter ex mago evadit in patremſamilias, qui multos vocavit ad vineam Roſarij.

13. Roſarij merces & in hac, & in altera vita perquàm copioſa declaratur cuidam per vocem de cælo delapſam.

14. Meditatio Paſſionis Chriſti retrahit puellam à delectationibus hujus ſæculi.

15. Alheidis, variè tentata à diabolo, per Salutationem Angelicam confortatur, & defenditur.

16. Bartholomæus, Comes Italiæ, videt Angelicas Salutationes tot eſſe lapillos, quibûs Roſariani ſibi ædificant jucunda habitacula.

17. Albigenſis hæreticus, dum ſpernit Roſarium, ab integra turma dæmonum obſidetur, qui tamen per Roſarium confuſi recedere compulſi ſunt.

18. Gandavi in Flandria Fratres Prædicatores, extremâ rerum penuriâ preſſi, Mariam ad ſuppetias habent, & abundè providentur in victu.

19. B. Alanus in agone contra dæmones roboratur, & jamjam deſperabundus à morte æterna liberatur.

20. Mirabilis Proceſſio cœleſtium Virginum cum Deipara ad pauperem paſtoris filiam agonizantem.

21. Juvenis quidam per Roſarium glorioſè vicit ſuggeſtiones diaboli, & vocatur ad cœleſtia gaudia.

22. Judæus acceptô baptismô per Roſarium confortatur in ſuſcepta vera fide, & in gratia Dei proficit.

23. Turca appensô ad collum Roſariô cognoſcitur à Paſtore bono, ſimúlque Paſtoris cœleſtis vocem audit.

24. Maria conſolatur captivam puerperam, & ſimul eandem in libertatem aſſerit.

25. Roſarium defendit à peccato, à juſtitia, & à judicio quendam Religioſum, quem propria conſcientia accuſavit.

26. Per Nomina JESUS, & MARIA Benedicta peccatrix obtinet auxilium contra inhabitantem dæmonem, & remiſſionem ſuorum peccatorum.

27. Pia Matrona à Regina Sacratiſſimi Roſarij in ſuis extremis anguſtijs conſolatur, ſuíque voti damnatur.

28. Sanctus Elzearius per Angelicam Salutationem impetrat Spiritûs Sancti gratiam, & conſolationem in orationibus ſuis.

29. Antonius Apoſtata per Roſarium meretur fortem denuò confeſſionem Sanctiſſimæ Trinitatis, & in ejus laude moritur martyrio decoratus.

30. Martinus Gutrich, drachma in Lutheraniſmo perdita, à Maria Roſariana quæritur, & invenitur.

31. Juvenis abjurans Deum, & Sacramenta per Salutationem Angelicam impetrat veniam peccati.

32. Alexandra per Roſarium ex profundo iniquitatis, & æternæ damnationis fuit erepta.

33. Duo Nobiles, ad invicem inimici, omnibûs aliîs mediîs fruſtra adhibitîs, per Roſarium reconciliantur.

34. Pauper vidua cum duabus filiabus & à pauperie, & à detractione hominum liberatur à B. Virgine Roſariana.

35. S. Dominicus manifeſtat dæmones, qui ſub ſpecie mulierum dementaverant quendam Nobilem.

36. Matrona defuncta cupit ſuum nomen poſt mortem addi Catalogo Sanctiſſimi Roſarij, ut citiùs, liberari poſſet à flammis purgatorij.

37. Tota Parochia per Roſarium illæſa ſervatur à bello, fame, & peſte.

38. Quidam deſperans de miſericordia Dei per Roſarium reddit ſibi Deum propitium, & decurrit ſtrenuè viam mandatorum in poſterum.

39. Per preces Roſarij Deus, dum non vult nos exaudire, inclinatur, ut benevolè audiat voces noſtras.

40. Vulnera cujusdam, ſibiipſi manus violentas inſerentis, curantur meritîs Roſarij.

41. S. Gertrudi revelatur in viſu, Deum, & Deiparam Virginem in Roſario ſuper omnia laudari, & inde plurimas gratias impetrari poſſe.

42. Lilium pullulat ex ſepulchro cujusdam, qui frequenter hæc Verba: *Ave Maria;* dum viveret, in ore habuit.

43. Per devotionem Roſarij vidua, & pupillus gloriosè de Tyranno triumphant.

44. Comitiſſa quædam, in faſtu ſuo humiliata, per Roſarium rursùs reſtituitur in priſtinum nobilitatis ſuæ gradum.

45. Sacerdos, & Monialis, turpiter priùs peccantes, per Roſarium mundum, carnem, & diabolum ſuis pedibus ſubjugant.

46. Mulier quædam, ex Bohemia oriunda, in anxietatibus corporis, & in periculo æternæ damnationis per Roſarium adjuvatur.

47. Miles quidem per Salutationem Angelicam mirabiliter confortatur in pugna caſtitatis, & Mariam Sponſam habere meruit.

48. Rex, ùt putatur, Hiſpaniæ, qui à juventute in cingulo portaverat Roſarium, evadit mortem æternam.

49. Epiſcopus primò ſpernens, deinde intepeſcens in Pſalterio Mariano, bina viſione cœleſti corrigitur.

50. Balduinus, colens imaginem B. Virginis in Roſario, confundit diabolum, & in cultu B. Virginis corroboratur.

51. Geſtus irreverentes duarum mulierum in Eccleſia annotantur à diabolo.

52. Duo tepidi Religioſi voce à cœlo delapſa excitantur ad fervorem in ſalutanda Auguſtiſſima cœlorum Regina.

 Index

INDEX

Rerum, & Verborum, quæ in hac prima Parte continentur.

Numerus primus Sermonem, ſecundus verò Numerum cujuslibet Sermonis marginalem, non autem Numerum paginæ deſignat.

A.

ASpaſia per roſas à tumore curata, & inde in Sponſam Regis Perſarum fuit aſſumpta. S. 7. n. 2.

Adam ſuaviter dormiebat in paradiſo. ſ. 11. n. 4.
incidit in latrones, à quibus malè fuit vulneratus. ſ. 40. n. 1.

B. Alanus de Rupe à B. Virgine in Sponſum fuit acceptus. ſ. 7. n. 7.
eſt Procurator, ut Roſariani Sponſi, & Sponſæ fiant Chriſti, & Mariæ. ſ. 7. n. 8. & 9.

Amicitia eſt triplex. ſ. 36. n. 1.
veræ ſigna. ſ. 36. n. 1.

Amor ingens B. Virginis in Sodales Roſarij. ſ. 1. n. 8.
matrum in filios. ſ. 36. n. 1.

Annæ Prophetiſſæ laudes. ſ. 5. n. 1.
Tobiæ mater plorat ſuper filium in Rages morantem. ſ. 6. n. 1.

Apoſtoli per orationem, & meditationem Myſteriorum Chriſti obtinuerunt Spiritum Sanctum. S. 28. n. 4.

Arbor quædam in Indijs eſt infeſta draconibus. ſ. 11. n. 9.

Aurora eſt Symbolum B. Virginis Mariæ. ſ. 24. n. 4.

B.

BAptiſmi inſtitutio, & effectus. S. 29. n. 2. 4. 7.

In Bachanaliis Chriſtus à plurimis relinquitur. ſ. 14. n. 2. usque ad 8.
devoti ſibi augent merita. ſ. 14. n. 10. & 11.

Bellum avertitur per Roſarium. ſ. 37. n. 4. 5. 6.
eſt effectus noſtrorum peccatorum. ſ. 37. n. 3.

Bona opera non ſunt differenda in ſenium. ſ. 12. n. 8.

B. Bo-

B. Bonifacius Epiſcopus miram gratiram obtinet in contemplatione Myſteriorum gaudioſorum. S. 11. n. 5.

C.

CAro hoſtis potens. S. 45. n. 4. & 5.
vincitur, & crucifigitur in Roſario doloroſo. ſ. 45. n. 9.
Caſtitas obtinetur in Roſario. ſ. 47. n. 3. 4. 5.
ejus laudes. ſ. 47. n. 2.
Charitas eſt theſaurus bonus. ſ. 22. n. 9.
eſt propria Roſarianis. ſ. 22. n. 8.
Catharina Senenſis fuit deſponſata à Christo. ſ. 7. n. 5.
Chriſtus eſt Sol. ſ. 1. n. 1.
in extremo judicio erit terribilis. ſ. 1. n. 2.
in judicio benevolus erit Roſarianis. ſ. 1. n. 3. & 4.
complacet ſibi de loco medio, & quare? ſ. 3. n. 1.
eſt in medio cordis, cùm tentantur Roſariani, illóſque confortat. ſ. 3. n. 2. & ſequent.
comparatur columbæ. ſ. 6. n. 10.
Apoſtolis dormiebat, & quare? ſ. 9. n. 1.
cur comparetur arbori Malo? ſ. 11. n. 3.
in ſua Reſurrectione aſſimilatur Elephanti. ſ. 21. n. 1.
item vermi, Enchiridios dicto. ſ. 21. n. 4.
eſt Paſtor bonus. ſ. 23. n. 1.
ùt Paſtor bonus cognoſcit Roſarianos tanquem oves ſuas. S. 23. n. 2. 3. 4. 5.
cur in Aſcenſione ad cœlum retinuerit cicatrices? ſ. 28. n. 1.
eſt Paſtor quærens ovem perditam. ſ. 31. n. 1.
Roſarianis ultrò offert ſua dona, & remiſſionem peccatorum. ſ. 38. n. 6. & 7.
eſt verus Samaritanus, in Roſario alligans vulnera, infundens vinum, & oleum. ſ. 40. per tot.
in Roſario curat morſus ſerpentis ſtygij. ſ. 40. n. 10.
comparatur hortulano. ſ. 42. n. 1.
eſt Sponſus Virginum. ſ. 47. n. 1.
in Roſario recipit luxurioſos, ſi pœnitentiam agunt. ſ. 47. n. 11.
iraſcitur iis, qui Mariam non honorant in Roſario. ſ. 49. per tot.
in carne non à Magnatibus, ſed à plebeis fuit honoratus. ſ. 51. n. 1.
Civitas refugij eſt Maria. ſ. 46. per tot.
earum deſcriptio. ſ. 46. n. 3. & 4.
Codrus pro ſuis vitam ponit. ſ. 14. n. 1.
Columbæ avolantes quomodò reducantur? ſ. 6. n. 9.
Communio frequens erat in uſu in prima Eccleſia. ſ. 30. n. 2.
exigitur à Roſarianis. ſ. 30. n. 3.
ejus fructus. ſ. 30. n. 4. & 5.
quales præexigat diſpoſitiones? ſ. 30. n. 7. 8. 9.
Contemplatio Myſteriorum in Roſario quàm ſit utilis. ſ. 11. n. 4. 5. 6. 7.
facilem reddit dilectionem inmicorum. S. 33. n. 3. 4. 5. 6.
eſt eſſentialis Roſario. ſ. 40. n. 9.
Vide *Meditatio*.

Cultus SS. imaginum in quod objeɛtum dirigatur? ſ. 50. n. 2.
ejus variæ utilitates. ſ. 50. n. 3. & 4.
SS. Roſarij Mariæ eſt acceptus diabolo verò exoſus. ſ. 50. n. 4. &c.

D.

DAvid petiît pennas, ut volaret ad locum quietis. S. 11. n. 2.
Decimæ præſtantur Deo in Roſario. ſ. 41. n. 7.
Deus placatur in Roſario. ſ. 38. per tot. item 25. per tot.
nihil nobis donat, niſi per Mariam. ſ. 28. n. 8. & 9.
eſt patiens redditor. ſ. 37. n. 1.
iratus eſt ſimilis Rhinoceroti. ſ. 38. n. 3.
eſt totus oculus, totus auris, &c. ſ. 39. n. 2.
cur non ſemper exaudiat preces noſtras? ſ. 39. n. 2.
promptè exaudit preces Roſarij. ſ. 39. per tot.
Diabolus conatur orationes Roſarij diſtraɛtas reddere. ſ. 10. n. 3. 4. 7. item ſ. 52. n. 6.
dicitur draco. ſ. 11. n. 9.
tentat homines innocentes, ſicut Filium Dei. ſ. 11. n. 10.
tentat homines in loco ſanɛto, & ſolitario. S. 11. n. 10. & 11. item ſ. 18. n. 1.
exprobrat Chriſto paucitatem eum ſequentium. ſ. 14. n. 2. & 5.
magìs virtuoſos tentat. ſ. 15. n. 2.
eſt canis rabidus. ſ. 15. n. 3. &c.
ſe transfigurat in varias formas. ſ. 35. n. 2.
comparatur Protheo, & lupo. ſ. 35. n. 3. & 4.
habet quatuor modos decipiendi. ſ. 35. n. 4.
odit ſigna Roſarij. ſ. 48. n. 11.
eſt hoſtis ſuperbus, ſicut Goliath. ſ. 45. n. 2.
vincitur per Roſarium. ſ. 45. n. 7. & 8.
Dileɛtionis proximi grave præceptum. ſ. 23. n. 1.
Diſtraɛtio quotuplex ſit? ſ. 52. n. 9. 10. 11.
involuntaria non obeſt. ſ. 52. n. 9.
ejus peccaminoſæ radices. ſ. 52. n. 3. 4. 6. 7. & 8.
Dominica prima menſis Roſariani ad S. Communionem vocantur, & quare? ſ. 30. n. 3.
S. Dominicus erat Angelus ligans dæmonem. ſ. 2. n. 9.
erat piſcator, & tulit magnam capturam piſcium. ſ. 32. n. 3. 4. 5. 6. 12.
erat alter Hercules. ſ. 42. n. 4.
ejus encomium, & eminentia. ſ. 42. n. 3. & 4.
ejus tempore Eccleſia erat anguſtiata. S. 50. n. 8.
Domus quænam ſit optima? ſ. 16. n. 8.
Dona Spiritûs Sanɛti nunquam ſatìs æſtimantur. ſ. 28. n. 7.

E.

ECcleſia cur in Bacchanalijs legat Evangelium de Paſſione Chriſti? S. 14. n. 1.
Echo comparatur divina miſericordia. ſ. 39. n. 7. 8 9.

Elephas eſt typus Roſarianorum. ſ.25. n. 3. & 5.
Euchariſtia eſt cœna magna. ſ.30.n.1. Vide *Communio.*

F.

FAlſorum Prophetharum opera enumerantur. S.35. n. 1.
Fames eſt effectus noſtrorum peccatorum. ſ. 37. n.7.
eam præcavet devotio SS. Roſarij. ſ. 37. n. 8. 9. 10.
Fervor excitandus eſt in dicendo Roſario. ſ. 52. n. 2. & 3.
Ficulnea maledicta à Chriſto denotat peccatorem. ſ. 14. n. 7.
Fides eſt theſaurus pretioſus. ſ. 22. n. 2. & 3.
ejus donum obligat hominem ad gratias agendas Deo. ſ. 22. n. 4.
debet adjuncta habere opera. ſ. 25. n. 1.
Filiatio Dei quantum ſit beneficium? S. 29. n. 8.
Fonti, & fluvio comparatur Roſarium. ſ. 41. n. 9. 10. 11.
Fructus centeſimus bonorum operum, & gloriæ datur Roſario. ſ. 13. per tot.

G.

GAbriel eſt unus ex principalioribus Angelis. S. 7. n. 18.
cur ipſe, & non alius Angelus ad ſalutandam B. Virginem Miſſus ſit? ſ. 52. n. 2.
Gratia finalis incerta, & occulta eſt. ſ. 19. n. 3.
ad omne bonum opus eſt neceſſaria. ſ. 38. n. 8.
Gratitudo eſt virtus præſtantiſſima. ſ. 41. n. 3.
Gratiarum actio dupliciter fieri poteſt. ſ. 41. n. 5.
Deo redditur in Roſario. ſ. 41. n. 5. &c.
Genuflexio in orationibus Deo placet. ſ. 51. n. 8.
Geſſen terram occupant Roſariani. ſ. 9. n. 11.
Gloria cœleſtis eſt copioſa. ſ. 13. n. 8.
commenſuratur bonis operibus. ſ. 13. n. 9.
ampliſſima datur Roſarianis. ſ. 13. n. 10. 11. 12.

H.

HÆredem eſſe gloriæ cœleſtis eſt ſumma gratia. S. 29. n. 9.
Hæretici ſunt falſi Prophetæ. ſ. 35. n. 6. & 7.
confunduntur per Roſarium. ſ. 35. n. 11. 12. 13.
cultum SS. imaginum rident. ſ. 50. n. 1.
Homo palmiti, & arundini comparatur. ſ. 2. n. 1.
de nocte multis exponitur periculis. ſ. 5. n. 8. &c.
eſt fragilis, & mutabilis in propoſito. ſ. 22. n. 1.
aſſimilatur piſci. ſ. 32. n. 2.
eſt viator incidens in latrones. ſ. 40. n. 1.
tendit ad alta. ſ. 44. n. 1.
Humilitas ad alta ſublevat. ſ. 44. per tot.
quid ſit, & quotuplex? ſ. 44. n. 2. &c.

addiſci-

addiſcitur in Roſario. ſ. 44. n. 3. &c.
B. Virginis Mariæ exaltata. ſ. 44. n. 8. &c.

I.

JAcob plorat filium ſuum Joſeph deperditum. S. 6. n. 1.
Jeſus, ubi quærendus ſit? ſ. 6. n. 3. & 4.
invenitur in oratione, & contemplatione. ſ. 6. n. 4. & 5.
Imagines B. Virginis ſunt colendæ, & quomodò? S. 50. n. 5. 6. 7. 12.
earum vituperatores poniuntur. ſ. 50. n. 7.
SS. Roſarij abhorret diabolus. ſ. 50. n. 8. 9. 10. 11.
Imbres ſunt ſæpè pœna peccatorum. ſ. 9. n. 3.
Indulgentiæ plenariæ pro Proceſſionibus. ſ. 20. n. 9.
Ingratitudo eſt turpe vitium. ſ. 41. n. 2.
Inimicis oportet debita remittere. ſ. 49. n. 1.
Inundatio avertitur per Roſarium. ſ. 9. n. 3.
Joannes vox clamans in deſerto. ſ. 4. n. 1.
ejus tota laus, quòd ſit vox. ſ. 4 n. 1.
Ira grave peccatum eſt. ſ. 33. n. 1.
Dei quò tardior, eò eſt gravior. ſ. 37. n. 1.
Judicii extremi horror. ſ. 1. n. 1. & 2. item ſ. 25. n. 1. & 8.
particularis veritas, & rigor. ſ. 36. n. 2. & 3.
in particulari ſuos Sodales defendit B. Virgo. ſ. 36. n. 4. 5. 6.
Juſtificatio noſtra donum Dei eſt. ſ. 41. n. 3. & 4.
Juſtorum deſiderium implet Deus. ſ. 34. n. 7.

L.

LEpra denotat peccatum. S. 41. n. 1.
Liliorum ortus. ſ. 42. n. 2.
eorum virtus. S. 42. n. 8. & 11.
iis comparantur Roſariani. ſ. 42. per tot.
Luna eſt in curſu ſuo velociſſima, & inde ſ. 24. n. 9.
eidem comparatur B. Virgo. ſ. 24. n. 9. 10. 11.
Luxuria eſt vitium difficulter emendabile. ſ. 47. n. 6. & 7.
Luxurioſi emendantur in Roſario. ſ. 47. n. 8. 9. 10. 11.

M.

MAnuum elevatio in orationibus placet Deo. S. 51. n. 9.
Marcella laudat Chriſtum, & confundit oſores ejus. ſ. 17. n. 1.
Maria eſt luna. ſ. 1. n. 1. & 7. item ſ. 24. n. 9. 10. 11. 12.
Roſarianos defendit in judicio univerſali. ſ. 1. n. 7. & 10. item ſ. 25. n. 9.
defendit in judicio particulari. ſ. 36. n. 4. 5. & 6.
ſuis eſt altera Abigail. ſ. 36. n. 6.
ſummoperè diligit Roſarianos. ſ. 1. n. 8.
conſolatur Roſarianos in tentationibus. ſ. 3. n. 8. &c.
eſt Roſarianis altera mulier Chananæa. ſ. 3. n. 10.
ubi eſt, ibi eſt & Jeſus. ſ. 6. n. 8.
Roſarianis eſt Sponſa formoſiſſima, & ditiſſima. ſ. 7. n. 12.
compa-

comparatur Sunamiti. ſ. 8. n. 2.
in Roſario eſt piſcina probatica. ſ. 8. n. 3.
eſt ſimilis arbori vitæ. ſ. 8. n. 6.
eſt vitis. ſ. 12. n. 1.
præſervat à tentationibus, & confortat. ſ. 15. per tot.
totam laudem habet in Salutatione Angelica. ſ. 17. n. 3. & 4.
prodivet Roſarianis de neceſſariis vitæ. ſ. 18. per tot.
ſolicita eſt pro Clientibus. ſ. 18. n. 5.
liberalis fuit in pauperes, dum erat in hac vita. ſ. 18. n. 9.
eſt ſimilis Mariæ ſorori Moyſis. ſ. 18. n. 12. & 13.
erat Magiſtra Apoſtolorum. ſ. 22. n. 6. & 7.
confortat titubantes in fide. ſ. 22. n. 7.
impetrat Roſarianis charitatem. ſ. 22. n. 10. 11. 12.
videt tribulationes ſuorum, & citò ſuccurrit. ſ. 24. per tot.
comparatur ſoli. ſ. 24. n. 8.
comparatur auroræ. ſ. 24. n. 13.
eſt ſalus noſtra. ſ. 24. n. 14.
comparatur templo Salomonis. ſ. 46. n. 8.
comparatur templo Pythiæ. ſ. 46. n. 12.
eſt protectio pupillorum, & viduarum. ſ. 43. per tot.
comparatur arbori. ſ. 43. n. 10.
in Roſario eſt civitas refugij in malis corporis, & animæ. ſ. 46. per tot.
eſt mater pulchræ dilectionis. ſ. 33. n. 10.
ubi eſt, ibi auxilium Dei non deeſt. ſ. 34. n. 1.
habet cor Filij ſui in [illegible] ſ. 34. n. 8. 9.
eſt deſideratiſſimus theſaurus Filij ſui. ſ. 34. n. 10.
eſt amica fidelis Roſarianorum in judicio particulari, & in purgatorio. ſ. 36. per tot.
Roſarianis omnia obtinet. ſ. 39. n. 6. & 12. item ſ. 26. n. 7. 8. 9. 10.
in Roſario aſſiſtit tribulatis. ſ. 27. n. 6. 7. 8.
comparatur aquilæ nos protegenti. ſ. 27. n. 7.
comparatur Platano. ſ. 27. n. 8. 9. 10.
Roſarianis impetrat Spiritum Sanctum, & ſeptem dona ejus. ſ. 28. per tot.
eſt mulier quærens drachmam perditam. ſ. 31. n. 2. &c.
eſt ſimilis S. Monicæ Auguſtini matri. ſ. 31. n. 6.
ſummoperè lætatur de converſione peccatoris. ſ. 31. n. 9. 10. 11.
fuit humillima, ideò ſuper Angelos exaltata. ſ. 44. n. 8.
comparatur Rhamno. ſ. 44. n. 8.
obtinet Roſarianis dignitates. ſ. 44. n. 10.
in Roſario eſt aſylum luxurioſorum. ſ. 47. n. 10.
eam non honorantibus iraſcitur Deus. S. 49. per tot.

eam inter, & Arcam fœderis ſit comparatio. ſ. 50. n. 10.
Mariano in cultu, & in Roſario inteſcere periculoſum eſt. ſ. 49. n. 10. 11. 12.
Maria Magdalena per meditationem Crucis ſuas vicit tentationes. ſ. 2. n. 7.
Matres ſunt potentes apud filios. ſ. 34. n. 6.
Meditatio Myſteriorum Chriſti homines beatos efficit, ejus omiſſio infelices. ſ. 14. per totum.
eſt pharmacum contra vulnera animæ. ſ. 40. n. 9.
obtinet gratiam ſervandi mandata. ſ. 38. n. 9.
eſt Roſario eſſentialis. ſ. 40. n. 9.
comparatur vino. ſ. 40. n. 8.
eſt digna præparatio ad S. Comunionem. ſ. 30. n. 9. & 10.
Vide *Contemplatio.*
Michas Deos ſuos perdidit. ſ. 7. n. 12.
Miſeriarum humanarum deſcriptio. ſ. 46. n. 5.
Myſteria SS. Roſarij comparantur aromatibus. ſ. 51. n. 2.
eorum fructus. ſ. 11. n. 1. 2. 3. 4. 5. &c.
Morborum variæ ſunt cauſæ. ſ. 46. n. 1.
eos pellit Roſarium. ſ. 8. per tot.
Mors certa, hora incerta. ſ. 20. n. 1.
piis eſt dulcis ſomnus. ſ. 20. n. 8. & 9.
præcipuè Roſarianis eſt blanda. ſ. 20. n. 10. 11. 12. 13. &c.
Mundani nihil laborandô acquirunt. S. 32. n. 1.
Mundus eſt mare. ſ. 32. n. 1.
eſt hoſtis aſtutus, & blandus inſtar Holofernis, & magnæ illius Babylon. ſ. 45. n. 6.
vincitur per Roſarium. ſ. 45. n. 10. & 11.

N.

NOminibus Jeſu, & Mariæ qualis debeatur veneratio? S. 51. n. 10.
Nuptiæ in Cana Galilææ ex triplici cauſa fuerunt celebres. ſ. 7. n. 1.
iis in Cana Galilææ cur interfuerit Jeſus, & Maria? ſ. 6. n. 7.
eas Chriſtus in incarnatione celebravit. ſ. 7. n. 1. item ſ. 47. n. 1.

O.

ODor Sanctiſſimi Roſarij eſt ſuaviſſimus. S. 42. n. 12. & 13.
Oleum roſarum eſt efficax ad ineundam gratiam Principis. ſ. 1. n. 4.
Oratio eſt vinculum conjungens hominem Deo. ſ. 2. n. 2. & 3.
fiat cum reſignatione, & confidentia in Deum. ſ. 8. n. 10. & 11.
mutua multùm eſt proficua. ſ. 16. n. 12. 13. 15.
in nomine Chriſti, & Mariæ eſt efficaciſſima. ſ. 26. per tot.
eſt apta diſpoſitio ad accipiendum Spiritum Sanctum. ſ. 28. n. 4.
debet eſſe humilis. S. 38. n. 1. & 2.
eſt neceſſaria ad gratiam Dei obtinendam. ſ. 38. n. 10.
eſt potens Deum inclinandi ad vota noſtra. ſ. 42. n. 9.
eſſe efficax ad obtinendam caſtitatem, & cuſtodiendam. ſ. 47. n. 3. & 4

debet fieri in puritate conſcientiæ, & reverentia cum externa. ſ. 51. per tot.
ſinè puritate interna, & reverentia externa diſplicet Deo. ſ. 51. per tot.
comparatur incenſo. ſ. 51. n. 2. &c.
ubique fieri poteſt, & in omni ſitu corporis; meliùs tamen fit in Eccleſia. ſ. 51. n. 6. & 7.
cum genuflexione, & elevatione manuum placet Deo. ſ. 51. n. 8. & 9.
voluntariè diſtracta ad nihil valet. ſ. 52. n. 4. &c.
eam præcedere debet præparatio. ſ. 52. n. 5. item ſ. 10. n. 6.
ejus modum docuit Chriſtus. ſ. 26. n. 2. & 3.
Vide *Preces*.
Orpheo comparantur Sodales SS. Roſarij. ſ. 9. n. 5.
Oſeas fuit figura Chriſti in ſuo matrimonio. ſ. 7. n. 4.
Otium eſt fugiendum. ſ. 12. n. 5.

P.

PAnem ſalutis præbet Roſarianis B. Virgo. S. 34. n. 2. & 4.
Parentes utiliter aſſuefaciunt proles ſuas ad recitationem, & geſtationem Roſarij. ſ. 48. per tot.
eorum obligatio filios educandi in virtute. ſ. 48. n. 2. 3. 4.
pœna, ſi negligant curam filiorum ſ. 48. n. 3.
Paſſio Chriſti confortat in tribulationibus. ſ. 27. n. 4. & 5.
Paſtoris boni tria ſunt munia. ſ. 23. n. 1.
Patientiæ exemplum eſt Tobias. ſ. 27. n. 3.
Pax decet Sodales SS. Roſarii. ſ. 33. n. 9. 10. &c.
eam nobis recommendavit Salvator. ſ. 33. n. 8.
Peccator ſinè gratia Dei nequit reſurgere. ſ. 31. n. 3. & 4.
eſt ſimilis brutis. ſ. 31. n. 12.
Peccatum tollitur per Roſarium. ſ. 25. n. 2. 3. 4.
ejus effectus indicantur per lepram. ſ. 41. n. 1.
originalis damna. ſ. 40. n. 1. & 10.
Pericula vitæ humanæ ſunt plurima. ſ. 48. n. 12.
Peſtis eſt malum graviſſimum. ſ. 37. n. 11.
eam avertit devotio Roſarij. ſ. 37. n. 12. 13. 14.
Perſeverantia in devotione Roſarij eſt neceſſaria. ſ. 49. n. 8. & 9.
Phariſæorum invidia, & odium in Chriſtum. S. 17. n. 1.
Philomelæ aſſimilantur Roſariani. ſ. 4. n. 2. 3. 4.
Pœnitentia eſt donum Dei. ſ. 41. n. 3. & 4.
Præſentia Dei utiliter cogitatur. ſ. 23. n. 7. & 8.
Præcepta ſunt vincula, quibûs Deo jungimur. ſ. 2. n. 1.
Preces in Eccleſia utiliùs peraguntur. ſ. 5. n. 3. item ſ. 51. n. 6. &c.
iiſdem obtinetur ſcientia. ſ. 6. n. 5.
obligant Omnipotentem. ſ. 25. n. 5.
noſtræ uniri debent meritis Chriſti. ſ. 26. n. 4. item ſ. 52. n. 9.

Vide *Oratio.*
Proceſſionibus Roſarii olim Sodales devotiſſimè interrerant. ſ. 20. n. 3. & 4.
intereſſe eſt perquàm utile. ſ. 20. n. 6. 7. 8. 9.
intereſſe obligantur Sodales. ſ. 20. n. 10.
publicarum uſus eſt perantiquus. ſ. 20. n. 2.
Prophetæ falſi ſunt cavendi. ſ. 25. n. 1.
Providentia Divina eſt mirabilis. ſ. 18. n. 1.
Pueri à teneris aſtringendi ſunt ad dicendum Roſarium. ſ. 12. n. 2. 3. 4. item ſ. 48. per tot.
Pupillorum Deus curam gerit. ſ. 43. n. 1.
eorum deſcriptio. ſ. 43. n. 2. & 3.
proteguntur à B. Virgini in Roſario. S. 43. n. 2. 3. 4. 5. 6. &c.
Purgatorii pœnæ ſunt acerbæ, & diuturnæ. ſ. 36. n. 7.
ab eo Roſarianos liberat B. Virgo. ſ. 36. n. 8. 9. 10.

R.

ROſa olim vim magnam habuit in tribunalibus. S. 1. n. 3.
Roſarium virtutem magnam habet placandi Divinum Judicem. ſ. 1. n. 3. &c.
eſt vinculum animam jungens Deo ſuo. ſ. 2. n. 3. 4. 5. &c.
ligat dœmonem, ne noceat. ſ. 2. n. 9. 10. 11. &c.
comparatur citharæ Davidis. ſ. 3. n. 8. & 9.
dicitur in cœlis ab Angelis, & Beatis. ſ. 4. n. 5.
devotiùs dicitur in Eccleſia. ſ. 5. n. 3. &c. item ſ. 51. n. 6. &c.
de nocte cuſtodit à periculis corporis. ſ. 5. n. 9.
item de periculis animæ. ſ. 5. n. 10.
eſt via ad inveniendum Jeſum. ſ. 6. per totum.
curat morbos, & ab illis præſervat. ſ. 8. per totum.
comparatur arbori vitæ, ſ. 8. n. 7.
item arcæ Noë, ſ. 9. n. 6.
item ſigno *Thau* Ezechielis. ſ. 9. n. 9.
liberat à tonitru, inundationibus, ventis &c. ſ. 9. per tot.
ejus neglectus eſt cauſa ſequentium peccatorum. S. 10. per tot.
eſt arbor, in qua dulcis requies, & ſimul ſecuritas invenitur contra draconem infernalem. ſ. 11. per totum.
miram vim habet contra tentationes dœmonis. ſ. 11. n. 12.
aſſimilatur grano ſinapis. ſ. 11. n. 1.
comparatur vineæ. ſ. 12. n. 1.
ejus prædicatio à Chriſto injungitur S. Dominico, B. Alano, & alijs. ſ. 12. n. 1.
excitat hominem ad bona opera. ſ. 13. n. 3. &c.
eſt aſylum pupillorum, & viduarum. ſ. 43. per totum.
comparatur clypeo. ſ. 15. n. 8. & 9.
facit filios Dei, & cohæredes gloriæ. ſ. 29. n. 8. 10. 11.
eſt lucerna repleta oleô. ſ. 31. n. 7.
conſolatur puſillanimes. ſ. 32. n. 8. 9. 10. 11.
tollit inimicitias. ſ. 33. n. 7.

eſt

eſt cuſtodia, & protectio in via ſalutis. ſ. 34. n. 4.
verſutias diaboli detegit. ſ. 35. n. 5. & 6.
confundit hæreticos. ſ. 35. n. 10. 11. &c.
eſt efficax contra bellum, famem, & peſtem. ſ. 37. per totum.
impetrat miſericordiam Dei. ſ. 38. n. 4 & 5.
item gratiam ſervandi mandata divina. S. 38. n. 9. 10. 11.
à Deo omnia obtinet. ſ. 39. per totum.
eſt alligatura noſtrorum vulnerum. ſ. 40. per totum.
eſt inſtar iridis, & coronat Chriſtum. ſ. 40. n. 6.
comparatur decimis Deo præſtandis. ſ. 41. n. 7.
eſt fons influens omne bonum, & ſalutis. ſ. 41. n. 9. 10. 11. 12. &c. item ſ. 29. n. 3. &c.
rapit Cor Divinum in amorem hominum. ſ. 42. n. 10.
ſpirat odorem ſuavitatis. ſ. 42. n. 12. & 13.
confundit oſores B. Virginis. ſ. 17. n. 7. 8. 9. 10.
aſſimilatur fundæ David. ſ. 17. n. 11.
eſt aurum, & pecunia, qua emuntur omnia. ſ. 18. n. 15.
impetrat bona temporalia, & neceſſariæ vitæ. ſ. 18. per tot.
eſt ſignum prædeſtinationis, & ſpes firma gratiæ finalis. ſ. 19. n. 4. 5. 6.
præſervat à morte æterna. ſ. 19. n. 4. 5. &c.
dulcorat anguſtias mortis. ſ. 19 n. 8. 9. 10. &c.
eſt ſignum victoriæ, & glorioſæ à mortuis reſurrectionis. ſ. 21. per tot.
comparatur tympano. ſ. 20. n. 5.
item gazophylacio, ex quo promuntur varia dona. ſ. 22. per tot.
terret demonem. ſ. 20. n. 6.
defendit à peccato, juſtitia, & judicio. ſ. 25. per totum.
eſt oratio efficaciſſima. ſ. 26. n. 7. 8. 9. &c.
impetrat Spiritum Sanctum, & ſeptem dona ejus. ſ. 28. per tot.
eſt alter Baptismus. ſ. 29. per tot.
comparatur pluviæ. ſ. 13. n. 6. & 7.
comparatur reti, ſeu ſagenæ. ſ. 32. per totum.
eſt ad varia utilis, præſertim parvulis. ſ. 48. n. 5. 6. 7. &c.
tuetur hominem in periculis. ſ. 48. n. 12. & 13.
docet humilitatem. ſ. 44. n. 3 & 5.
eſt utile obtinendis dignitatibus. ſ. 44. n. 10.
vincit diabolum, carnem, & mundum. ſ. 45. per totum.
cuſtodit virginitatem. ſ. 47. n. 3. 4. 5.
ex impuris puros facit. ſ. 47. n. 8. 9. &c.
eſt cum fervore dicendum, ſ. 49. n. 10. 11. & 12. item ſ. 52. n. 2. 3. &c.
item cum puritate conſcientiæ, & reverentia externa. ſ. 51. per tot.

eſt oratio communis, omnibus accomoda, & inde æſtimatiſſima. ſ. 49. n. 5. &c.
ſpernentibus, & vilipendentibus iraſcitur Dominus. S. 49. per totum.
item omittentibus, & tepidè perſolventibus. ſ. 49. n. 8. 9. 10. &c.
ejus geſtatio eſt ad tria utilis. ſ. 48. n. 9. 10. 11. &c.
per hoc aguntur Deo debitæ gratiæ. ſ. 41. per totum.
in eo maximè laudatur Deus. ſ. 41. n. 7.
ejus preces Chriſto, & B. Virgini ſunt gratiſſimæ. ſ. 4. n. 3.
Archi-Fraternitas ejus comparatur hortis amœnis penès Ethnam, ſ. 15. n. 5. & 8.
item terræ Geſſen, ſ. 9. n. 11.
item terræ Chanaan. ſ. 13. n. 5.

S.

SAlutatio Angelica recitatur in cœlo. S. 4. n. 5.
eſt dos ſponſalitia. ſ. 7. n. 10. & 11.
continet præcipuas laudes B. Virginis. ſ. 7. n. 3. 4. 5.
confundit hæreticos, & dœmones. ſ. 17. n. 7. 8. 9. 10.
Semen eſt verbum Dei, quod multimodè fructificat. ſ. 13. n. 1.
Senes non recedunt à moribus inventutis. ſ. 12. n. 9.
ad mortem ſe præparent Roſariô. ſ. 12. n. 10.
Serpens roſam offerens diſplicuit Jovi. ſ. 51. n. 4.
Sodales Sacratiſſimi Roſarii ſunt ſimiles Reginæ Eſther. S. 1. n. 5. & 6.
confortat Chriſtum vulneratum, ac exhilarant. ſ. 14. n. 8. & 9.
multùm merentur in Bacchanaliis. ſ. 14. n. 10.
in judicio habent favorem Chriſti, & Mariæ. ſ. 1. per tot.
confortantur à Chriſto in tentationibus. ſ. 3. per tot.
comparantur philomelæ. ſ. 4. n. 2. 3. 4.
ſunt Sponſæ Chriſti, Sponſi autem B. Virginis Mariæ. ſ. 7. per tot.
ſunt volucres cœli. ſ. 11. n. 2. 3. 4. &c.
referunt fructum centeſimum & bonorum operum, & gloriæ. ſ. 13. per tot.
ſunt ſimiles in fertilitate terræ, Chanaan. ſ. 13. n. 5.
præſervantur, & roborantur in tentationibus. ſ. 15. per tot.
pro invicem orantes fugant dœmonem. ſ. 15. n. 11.
participant ad invicem de meritis. ſ. 16. n. 10. 11. &c.
item participant de meritis totius Ordinis Prædicatorum. ſ. 16. n. 11. 12. &c.
comparantur Regi David. ſ. 17. n. 10. & 11.
providentur à Maria in temporalibus. ſ. 18. per tot.
obligantur intereſſe Proceſſionibus. ſ. 20. n. 10.

vin-

vincunt mortem, & diabolum. S. 21. n. 5. & 6.
ſunt Reges. ſ. 22. n. 7. & 8.
abſconduntur ſub pallio B. Virginis. ſ. 22. n. 11.
ſunt veræ oves Chriſti. ſ. 23. per totum.
ſunt filij Dei adoptivi, & hæredes gloriæ. ſ. 29. n. 8. 10. 11.
vocantur, & præparantur ad frequentem Communionem. ſ. 30. per totum.
ſunt lilia virtuoſa. ſ. 42. per totum.
magnam virtutem habent ad movendum Deum. ſ. 42. n. 10.
ſpirant odorem ſuavitatis. ſ. 42. n. 12. & 13.
ſunt de familia Jeſus, & Mariæ. ſ. 48. n. 9. & 10.
accipiunt Spiritum Sanctum, & dona ejus. ſ. 24. per tot.
Sol eſt Symbolum B. Virginis. ſ. 24. n. 1.
Solitudo eſt apta ad dicendum Roſarium. ſ. 4. n. 3.

T.

TAbernacula tria ædificant Roſariani. S. 16. n. 2. 3. 4. 5. &c.
Tempeſtates avertuntur per Roſarium. ſ. 9. n. 12. & 13.
Templum eſt locus aptiſſimus, & utiliſſimus ad orandum. ſ. 51. n. 7.
decet reverentia, & ſilentium. ſ. 51. n. 11.
Tentationes hominis ſunt variæ. S. 3. n. 2. & 8. item ſ. 18. n. 1.
ſunt homini utiles. ſ. 15. n. 3.
diaboli non timendæ à Roſarianis. ſ. 11. n. 13. & 14.
Tepidi fiunt homines ſucceſſivè. ſ. 30. n. 2.
Tepiditas valdè eſt nociva in dicendo Roſario. ſ. 52. per tot.
Thau aſſimilatum Roſario. ſ. 5. n. 9.
Theſaurus Unigeniti Dei Filii eſt Maria. ſ. 34. n. 10.
ſunt fides, & charitas. ſ. 22. per totum.
S. Thomas Aquinas deglutit chartam *Ave Maria* notatam. ſ. 12. n. 3.
Thomas Kempenſis increpatur à B. Virgine, quia neglexit cultum ejus. ſ. 12. n. 4.
Timor moderatus eſt utilis, non autem immoderatus. ſ. 32. n. 7.
Tobias eſt exemplum patientiæ. ſ. 27. n. 3.
Tonitrua cedunt Roſario. ſ. 9. n. 10. & 11.
Tornacenſes claves civitatis ponunt ad pedes B. Virginis. ſ. 5. n. 10.
Transfigurationi Chriſti cur interfuerint Petrus, Jacobus, & Joannes? ſ. 16. n. 1.
Tribulationes in hoc mundo ſunt neceſſariæ. ſ. 24. n. 1.
Roſarianorum videt B. Virgo, & citò ſubvenit. ſ. 24. per tot.
cogunt hominem ire ad Deum. ſ. 48. n. 1.

Trium-

Triumphi Romanorum, & Tyrannorum. ſ. 45. n. 1.

Trinitatis Sanctiſſimæ beneficia. S. 29. n. 1.

U.

VEntorum varia incommoda. S. 9. n. 8.

Verbum Dei audire eſt ſignum prædeſtinationis. ſ. 23. n. 10.

Viduarum Deus ſpecialem gerit curam. ſ. 43. n. 1. eas Maria in Roſario protegit. ſ. 43. n. 10. 11. 12. 13.

Viduitatis preſſuræ. ſ. 43. n. 8. & 9.

Virginitatis prærogativæ. ſ. 47. n. 2. ea obtinetur per Roſarium. ſ. 47. n. 3. 4. 5.

Virtus Chriſti continetur in Roſario. ſ. 2. n. 10. & 11.

Vita hominis navi celeriter tranſeunti eſt ſimilis. ſ. 52. n. 1.

Vitia à minimis incipiunt. ſ. 10. n. 2.

Vulnus peccati originalis quale? ſ. 4. n. 1. & 10.

F I N I S.

LBERT'S COLLEGE LIBRARY

1930 O.P. 232.931.9
Prigelius Conrad P 63
AUTHOR
Centum Sermones de Rosario
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED

193